



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS SECUNDA

SIVE

ORATIONES OMNES

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITÆ

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEXTUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXX


BODLEIANA · BIBLIOTHECA

PRÆFATIO.

Quamquam pluribus in locis textus prioris partis, quum in notis lectio Vaticani merito defendatur, vulgata lectio resederit, tamen sunt in his nonnulli loci, in quibus nollem ejusmodi discrepantiam lectores deprehendissent, quod pristina lectione servata, quæ Garatonii sententia et codicis illius lectio esset, ad istos locos in notis indicasse sat esse putabam, cujusque judicio, utram præoptare vellet, relinquens. Nimirum Garatonius commentarium suum plagulis inscriptum, quæ editioni Philippicarum Grævianæ insertæ, seu illigatæ erant, mihi miserat, morem pristinum autem, quem in prioribus operis partibus servaverat, sequutus, textum Grævianum, quamvis in notis persæpe præcipiat ; «sic restituendum est», etiam sic perraro correxerat. Quum igitur tantæ religiositatis esset Garatonius, factum est, ut in quibusdam locis, quamvis etiam istic lectionem Vaticani non inepte posueris, tamen, nisi eam vel orationis contextus, vel consuetudo latina posceret, aut recentiores interpretes textum Grævianum, qui accuratius sequitur vestigia Vaticani, aperte temere reliquissent, aut si vulgata non minus probabilis esse videretur, quam Vaticani, vulgatam retinendam esse, et causæ meæ me satisfecisse putarem, si Garatonii sententiam

aut Vaticani lectionem sub textu notassem. Quamquam enim codex iste summæ esset auctoritatis, tamen ipse, uti alii, vitiis iisque sæpe maximis haud immunis, non tantæ videri poterat, ut quidquid haberet lectionis, vel in ipsis verbis, vel in verborum ordine, id unice verum existimaretur. Sic Garatonii sententiam et Vaticani lectionem in notis tantum afferre, in textu nihil mutare volui, orat. I, cap. 7 (pag. 56), ubi Garatonius pro «a Cæsare» scribere præcipit «de Cæsare ipso sibi quæras». Item cap. 12 (pag. 93) retinui lectionem «hanc tu, Dolabella..... animo æquo potuisti», quum Garatonius scribere velit: «potuisti animo æquo, etc.»; cap. 13 (pag. 94): «num hujusce, quum pro salute reipublicæ tanta gess. fortunæ te, etc.», pro «num te, quum h. p. s. r. t. gessisses, fortunæ tuæ»; cap. 14 (pag. 105): «de quo tamen audisti multa ex mea, quæ sæpissime», quamquam Faernus acutissime *atque* in verbis Vaticani *meaquæ* latere conjecit. Orat. II, cap. 2 (p. 146): «sed nec fecisti, nec, si cuperes», pro lect. Vat. «sed neque fecisti, nec, si cuperes». Cap. 5 (pag. 187): «qui non mihi vitam suam, fortunas, liberos, remp. referret acceptam», pro «liberos, fortunas, remp. etc.» Cap. 8 (pag. 208): «Ad majora veniamus», pro «majora videamus». Cap. 13 (p. 257): «Cassio et Bruto», pro «Bruto et Cassio». Sic adeo *domu* pro *domo* cap. 18 (pag. 314), in textum recipere dubitavi, nisi veritas ejus lectionis aliunde (sic adeo) etiam demon-

strata esset, quamquam hanc scriptionem Gar. valde probaret. Pag. 319 retinui « a tua familiaritate », quamquam Vaticanus præpositionem omittat. Cap. 19: « sed jam stupra et flagitia omittam », pro « omittamus »; pag. 328 : « quiddam jam tum », pro « jam tum quiddam »; pag. 348, *advolasti*, quamquam Garatonius probat *advolas*. Ceterum, ut omnia, quæ a Garatonio, hæc bona liberalissime mihi legante, præcepta erant, diligenter observarentur, qui præter Faerni et Mureti etiam Ferrarii præfationem universo operi præmitti vellet, hujus præfationem tomo posteriori præfixi, quod tum, quum prior tomus excuderetur, editionis Ferrarianæ harum orationum (1) usurpandæ potestas mihi nondum data erat. Indices denique rerum, quæ notis continentur, atque locorum apud alios scriptores a Garatonio, vel illustratorum, vel emendatorum, quibus lectores hujus libri carere non poterant, curæ ac diligentiæ debentur viri et humanitate et doctrina insignis, Caroli Georgii Jacob, doctoris in schola Portensi.

Scrib. Numburgi in Saxonia nonis maii anni 1822.

GREG. GOTTL. WERNSDORF.

(1) Liber, unde sumpsi epistolam Ferrarianam rogatu doctissimi Wernsdorfii, non tenet editionem Philippicarum, sed solas Ferrarii in illas emendationes. Titulus hic est : « Hieronymi Ferrarii ad Paullum Manutium emendationes in Philippicas Ciceronis. His adjecimus M. Tullii Ciceronis defensiones contra Cœlii Calcagnini disquisitiones in ejus officia : per Jacobum Grifolum Luciniacensem. Apud Seb. Gryphium Lugduni, 1552, in-8 ». G. H. S.

HIERONYMUS FERRARIUS

PAULLO MANUTIO

S. D.

Ecce tibi persolvo, quod promiseram, vel, ut verius loquar, plus quam promiseram, præsto. Satis enim non promisso meo solum, verum etiam animo tuo factum erat, si modo nudos (ut ita dicam) hosce locos tibi tradidissem. Verum ego quum scirem te esse distentissimum, qua de mendis librorum tollendis, qua de verbis quibusdam atque sententiis, quæ in his involutæ erant, evolvendis, ut labore te levarem, simulque augerem munusculum meum, feci quod antea numquam, quodque valde abhorrebat a natura mea, ut quæ partim ex antiquis libris, partim ex me prompseram, ea quasi vestitu orationis induerem, et, quoad rei natura pateretur, ornarem. Id autem ut commodius a me fieret, et cumulatius, antequam ad scribendum aggrederer, faciundum mihi putavi, ut ea studia, quæ in his libris antea posueram, nunc rursus acriori cura, attentioreque animo renovarem. Itaque conductis in unum multis Philippicarum voluminibus, et his quidem perveteribus, operam dedi, ut, quoniam inter ipsa conveniret interdum, sæpe variaretur, hanc varietatem constantiamque ita diligenter notatam haberem, ut ne litera quidem effu-

geret. Quantum autem et his et superiorum temporum vigiliis lucri fecerim, non est meum scribere, ideo quod facile seipsum quisque fallit, et ipsa scripta indicabunt. Tanta quidem certe diligentia usus sum, ut interdum, ne putida videatur, in mentem veniat subvereri, ita minima etiam quæque persequuti sumus: nec solum elaboravimus, ut sua Tullio sermonis elegantia, verum etiam suus, quoad ejus fieri posset, orationis orbis, suusque numerus redderetur. Quæ tamen in his interpretati sumus, quæve emendavimus quum apud hunc ipsum in aliis libris, tum apud alios de meliore nota scriptores, hæc etsi, quum occurrerent atque inciderent, quasi prætereuntes excussimus, tamen animum harum minutarum rerum fastidio defessum relevare poterunt, atque abalienatum retinere. Hoc igitur opusculum ad te mittimus, quod vel ut tuum per me edas licet, siquidem me tui amor ad scribendum, non studium laudis impulit: vel, sicut ingenuus es, nec indigens cujusquam, meum nomen placet inscribere, in tuo certe exeat ac divulgetur volo, non solum ob eam causam, ut quam diligentiam solis in tuis, hanc in meis quoque rebus adhibendam putes, verum etiam multo magis ut doctissimi adolescentis, atque apud eos omnes, qui se optimis artibus dediderunt, gratiosi, nomine commendatum, studium istuc secum, favoremque in vulgus afferat. Hic autem ut primus ingenii fœtus nunc minutus sit, nec ita valde bonus necesse est.

Post si, ut humus, sic animus fiet cultu fœcundior, quoque magis subactus erit, eo grandiores edet fruges ac meliores, uberiora a me ac præstantiora debebis exspectare. Qualiacumque certe efferremus, tibi efferremus. Quis enim ad communem fructum non excitetur, non ei omni studio faveat, non omnibus opibus ac viribus opituletur, quem id ætatis videat sic evigilare in literis, ut fructus lucubrationum suos in commune conferat : sic incumbere in eam curam, ut scriptoribus aliis, quos mendorum quasi quædam illuvies inquinaverat, ac totos prope mutaverat, suum splendorem formamque restituat, alios in tenebris abditos jam jamque situ enectos in lucem evocet, perire non sinat, atque adeo immortalitati commendet, ut omnia loca, bibliothecas, libros peragret, scrutetur, evolvat, non operæ, non sumptui, non denique valitudini atque vitæ parcat. Quam quidem, ceterasque laudes animi, ingenii ac judicii tui mens quidem nunc ardet studio persequendi, sed impetum reprimit pudor. Quod enim, quum tecum loquor per literas, mihi cum præsente præsens loqui videor, idcirco fit, ut, quasi te in os laudem, ita de te ad te scribens erubescam. Prædicabo igitur aliis quod facio, atque in hoc animo meo penitus obsequar. Vale, et me ama.

Romæ, data non. jan. 1541.

IN M. T. CICERONIS
ORATIONES PHILIPPICAS
IN M. ANTONIUM
PROLEGOMENA.

An. U. C. 709, C. Julius Cæsar quum dictaturam gereret, M. Æmilio Lepido magistro equitum, simul vero quintum consul esset una cum M. Antonio, kal. januariis in senatu dixit se, priusquam ad Parthicum bellum proficisceretur, P. Cornelium Dolabellam consulem esse jussurum (Philipp. II, 32). M. Antonius restitit, dixitque se comitia ejus auspiciis aut habenda impediturum, aut habita vitiaturum. Comitiis habitis Dolabella cos. creatur; confecto demum negotio Antonius *alio die* dixit (ibid. cap. 32). Lupercalibus xv kal. mart. quum Cæsar pro Rostris sedens in sella aurea Lupercos spectaret, Antonius consul idemque Lupercus capiti ejus diadema admovit, quod ille cum populi plausu rejecit (Philipp. II, 54). Antonius tamen in fastis ad Lupercalia adscribi jussit: « C. Cæsari dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse (ibid. cap. 34). Diadema illud Cæsar in Capitolium Jov. Opt. Max. misisse dicitur, solum eum Romanorum regem esse dictitans (Sueton. Cæs. c. 79; Dio Cass. XLIII, 60; Plutarch. in Cæs. c. 61). Idibus martiis Cæsar a conjuratis quorum principes fuerunt M. Brutus, C. Cassius, Decimus Brutus Albinus, Cn. Domitius, C. Trebonius, Cassius Parmensis, tribus et viginti vulneribus in curia confossus est. Interfectores quum e curia in forum properarent, M. Brutus cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamavit, eique recuperatam libertatem gratulatus

est. Ex quo Antonius collegit eum conjurationis conscium fuisse (Philipp. II, 12). Constat autem inter omnes, conjuratos Ciceronem consilium interficiendi Cæsaris diligenter celasse, quod scilicet ejus timiditatem, senilemque εὐλάβειαν vererentur (Plutarch. in Cic. c. 42). Ceterum etsi conjuratis aliquando propositum fuerat, Antonium una cum Cæsare interficere, abjectum tamen est hoc consilium Decimo Bruto potissimum auctore. Trebonius tamen Antonium ante curiam, ne forte Cæsari subvenire posset, confabulatione detinuit. E foro conjurati se in Capitolium receperunt. Antonius a curia fugiens domi se continebat. In Capitolio quum conjurati Ciceronem adire vellent Antonium, ut eum ad defendendam rempublicam hortaretur, Cicero se iturum constanter negavit, ostenditque Antonium, quoad metueret, omnia promissurum; simul ac metuere desiisset, similem eum futurum sui (Philipp. II, 35). Tertio autem post Cæsaris cædem die, Liberalibus a. d. XVI kal. april. senatus habitus est in æde Telluris; eo Cicero etiam, quamvis invitus venit, quum omnes aditus armati obsiderent (Philipp. II, 35). Ibi oratione habita, quam Dio Cassius stilo suo expositam retulit (XLIV, 63), jecit quantum in ipso fuit fundamenta pacis, Atheniensiumque vetus exemplum in discordiis sedandis, usurpato etiam græco ἀμνηστίας vocabulo, omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. Antonius ipse quoque se concordiam velle oratione habita simulabat (Appian. de B. C. II, 133), ejusque et Lepidi liberis obsidibus datis pax cum conjuratis confirmata videbatur. Factum est etiam SCtum : de cæde Cæsaris quæri in judicio non placere; acta vero ejus decretaque rata esse, quoniam ita e republica esse videatur; denique Cæsarem funere efferendum ejusque testamentum proferendum esse, Pisone auctore, censuerunt. Itaque Cæsaris interfectores e Capitolio descenderunt; Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceteri apud alios cœnarunt. Postero die in senatu provinciæ decretæ, Bruto Creta,

Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Cæsar autem quum funere efferretur, corpore ejus in foro ante Rostra deposito, Antonius eum oratione ad misericordiam plebis concitandam composita laudavit; qua audita plebes statim a funere (Suet. Cæs. c. 85) ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit; Helvium Cinnam, quasi Cornelius is esset, errore nominis decepta occidit; solidam columnam in foro Cæsari statuit, inscripsitque *Parenti Patriæ*. Antonius vero ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis adhibebat; ad senatus res optimas deferebat; dictaturam etiam funditus e republica sustulit sententia sua, quam quum scripto senatusconsulto, quod in senatum attulerat, comprehendisset, senatus ejus auctoritatem summo studio sequutus amplissimis verbis ei gratias egit.

Interim Brutus et Cassius ex Urbe discesserunt. Cicero quoque urbe relicta, villas suas lustravit. Ac primum quidem circa nonas apriles e suburbano ad Matium devertit (ad Att. XIV, 1), qui Cæsaris mortem ingenue dolens, prudenter vidit tantum abesse, ut Cæsaris obitus utilis esset reipublicæ, ut potius perturbationem omnium rerum sequuturam esse augurarętur. Circa VI id. apriles Bruto et Cassio absentibus plausus datus est ludis Megalensibus, quum Publius mimus vérsiculos quosdam pronuntiasset, quæ ad eorum laudem trahi possent (ad Att. XIV, 2). Paullo post Cicero in Tusculano a structoribus, quorum opera in ædificatione utebatur, ad frumentum profectis, quum inanes rediissent, accepit Romæ frumentum omne ad Antonium portari, quem quidem epularum magis rationem habere putabat, quam quidquam mali cogitare (ad Att. XIV, 3). Idem tamen IV id. apr. Lanuvii quum esset, legiones verebatur, quæ cum signis ferebantur e Gallia adventare; omninoque dolebat Cæsaris satellites in imperiis esse; exercitus, qui Cæsaris profectionem in Parthos exspectantes in urbe ejusque vicinia permanserant, una cum

veteranis, quibus Cæsar partem agri Campani assignaverat, reipublicæ nova pericula minari; Brutum autem et Cassium se parietibus continere. Circa idem tempus Octavius, Cæsaris heres, audita ejus nece Apolloniæ, quo eum Cæsar studiorum causa miserat, in bello Parthico commilitonem habiturus, in Italiam rediit. Interea Romæ fugitivus quidam a Cæsare relegatus, quod se Marii septies consulis nepotem dictitasset, medicus equarius, quem Appianus Amatium, Valerius Max. Herophilum nominat, ausus est in urbem redire; aram Cæsari eo loco, ubi crematus erat, posuit; seditionesque excitavit, e quibus magna cædes senatui impendere videbatur, quas ipse Antonius sumpto de eo supplicio composuit. Ejus enim jussu necatus eique uncus impactus est. Paullo post etiam Dolabella in homines de plebe et servos, qui apud columnam Cæsari erectam sacrificabant, vota suscipiebant, tumultus ciebant, severissime animadvertit, liberis de saxo Tarpeio dejectis, servis in crucem actis, simulque columnam illam dejici jussit, locumque sternendum locavit. Interim dum Antonius rebus suis intentus Italiam percursabat, Octavius a. d. XIV kal. maias Neapolim venit, Cæsaris hereditatem aditurus. Is Ciceronem Puteolis invisit, cum eoque perhonorifice et amice colloquutus effecit, ut Cicero de ejus animo in rempublicam bene speraret, etsi identidem quid ætati, ut adolescentis XVII annorum, quid nomini, quum jam se Cæsarem Octavianum appellasset, quid hereditati ab eo acceptæ, quid institutioni Cæsarianorum credendum esset, dubitabat. Antonius autem quum multa moliretur libertati perniciosa, quasi a Cæsare constituta, cujus e chirographis ab ipso corruptis, quæcumque vellet, proferebat, Cicero quotidie iter in Græciam meditabatur; incertus tamen utrum melius esset fugere, an in Italia manere, sæpe in utramque partem distrahebatur in deliberando, ancipitemque curam cogitandi cum Attico suo communicabat. Ad Cassium quoque exeunte mense maio ita scripsit: « ut adhuc quidem actum est non regno, sed rege

liberati videmur. Interfecto enim rege regios omnes nutus tuemur. Neque vero id solum, sed etiam quæ ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec ejus quidem rei finem video. Tabulæ figuntur; immunitates dantur; pecuniæ maximæ describuntur; exsules reducuntur; senatusconsulta falsa referuntur, ut tantummodo odium illud hominis impuri (Cæsaris) et servitutis dolor depulsus esse videatur, respublica jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille conjecit» (ad Fam. XII, 1). Attamen Cicero iisdem diebus Romam rediit, ut kalendis juniis in senatu adesset. Eodem autem die, quum Antonius agmine quadrato milites adduxisset, senatores insidias et vim metuentes repente diffugerunt (Philipp. II, 42), Cicero in Tusculanum se contulit, ubi III non. jun. ad Atticum scripsit (XV, 9) vehementer indignatus, quod audiverat fore nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. E Tusculano Cicero Antium profectus est; in Antiati aliquot dies commoratus, cetera etiam prædia, Arpinas, Formianum, Puteolanum, Pompeianum lustravit. Jamque iter in Græciam parabat, sed ita ut Brundisium iterque illud, quod tritum in Græciam erat, vitaret. Itaque XIII kal. sextil. Veliæ fuit, ibique unum diem constitit, quum ad domum Trebatii Testæ eo absente devertisset. Inde sinu Pæstano et Vibonensi transmisso appulit ad Veliam, ibique unum et alterum diem apud Sicam fuit. Velia proficiscens Topica ad Trebatium in ipsa navigatione conscripsit, eumque librum Rhegio ad Trebatium misit. Inde kal. sextil. Syracusas venit. Postero autem die quum eum venti ex Sicilia ad Leucopetram, promontorium agri Rhegini detulissent, ab eo loco conscendit ut transmitteret, sed, quum stadia circiter CCC processisset, rejectus est austro vehementi ad eamdem Leucopetram: quumque intempesta nox esset, mansissetque ventum exspectans in villa P. Valerii, ubi familiariter esset et libenter, municipes Rhegini complures ad eum ve-

nerunt, ex iis quidam Roma recentes; a quibus accepit M. Antonii concionem, quæ ipsi ita placuit, ut ea lecta primum cœperit de reversione cogitare. Iidem afferebant edictum Buti et Cassii; nuntiabantque fore frequentem senatum kalendis sext. a Bruto et Cassio literas missas ad consulares et prætorios, ut adessent rogare; addebant præterea rem conventuram, Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis ad auctoritatem senatus esse rediturum; denique Ciceronem Romæ desiderari, ejusque absentiam subaccusari. Quæ quum Cicero audisset, sine ulla dubitatione abjecit consilium profectionis. xvi kal. sept. quum venisset Veliam, M. Brutus qui cum suis navibus apud Haletem fluvium erat, citra Veliam millia passuum III pedibus eum convenit. Is valde Ciceronis reversione lætatus, narravit ei, quæ kalendis sextil. in senatu nata essent, L. Calpurnium Pisonem, Cæsaris socerum, summis laudibus efferebat, quod invectus erat oratione in Antonium, qui tamen neminem habuerat sibi assentientem. Pridie kal. sept. Cicero Romam venit. Kalendis Antonius senatum habuit de supplicationibus Cæsari decernendis, et Ciceronem in curiam vocavit. Qui quum e via langueret et sibimet displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret. Antonius palam in senatu, nisi veniret, se cum fabris venturum domumque ejus disturbaturum dixit. Et Plutarchus quidem scribit eum milites misisse, quos vel Ciceronem adducere, vel domum ejus incendere jusserit, eos tamen multis intercedentibus, pignoribus captis quievisse. Postridie Cicero in senatum venit, ibique Antonio absente habuit orationem Philippicam primam.

I. In hac oratione primum exponit profectionis in Græciam consilium, quod ob Antonii, qui meliora promiserat, animum inde a kalendis juniis ad perniciosa reipubl. molimina delapsum, ceperat, cap. 1, 2; deinde reversionis causas exponit, simulque Pisonis orationem kal. sextilibus habitam collaudat, cap. 3, 4. Tum M. Antonii injuriam hesterno die sibi illatam castigat; seque si in senatu affuisset sen-

tentiæ Pisonis assensurum, nec supplicationes Cæsari mortuo decreturum fuisse ostendit, cap. 5, 6. Jam accedit ad ea, quæ reipublicæ causa fieri debere existimet. Primum igitur acta Cæsaris servanda esse censet, non quo probet, sed quia ratio maxime habenda sit pacis et otii. In quo tamen quærendum esse, quemadmodum Antonius acta Cæsaris defendere velit; an in commentariolis et chirographis et libellis ipso uno (Antonio) prolatis ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, an in legibus a Cæsare in æs incisis acta ista firma esse velit. Itaque docet nihil tam esse in actis Cæsaris quam leges Cæsaris. In his acta Cæsaris dissolvi, ferendum non esse. Hic igitur commemorat legem, ne prætoriæ provinciæ plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtineantur. Deinde ostendit lege illa quam Antonius promulgaverat de tertia decuria judicum omnes judiciarias Cæsaris leges tolli. Alteram ab Antonio promulgatam, ut et de vi et de majestate damnati ad populum provocent, si velint, quum omnium legum dissolutionem esse, tum inprimis Cæsaris legibus obrogare, quæ jubeant, ei qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua et igni interdici. Ut igitur conservandæ concordiæ causa leges quas vivus Cæsär tulerit, infirmandas non esse arbitretur, sic ne illas quidem, quas Antonius post mortem Cæsaris protulerit, evertendas censere. Antonium vero quasi a Cæsaris mortui commentariis exsules reduxisse, civitatem non singulis, sed nationibus et provinciis universis dedisse, immunitatibus infinitis vectigalia sustulisse; metuendum vero esse ne Antonius, tribunorum intercessione, auspiciis neglectis, vi et armis, quæcumque libitum fuerit, pro legibus obtrudat, cap. 7-10. Jam si libere quæ sentiat de republica dixerit, primum deprecatur, ne sibi Antonius irascatur, deinde si hoc non impetret, petit, ut sic irascatur, ut civi, armorum vi abstineat, cap. 11. Postremo utrumque consulem Dolabellam præsentem, Antonium absentem cohortatur, ut, quod sit verum iter ad gloriam, cogitent, quippe

quæ sit laus recte factorum magnorumque in rempublicam fama meritorum, quæ quum optimi cujusque tum etiam multitudinis judicio comprobetur, cap. 12-15.

Quum igitur de hac Ciceronis oratione ad Antonium relatum esset, hic vehementer iratus Ciceroni inimicitias denuntiavit, eumque a. d. XIII kal. octobr. in senatu adesse jussit. Hic autem partim ab amicis admonitus, partim ipse vitæ periculum ab Antonio metuens (etsi Phil. V, 7, ait per amicos sibi cupienti in senatum venire haud licuisse) ei parere noluit. Quum igitur dies XIII kal. oct. venisset, Antonius qui XVII dies in Tiburtino Scipionis orationem meditatus declamitando se exercuisset, in senatu acerbissime in Ciceronem invectus est. Huic orationi Cicero opposuit orationem Philippicam secundam numquam habitam, sed tamen ita compositam quasi ipse in senatu eodem die Antonio respondisset. Etenim, cap. 43: « nescis, inquit, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati? etc. » Jam ludorum Romanorum primus dies erat XVII kal. oct. quartus XIV kal. oct. quem quum Cicero hesternum dicat, sequitur eum orationem Philippicam II sic instituisse, ut eam XIII kal. oct. habitam esse finxerit.

II. In hac igitur oratione, post exordium, c. 1, quo Antonium cum Catilina et Clodio comparat, primum ei respondet, quod amicitiam a Cicerone violatam esse criminatus erat. Itaque negat se ei injuriam fecisse, quod aliquando contra ejus injuriam familiarem quemdam defenderit, negat Antonium se olim in disciplinam suam tradidisse; negat eum sibi auguratus petitionem concessisse, c. 2; negat in eo magnum sibi beneficium tribuisse, quod se Brundisii non occiderit, neque tamen se in eum ingratum fuisse, quod nuper in senatu de ejus injuriis in rempublicam questus fuerit, quum nihil sit a se cum ejus contumelia, nihil non moderate, non amice dictum, c. 3. Deinde graviter repre-

hendit Antonium, quod literas ad eum scriptas in medium protulerit palamque recitaverit, cap. 4. Jam accedit ad alias Antonii reprehensiones. Ac primo quidem summa injuria consulatum suum, ab Antonio reprehensum ostendit, c. 5, 6. Deinde refutat criminationem, qua clivum Capitolinum Cicerone consule plenum servorum armatorum fuisse dixerat, cap. 7. Deinde impudenter eum mentiri demonstrat, quod neget corpus vitrici sui, P. Lentuli, qui cum Catilina in rempublicam conjuraverat, ad sepulturam a Cicerone datum, simulque eum carpit, quod male salsus fuerit in reprehendendo Ciceronis versiculo : *Cèdant arma togæ.* Sequitur aliarum criminationum refutatio, quod P. Clodium suo consilio interfectum, c. 9; quod sua opera Pompeium a Cæsare disjunctum ob eamque causam sua culpa civile bellum esse natum, c. 10; quod Cæsarem suo consilio interfectum dixerit, c. 11-14. Denique Antonium perstringit, quod sibi castra Pompeii et omne illud tempus objecerat, c. 15, et quod hereditates sibi venisse negaverat, c. 16; omnemque hanc disputationem irrisione Antonii, quod has nugas tot dies in aliena villa declamando commentatus sit, Sextique Clodii, quem eloquentiæ magistrum adhibuerit, concludit, c. 17.

Sequitur altera orationis pars, qua totam Antonii vitam exagitat. In qua exprobrat adolescentiam stupris et pecuniæ decoctione infamem, c. 18; intimam in tribunatu cum Clodio consuetudinem, iter Alexandriam duce Gabinio contra senatus auctoritatem et religionis susceptum, reditumque in Galliam, c. 19. Deinde quæsturam ejus iterque ad Cæsarem, ut ejus proquæstor esset, c. 20; et tribunatum Cæsari venditum et emancipatum, in quo ei causam belli civilis dederit, reprehendit, c. 22, 23; in reditu a prælio Pharsalico quam turpiter se gesserit, c. 24, 25; post Cæsaris reditum ab Alexandria quam insolenter in Pompeii fortunas invaserit, narrat, c. 26-28. Deinde ei objicitur, quod Cæsarem in Africam non sequutus sit, quod eum Cæsar post reditum ex

Africa de pecunia quam pro domo, pro hortis, pro sectione bonorum Pompeii debebat, appellaverit; quod rumor fuerit, illis ipsis temporibus domi Cæsaris percussorem ab isto missum deprehensum esse, c. 29. Tum ejus iter in Hispaniam, quo tamen tuto se pervenire haud potuisse dixerat, et Narbone reditum perstringit, c. 30, 31. Postremo, quæ ab eo post Cæsaris reditum ex Hispania, et post ejus mortem acta sint, exagitantur. In his primum ejus perfidia in Dolabellam, quem consulatu a Cæsare promisso dejicere studuit, c. 32, 33; deinde turpissimum ejus facinus, quo Lupercalibus Cæsari diadema quasi populi jussu delatum imposuit, notatur, c. 34. Tum ei objicitur, quod post Cæsaris interitum, c. 35, funeri ejus præfuerit, eumque in concione laudaverit, c. 36. Deinde objurgat Antonium quod, etsi antea in Capitolio præclara senatusconsulta fecerit, ne qua post idus martias immunitatis tabula, neve cujusquam beneficii figeretur, idemque dictaturæ nomen in perpetuum de republica sustulerit, idem tamen mox immunitates populis universis, civitatem provinciis totis dederit, septies millies sestertium ex æde Opis abstulerit, Armeniam regi Dejotaro reddiderit, infinitos Cæsaris nomine commentarios, et innumerabilia chirographa confecerit, Cretam vectigalibus et provinciæ nomine liberarit, novas de exsulibus reducendis leges fixerit, in percursatione Italiæ mense aprili et maio agrum Campanum compransoribus et collusoribus diviserit, Casilinum coloniam deduxerit, quo Cæsar jam paucis annis ante deduxisset, M. Varronis fundum invaserit, in ejus villa multos dies perbacchatus, c. 37-41; inde Romam cum militibus redierit, leges Cæsaris resciderit, testamentum ejus irritum fecerit; in ipsis autem honoribus Cæsari decretis negligentior fuerit, quam ut in ejus memoria diligens possit haberi, c. 43. Postremo eum castigat, quod hoc ipso tempore senatum et forum militibus circumsepserit; minaturque rempublicam ejus cæde ab ista servitute liberatum iri, c. 44.

In conclusione Antonium dicit cum Cæsare sola dominandi cupiditate, ceteris vero rebus nullo modo esse comparandum, eumque, ut cum republica in gratiam redeat, quæ eum tyrannum non sit latura, cohortatur. Sibi vero negat mortem immaturam esse, hoc tantum optare dicit, unum ut moriens populum romanum liberum relinquat, alterum ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur, c. 45, 46. Ceterum hanc orationem Ciceronem non statim, ut eam conscripserat, edidisse, sed Attico tantum legendam dedisse, constat ex epist. ad Att. XV, 13; XVI, 11.

III. Antonius autem VII id. oct. Brundisium profectus est obviam legionibus quatuor, quæ in Macedoniam a Cæsare missæ, post ejus cædem in Italiam reverterunt, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere. Octavianus autem veteranos qui Casilini et Calatiæ erant, quingenis denariis datis in suam sententiam perduxit. Antonius Brundisii singulis militibus centenas drachmas promisit. Quum autem ejus promissis legiones aliquot, inprimis legio Martia, reclamassent, ille domum ad se venire jussit centuriones, quos bene de republica sentire cognoverat, eosque ante pedes suos uxorisque suæ jugulari coegit (Cic. Philipp. III, 2; V, 22; XIII, 18). Paullo post Albæ Pompeiæ e quatuor istis legionibus Macedonicis legio Martia Antonium reliquit, et ad Octavianum transiit. Eamdem imitata est legio Quarta duce L. Egnatuleio quæstore. Interim Antonius edixerat ut senatus frequens adesset a. d. VIII kal. dec. sed quum ipse eum diem obire neglexisset, a. d. IV kal. dec. senatum habuit in Capitolio. Ibi quum nuntius esset legionem Martiam et Quartam ad Octavianum transiisse, repente mente concidit, et paludatus in Galliam citeriorem, Decimi Bruti provinciam, quam ipse tamen a populo obtinuerat, properavit. Eum vero Dec. Brutus provincia exclusit, edictumque proposuit, pollicitus, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique romani potestate (Philipp. III, 4). Cicero autem, qui mense octobri et no-

vembri prædia sua Puteolanum, Sinuessanum, Arpinas obierat, v id. decemb. Romam rediit (ad Fam. XI, 5). Tribuni plebis edixerunt, ut senatus adesset a. d. xiv kal. jan. Cicero etsi statuerat ante kal. januarias in senatum non venire, tamen quum illo die edictum D. Bruti propositum esset, mane in senatum venit. Retulerunt tribuni plebis ad senatum de præsidio consulum designatorum Pansæ et Hirtii, ut senatus kalendis januariis tuto haberi sententiæque de republica libere dici possent. Tum Cicero sententiam rogatus habuit orationem Philippicam tertiam; in qua primum collaudat Cæsarem Octavianum, quod furori Antonii restiterit, exercitu veteranorum militum suapte pecunia comparato, c. 1, 2; legionem item Martiam et Quartam, quod Antonium reliquerint, seque ad Cæsaris auctoritatem exercitumque contulerint, c. 3; deinde magnis laudibus effert D. Bruti edictum paullo ante propositum, c. 4, 5; tum persequitur Antonii impudentiam, ejusque maledicta in Octavianum, in Q. Ciceronem filium, perstringit, c. 6, 7; inprimis edictum, quo senatum a. d. viii kal. decembr. adesse jusserat, exagitat; fugam denique miseram et fœdam carpit, c. 8, 9. Tum tribunis plebis gratias agit; quod de præsidio consulum senatusque retulerint, acerrimumque libertatis defendendæ studium commendat; Antonii tetra, injusta, crudelia facinora recenset, eumque ut cum fratribus ab urbe arceant, nec armis solum, sed decretis quoque urgeant, hortatur; suam operam pollicetur; de Bruto, de Octaviano, de Hirtio et Pansa coss. designatis, optime sperare jubet, c. 10-14. Denique in fine orationis sententiam, quam rogatus erat, breviter concludit, censetque, ut coss. designati operam dent, ut senatus kal. jan. tuto haberi possit; præterea D. Brutum, Cæsarem Octavianum laudandos, legioni vero Martiæ et Quartæ ob merita in remp. honores habendos, et gratias referendas esse, c. 15.

IV. Facto senatusconsulto in Ciceronis sententiam (Dio Cass. lib. XLV) eodem die, senatu dimisso, in concionem prodiit, habuitque orationem Philippicam quartam,

in qua quæ acta sint in senatu breviter refert, Antoniumque a senatu hostem, nondum verbo appellatum, sed re jam judicatum esse nuntiat. Idque confirmat Cæsaris Octaviani facto, qui exercitum contra Antonium comparando summas a senatu laudes consequutus sit; deinde legionis Martiæ et Quartæ, qui consulem reliquerint, facto, a senatu et populo romano comprobato; denique D. Bruti et provinciæ Galliæ consiliis, a senatu laudatis, quod senatus auctoritatem populique romani libertatem et imperium ab Antonio, i. e. ab hoste defendendam susceperint, c. 1-4. Postremo Quirites ad recuperandam libertatem cohortatur, seque quantum in ea re cum labore, vigiliis, auctoritate, consilio efficere possit, nihil prætermissurum profitetur.

V. Interim Antonius Mutinam obsidere, ibique D. Brutum oppugnare cœpit. Kalendis igitur januariis A. U. C. 710, consules C. Vibius Pansa, A. Hirtius convocato in Capitolium senatu, non solum de Mutinæ obsidione, sed omnino de tota republ. deque honoribus et præmiis bene de republica meritorum, de quibus XIII kal. jan. SCtum factum erat, retulerunt. Qui primus sententiam rogatus est, non, ut nonnulli putarunt, L. Piso, sed, quod Manutius vidit, Q. Fufius Calenus legatos censuit ad Antonium de pace mittendos. Cicero autem quum esset sententiam rogatus, quid ipse censeret, exposuit oratione Philippica quinta, cujus partes duæ sunt; altera de republica universa, inprimis quid de Antonio decernendum sit; altera de honoribus iis decernendis qui rempublicam adversus Antonium defendant.

Prima igitur parte ostendit, si M. Antonius pacem velit, postulandum esse, ut arma ponat, ut roget, ut deprecetur. Legatos vero ad eum mittere non jam levitatis esse, sed dementiæ. Commemorat igitur leges Cæsaris, cujus acta se defendere dicat, ab eo eversas; novas per vim et contra auspicia latas; dissipationem pecuniæ publicæ; immanes quæstus, venditis falsis decretis, regnis, civitatibus, immu-

nitatibus, falsis SCtis factos. Pessimos homines in tertiam decuriam judicum conjectos; armatos homines in templo Concordiæ, quo senatum convocaverat, collocatos; itineris Brundisini flagitia, et postquam in urbem redisset, repentinam ejus fugam, bellum provinciæ Galliæ illatum, Mutinam obsessam, Brutum oppugnatum, c. 1-9. Ad hunc legatos non esse mittendos; id enim æque inutile ac periculosum esse, sive ille paruerit legatis, sive non paruerit, c. 10, 11. Itaque potius censet rem administrandam sine ulla mora et confestim gerendam; tumultum decerni, justitium indici, saga sumi oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in urbe et in Italia præter Galliam tota; omninoque consulibus solam rempublicam commendandam; hisque permittendum esse, ut rempublicam defendant, provideantque ne quid respubl. detrimenti capiat; denique ut iis qui in exercitu Antonii sint, ne sit ea res fraudi, si ante kal. febr. ab èo discesserint, c. 12.

Altera parte agit de honoribus Decimo Bruto, c. 13; M. Lepido, c. 14, 15; Cæsari Octaviano, c. 16-18; L. Egnatuleio, militibus veteranis legionis Martiæ et Quartæ habendis, c. 19.

VI. Huic sententiæ L. Piso inprimis (teste Appiano de B. C. III, 50) restitit, censuitque potius Antonio diem dicendum. Ita senatus divisis fere æqualiter sententiis ad noctem usque protractus, reque non confecta dimissus est. Postridie Patres in curiam redierunt, ubi prægravante Ciceronis factione hostis esset judicatus Antonius, nisi Salvius tribunus plebis intercessisset; remque integram in crastinum differri jussisset. Idque frustra repugnantibus Cicerone aliisque senatoribus factum est; SCto tamen D. Brutus laudatus, quod Gallia non decessisset Antonio, decretumque ut cum Hirtio et Pansa coss. Cæsar Octavianus præesset iis, quas tum habebat copiis, et aurata ei poneretur statua; ut sententiam posthac inter consulares diceret; et jus petendi consulatus haberet decennio ante ætatem legitimam; denique ut duabus

legionibus, quæ ad eum ab Antonio transierant, congiarium quantum ipse Cæsar post victoriam se daturum pollicitus esset, ex ærario redderetur. Tertio die pridie non. jan. quum per noctem Antonii mater et uxor cum filio potentibus miserabiliter supplicassent, multisque senatoribus in curiam euntibus ad pedes accidissent, exitum rei metuens Cicero iterum in senatu invectus est in Antonium, hostemque eum judicandum esse censuit, quæ sententia vicisset, nisi L. Piso surrexisset, et crimina Antonio objecta diluere studuisset. Cujus sententiæ quod fuerit argumentum exposuit Appianus ibid. c. 54 seqq. Itaque hac oratione effecit, ne hostis judicaretur Antonius, neque tamen pervicit, ut ei Gallia decerneretur provincia. Decretum potius est, ut ei Macedonia pro Gallia offerretur. Cetera mandata Ciceroni perscribenda commiserunt, et per legatos ad Antonium mittenda. Mandatorum autem hanc summam fuisse Appianus narrat: Antonius a Mutina confestim abscedito; D. Bruto Galliam relinquito; intra Rubiconem Italiæ Galliæque terminum ante præstitutum diem se recipito; resque suas cunctas arbitrio senatus permittito. Senatu dimisso Cicero productus ab Apuleio tribuno plebis, concionem habuit ad populum quæ est oratio Philippica sexta, in qua narrat se invito decretum esse, legatos ad Antonium mittendos, eorumque mandata his verbis exponit: «Mittuntur qui nuntient, ne oppugnet consulem designatum (D. Brutum), ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur, ne delectus habeat, sit in senatus populique romani potestate», c. 1, 2. Quibus mandatis Cicero apud populum testificatur et prædicit pariturum non esse Antonium, c. 3; neque se metuere dicit, ne ille, refellendi sui causa, vertat se et senatui pareat. Quin, si ipse velit, id L. fratrem passurum non esse, cujus impudentiam et superbiam acerbe perstringit, c. 4, 5. Postremo hortatur Quirites, ut legatorum reditum æquo animo exspectent; et si pacem attulerint, cupidum se; si bellum, providum judicent; simul, voluntate sua in rempublicam declaratâ, ut perstent in libertate defendenda hortatur.

VII. Legati ad Antonium profecti sunt Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus. Quorum reditus quum exspectaretur, interimque Antonii amici, quæ responsurus esset Antonius varie confingerent, Cicero veritus ne animi senatorum ad pacem inclinarent, habuit in senatu orationem Philippicam septimam, in qua postquam exposuit, quæ nonnulli Antonii responsa confingant, quum alii dicant postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur, alii remittere eum Galliam citeriorem, ultimam poscere, alii eum jam nihil nisi modestum postulare, declarat se alias semper pacis auctorem, pacem cum Antonio esse nolle, idque tres ob causas, quia turpis sit, quia periculosa, quia esse non possit, c. 1-3.

Primum igitur turpitudinem pacis cum Antonio exponit, c. 4; turpem esse pacem, quia turpis sit inconstantia, inconstantis autem sit, quem modo hostem non verbo, sed re multis decretis senatus judicarit, cum hoc subito pace velle conjungi; et quia summum dedecus sit, Antonium tot sceleribus obrutum in ordinem senatorium recipi. Deinde docet periculosum esse in civitate Antonium, vel potius Antonios videre; seque bellum pacis nomine involutum reformidare. Si pace frui velint, bellum gerendum esse. Tertio loco ostendit ne coagmentari quidem posse pacem cum Antonio. Eum enim neque cum senatu, neque cum equitibus, neque cum universo populo, neque cum municipiis, neque cum principibus aliquot viris pacem servaturum, c. 5-8. Itaque monet Patres conscriptos, ut auctoritatem suam integram servent; inprimis autem consulem Pansam hortatur, ut tantum apparatum suum tamque præclarum ne ad nihilum recidere patiatur, c. 9.

VIII. E legatis ad M. Antonium Ser. Sulpicius in legatione morbo oppressus diem obiit supremum. Piso et Philippus initio mensis februarii reversi ab Antonio intolerabilia ejus postulata retulerunt. (Philipp. VIII, c. 9.) Quibus auditis senatus tumultum decrevit. Vicit enim sententia eorum quibus belli nomen haud placeret. Itaque Cicero in senatu

habuit orationem Philippicam octavam, ubi primum nimiam eorum lenitatem reprehendit, qui tumultus potius quam belli nomen in sententia ponendum esse censuerant. In quo eos errore verbi illusos esse dicit. Gravius enim esse tumultum quam bellum, et bellum esse posse sine tumultu, tumultum esse sine bello non posse. Sed verum esse bellum cum Antonio docet, quod ille D. Brutum oppugnet, Mutinam obsideat, Galliam devastet, omninoque sic agat, ut se hostem esse reipublicæ ostendat, c. 1-3. Deinde Q. Fufium Calenum refutat, qui pacem suaserat, Antonium defenderat, in Massilienses acerbus fuerat, c. 4-6. Tum reliquos consulares reprehendit, qui iterum ad Antonium legatos mittendos esse censuerant, c. 7, 8. Deinde mandata Antonii, quæ legati retulerant, perstringit; simul legatos ipsos vituperat, quod ista mandata auribus accipere potuerint, præsertim quum iis Antonius nihil tribuerit, contra Antonii legato L. Vario Cotylæ multa concessa sint, quæ a dignitate senatus populique romani abhorrerent, c. 9, 10. Postremo quid de his rebus censeat, exponit: eorum qui cum Antonio sunt, qui ab armis discesserint ante idus martias primas iis fraudi ne sit quod cum Antonio fuerint. Si quis eorum qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod honore præmioque dignum esse videatur, uti consules de iis primo quoque die ad senatum referant. Si quis post hoc senatusconsultum ad Antonium profectus fuerit, præter L. Varium Cotylam, senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse.

IX. Paullo post quum consul Pansa de honore Ser. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Pisone et Philippo missus, prope castra quidem pervenerat, sed antequam senatus mandata exponeret, obierat, P. Servilius sententiam rogatus decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit, quod hunc honorem nemini tribuendum putabat, nisi qui ferro in legatione esset interfectus. Post eum Cicero sententiam rogatus habuit orationem Philippicam nonam, in qua primum Ser. Sulpicii mortem dolet, eumque laudat,

quod non recusaverit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicæ ferre posset, experiretur, c. 1. Laudat igitur C. Pansam cos. quod senatores ad honorandum Ser. Sulpicium cohortatus sit; deinde respondet P. Servilio, qui statuæ honorem nemini tribuendum censuerat, nisi qui ferro essset in legatione interfectus. Servilio nimirum more majorum statuam deberi censet, quia ipsa legatio ei morbum attulerit, c. 2, 3; eam vero eo magis a senatu Sulpicio deberi, quod quum ille morbum excusasset, tamen auctoritate suà et voluntate eum ad legationem hanc, etiam cum mortis periculo obeundam, compulerint, c. 4, 5; gratiorem tamen ipsi Sulpicio, si sensus sit in morte, futuram esse dicit æneam statuam eamque pedestrem, quam inauratam equestrem. Itaque censet ejusmodi statuam in Rostris statuendam, causamque hujus honoris in basi inscribendam, amplissimum ei funus habendum, locumque sepulcro in campo Esquilino assignandum esse; quod ipsius, liberorum posterorumque ejus sit, uti quod optimo jure sit publice datum, c. 6 seqq.

X. M. Brutus, qui anno superiore in Græciam profectus erat, quum Athenas venisset, multos nobiles adolescentes, in his Ciceronem filium sibi adjunxit, eoque legato usus multa feliciter gessit. Postea quum in Macedoniam transiisset, Q. Hortensius, cui C. Antonius Marci frater succedebat, exercitum, quem delectu habito conscripserat, Bruto tradidit. Legio item, quam L. Piso ducebat legatus Antonii, Ciceroni filio se tradidit. Equitatus qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eum a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens a Cinna, legato Syriaco, abduxit. P. autem Vatinius aperuit Dyrrachii portas Bruto et exercitum tradidit. His de rebus Brutus literas publice misit, quas Pansa consul in senatu recitavit, eumque laudibus ornavit. Primus deinde sententiam rogatus Q. Fufius Calenus iniquior fuit in Brutum; etsi enim literas Bruti recte et ordine scriptas

videri dixit, tamen legiones ab eo abducendas esse censuit. Itaque Cicero sententiam rogatus habuit orationem Philippicam decimam, in qua post gratias Pansæ consuli actas statim Calenum aggreditur, miraturque eum ita sententias dicere, ut nemo ei assentiatur, semper sui dissimiles defendere, eaque sentire quæ sint inimica et otio communi et dignitati suæ, c. 1, 2. Quærit deinde quid sit, quod Calenus legiones a Bruto abducendas censeat, quas ille ab Antonii scelere averterit, et ad rempublicam sua auctoritate traduxerit; pluribusque verbis ostendit, si C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset, Romanos Macedoniam, Illyricum, Græciam perdituros fuisse; id ne factum sit accidisse virtute M. Bruti, qui C. Antonii conatibus obstiterit. Quare si ipsa resp. judicaret, eam legiones populi romani M. Bruto, qui eam conservet, non C. Antonio, qui eam evertat, adjudicaturam, c. 3-6. Vanum deinde esse dicit, quod quidam se timere dicant, quomodo ferant veterani, M. Brutum exercitum habere. Nihil esse cur M. Brutus ejusque exercitus veteranis suspectus sit. Ipsum potius Pansam consulem tantum abfuisse, ut periculosum reipublicæ M. Bruti putaret exercitum, ut potius in eo firmissimum reipublicæ præsidium et gravissimum poneret. Esse etiam absurdam rationem, semper optimis causis veteranorum nomen opponere. Plurimos esse præter veteranos, qui libertatem populi romani defendant; undique omnes concurrere, ad commune incendium restinguendum. Itaque censet M. Brutum publice laudandum, eique committendum, ut provinciam Macedoniam, Illyricum totamque Græciam tueatur, exercitui præsit, pecuniaque si qua opus sit, quæ publica sit, et exigi possit, utatur et exigat; Q. Hortensium quoque, quod opera et virtute rempublicam adjuverit publice laudandum, eique permittendum esse, ut cum quæstoribus, prove quæstoribus, et legatis suis provinciam Macedoniam obtineat, quoad ei ex senatusconsulto successum sit.

XI. C. Trebonius illo tempore Asiam provinciam obtinebat.

2.

Eum P. Dolabella in Syriam, Antonii lege sibi traditam, proficiscens post collocutiones familiares cum eo habitas, falsaque et simulata benivolentia eum complexus, Smyrnæ oppressit, captumque Samiario exsuli tradidit, per biduum verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ; post cervicibus fractis caput abscidit, idque adfixum gestari jussit in pilo, reliquum corpus tractum atque laniatum in mare abjecit. Quo scelere a. d. kalend. april. Romam nuntiato, Dolabella hostis a senatu judicatus est. Postridie actum est in senatu de imperatore deligendo, qui bello Dolabellam persequeretur. Hic L. Cæsar censuit, ut P. Serviiio hoc bellum extra ordinem mandaretur; aliis placuit, ut consules Dolabellæ persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur. Cicero sententiam rogatus dixit orationem Philippicam undecimam, in qua statim id egit, ut scelus Dolabellæ cum M. Antonii immanitate conjunctum, in illo crudelitatis Antonii imaginem, ab hoc illi scelerum præcepta tradita esse, doceret, c. 1-3. Deinde postquam Dolabellam multo miseriorem esse, quam Trebonium, quem ille miserrimum esse voluerit, demonstravit, monet senatum, ut tanto diligentius et vigilantius caveant Antonium, qui multo plures, quam Dolabella secum latrones habeat, c. 6. Deinde quoniam Dolabella, utpote hostis judicatus, bello persequendus erat, Cicero sententias de imperatore deligendo ante se dictas examinat. Ac primum quidem contra L. Cæsaris sententiam disputat, qui extraordinarium imperium P. Servilio privato deferendum esse censuerat; ostenditque ejusmodi imperium minime senatus gravitati convenire. Habere etiam hoc incommodum, quod ambitio introducatur in curiam. Neque sibi objiciendum esse, quod ipse Cæsari Octaviano adolescenti imperium extraordinarium sua sententia dederit. Sed hoc factum esse, quod ille reipubl. magnum præsidium, ne cogitatum quidem attulisset. Itaque ei aut exercitum adimendum, aut imperium dandum fuisse. Otioso vero nihil agenti privato numquam esse imperium

a senatu datum, c. 7, 8. Deinde accedit ad alteram sententiam, ut consules Dolabellæ persequendi causa Asiam et Syriam sortiantur. Eam vero rationem Cicero et turpem consulibus et reipublicæ inutilem esse docet, c. 9, 10. Ipse autem censet ad persequendum Dolabellam expedito homine et parato opus esse, et eo qui imperium legitimum habeat; qui præterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in republica. Eum vero esse aut M. Brutum, aut C. Cassium, aut utrumque. Sed quia M. Brutum utilius sit in Græcia manere, præsertim quum C. Antonius adhuc teneat Apolloniam, Byllidem, Amantiam; instet Epiro; urgeat Illyricum: C. Cassio potius bellum adversus Dolabellam committendum esse censet; ita ut proconsul provinciam Syriam obtineat, a Q. Marcio Crispo procos. L. Statio Murco procos. A. Allieno legato exercitus accipiat; cumque his copiis, et si quas præterea paraverit bello P. Dolabellam terra marique persequatur, utque ejus belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, cetera imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto jus potestatemque habeat, c. 11-14. His dictis respondet iis, qui a se Brutum et Cassium nimis exornari dicebant; et qui metuebant, ne veteranos ea re offenderet, c. 14, 15. Hæc sententia, ut Cicero scribit ad Cassium (ad Fam. XII, 17), in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer restitisset. Attamen ea sententia dicta productus est Cicero in concionem a tribuno plebis M. Servilio. Ibi de Cassio dixit summo clamore et consensu populi. Sane paullo post, ut scribit Velleius Paterculus, lib. II, c. 62, Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine ullo senatusconsulto occupaverant, decretæ. Laudati quicumque his se exercitus tradidissent, omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. Ceterum Cassius jam ante quam id rescire posset, multa adversus Dolabellam prospere gesserat, atque ab Allieno et Murco, et Crispo exercitus acceperat (quod ipse narrat Epist. ad Fam. XII, 12).

XII. Paullo post a Pisone et Q. Fufio Caleno injecta erat mentio pacis cum Antonio faciendæ. Id Pansa consul, et Cicero ipse cum aliis sic interpretabatur, eum in his angustiis esse, ut spes afferatur deditionis. Et Ciceronis quidem spem augebat hoc, quod domum Antonii afflictam mœstitia, lamentari uxorem audiverat, fautores quoque Antonii tristiores videbat. Itaque constitutum est, legatos iterum ad Antonium de pace mittendos esse. Sero tamen intellectum est, libertatis defensores ab amicis Antonii deceptos esse. Itaque Cicero in senatu habuit orationem Philippicam duodecimam, cujus in exordio breviter narrat, quo errore factum sit, ut legatio decerneretur, c. 1, 2; deinde ostendit optimum portum pœnitenti mutationem esse consilii, ideoque omittendam esse legationem ad Antonium jam decretam. Eam enim non solum reipublicæ nihil prodesse, sed etiam obfuturam esse, immo jam nocuisse. Fama enim decretæ hujus legationis imminutam esse populi romani libertatis recuperandæ cupiditatem, debilitatum iri municipiorum et coloniarum studia, metuendum esse ne legionum fortitudo hoc nuntio allato languescat; præterea iniquissimum esse imperatoribus, qui bellum gerant, inscientibus de pace decernere. Denique Galliam, quæ omnes æquo animo belli injurias tulerit, hanc rem molestissime laturam, c. 3, 4. Deinde demonstrat ne posse quidem ullam pacem fieri cum Antonio; nihil enim ei earum rerum quas postulet, concedi posse. Neque eum verecundiorem in postulando fore, quam fuerit tum, quum mandata miserit ad senatum, c. 5-7. Quod si autem habenda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuerit, suam tamen personam ad istam pacem conciliandam minime fuisse deligendam. Se enim semper hanc pacem dissuasisse, se sine summo dolore M. Antonium hostem suum crudelissimum, ejusque fratrem Lucium, eorumque asseclas adspicere non posse; denique vitæ suæ habendam sibi aliquam esse rationem. Itaque demonstrat, quantæ insidiæ sibi in itinere, in congressu cum Antoniis, in reditu immineant. Postremo se, si tuto licuerit ire, profecturum, omninoque

totum hoc consilium non e periculo suo, sed ex utilitate reipublicæ judicaturum esse declarat, c. 8-12.

XIII. Post hanc orationem, mense aprili, Pansa consul profectus est ad bellum cum M. Antonio, qui Mutinam obsidebat, gerendum. (Cf. Ep. ad Fam. X, 30.) Interim M. Æmilius Lepidus, pontifex maximus, qui, etsi ei decreta erat Hispania, in Gallia morabatur, et jam tum ad Antonii partes inclinabat, literis ad senatum missis eum ad pacem cum Antonio faciendam cohortatus est. Ad eum exeunte martio (ad Fam. X, 27) ita scripserat Cicero: « Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse lætor. Eam si a servitute sejungis, consules et reipublicæ et dignitati tuæ. Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos esse, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius meo quidem judicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque senatui, neque populo, nec cuiquam bono probatur ». Sed de literis istis M. Lepidi quum esset in senatu relatum, Cicero Servilii sententiæ assensus habuit in senatu orationem Philippicam tertiam decimam, in qua primum declarat se a principio hujus belli timuisse, ne conditio insidiosa pacis libertatis studia restingueret. Quamvis enim dulce sit ipsum nomen pacis, res vero ipsa tum jucunda, tum salutaris, pacem tamen cum Antonio ejusque fratribus et asseclis esse non posse, c. 1-3. At enim M. Lepidum imperatorem iterum, pontificem maximum ad pacem adhortari. Cujus quum apud se vel propter ipsius virtutem, vel propter familiæ dignitatem, denique ob magna ejus in se merita, et sua quædam in illum officia summa sit auctoritas, idemque rempublicam magno beneficio affecerit, pace cum Sex. Pompeio Cn. Magni filio conciliata, tamen talem virum et civem opinione labi posse, voluntate a republica dissidere nullo pacto posse. Neque enim exspectandum esse, ut, qualem Pompeium respublica habitura sit civem, tales futuros in republica Antonios, c. 4, 5. Et quoniam fuerant in senatu, qui pacem cum Antonio suaserant, quod ad eam Lepidus hor-

taretur, qui cogere posset, providendum esse Lepido dicit, ne quid arrogantius, quam ejus mores ferant, facere videatur. Si enim exercitu terrere velit, non meminisse eum, illum exercitum senatus populique romani non suum esse, neque ei licere hunc exercitum contra patriam ducere, c. 6, 7. Et quod nonnulli periculum metuant, ne ab ipso Antonio patria opprimatur, ostendit hoc tanti non esse, ut populus romanus ejus metu adductus pacem cum homine faciat, cujus ne supplicio quidem ullo satiari posse videatur, c. 8, 9. Id ut magis confirmet recitat literas Antonii nuper ad Hirtium cos. et Cæsarem Octavianum scriptas, earumque singulas sententias partim salse, partim acerbe perstringit, c. 10-20. Postremo de mandatis literisque M. Lepido et Servilio assentiri dicit, qui nullam cum Antonio pacem faciendam esse censuerat; præterea Sex. Pompeium Cn. filium publice collaudandum censet, idque vel cum altero senatusconsulto conjungendum, vel separatim perscribendum esse, ut proprio senatusconsulto Pompeius collaudatus esse videatur, c. 21.

XIV. Paullo post hanc orationem in senatu habitam tristes a Mutina rumores Romam venerunt; D. Brutum, fame laborantem, jam eo adactum esse, ut de deditione cogitaret; sermoque exortus est, Ciceronem pridie Vinalia cum fascibus descensurum esse. Sed aliquot diebus post P. Apuleius tribunus plebis concionem habuit, in qua quum Ciceronem liberare suspicione fascium vellet; una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a Cicerone umquam de republica, nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribusve horis optatissimi nuntii et literæ de rebus apud Mutinam gestis Romam venerunt. Ducibus enim Hirtio et Pansa coss. itemque Cæsare Octaviano proprætore, Antonius uno die tribus locis victus est. Et Pansa quidem consul, qui suo loco confligendi initium fecerat, duobus vulneribus acceptis, Bononiam delatus est. Quum igitur trium ducum C. Pansæ, A. Hirtii coss. Cæsaris Octaviani proprætoris literæ allatæ essent, quibus Antonius tribus locis victus et

profligatus esse nuntiabatur, nondum tamen D. Bruto obsidione Mutinæ liberato, repente a populo lætitia elato Cicero in Capitolium deductus est, indeque domum cum gratulatione reductus. Postridie autem, pridie Vinalia x kal. maii Cicero habuit in senatu orationem Philippicam decimam quartam, cujus in principio statim refutat sententiam eorum, qui quasi jam omnia confecta essent a sagis ad pristinum vestitum redeundum esse censuerant, monetque exspectandum esse, donec Brutum egressum esse Mutina cognoverint; ejus enim salutem hujus belli confectionem esse, c. 1, 2. Deinde quum exercituum gladii sanguine madefacti sint duobus consulum, tertio Cæsaris Octaviani prælio, eos adversus quos pugnaverint, non cives, sed hostes habendos esse. Mirum igitur esse, Antonium, qui omnes hostes scelere superaverit, nomine adhuc hostis carere; supplicationem de victoria decerni, hostem Antonium non appellari, c. 3, 4. Deinde censet præter supplicationem jam Servilii sententia decretam, tres illos duces Hirtium, Pansam, Cæsarem imperatores appellandos esse. Utroque autem et supplicationis, et imperatorii nominis honore necessario declarari hostem esse Antonium, c. 5-8. Sequuntur singulorum ducum laudes, quibus expositis Cicero aucto dierum numero, eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes vel ab ipsis consulibus, vel, si abfuerint, a M. Cornuto prætore urbano ad omnia pulvinaria habendas decernit, c. 10. Deinde ostendit declarandum esse militibus fortissimis quam memores sint cives eorum virtutis, quamque grati. Itaque primum ea, quæ promissa sint legionibus hodierno SCto renovanda esse censet, c. 11; deinde legionis Martiæ militibus, eisque qui una pugnantes occiderint, monumentum quam amplissimum faciendum esse, incisisque literis virtutis testibus memoriam eorum posteritati commendandam, c. 12; postremo proximos eorum, qui pro patria in illis præliis occiderint consolandos esse. Quibus quidem etsi optima hæc quidem consolatio sit parentibus, quod tanta reipublicæ præsidia genuerint; liberis, quod habituri sint domestica

exempla virtutis; conjugibus, quod iis viris careant, quos laudare, quam lugere præstet; fratribus, quod in se ut corporum sic virtutum similitudinem esse confisuri sint: tamen his maximum quoque solatium futurum, eodem monumento declarari et virtutem suorum et pietatem et senatus fidem et crudelissimi memoriam belli, in quo nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi concidisset. Postremo censet præmia militibus promissa viris victoribusque cumulate, quum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sint, pro patria occiderint, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus omnia ea tribuenda esse, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si, qui morte vicerint, vivi vicissent. Schutz.

Quatuordecim exstant M. Tullii in Antonium orationes, quas ideo Philippicas inscripsit, quod in illum libertatis publicæ oppugnatorem, ita ut olim in Philippum Demosthenes, cives suos accendat. Antonianæ vocantur a Gellio, I, 22, VII, 11, XIII, 1 et 21, quum tamen antea Philippicas appellare Quintilianus, Juvenalis et Suetonius non dubitaverint. Appianus quoque idem testatur ed. Toll. pag. 968, et Lactantius Divin. Instit. VI, 18, «nobiles orationes alieno titulo inscriptas» appellat. Sed et illud Philippicarum nomen non infaustum minus Romano quam Attico oratori, siquidem male a civibus adjuti pœnas virtutis ac constantiæ pariter dederunt.

Verum insigne ingenii monumentum novissimis illis scriptis consecratum reliquit Cicero. Vigent vivuntque illis orationibus commissi calores; idem apparet orator, qui in Verrem, in Catilinam exstitit, et eo ipso grandior, quod vocem canities commendet, et nescio quid magnum ac solemne mors ipsa hac eloquentia arcessita circumdet. Juvat cum quodam doloris sensu virum illum audire neci obvium, et voces quasi ex aliquo numine supra humanas, ita ut cum Bruto nesciamus «animi an ingenii major in his libellis laus contineatur».

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA PRIMA.

ARGUMENTUM.

Interfecto idibus martiis C. Julio Cæsare, M. Antonius, collega ejus in consulatu, sibi metuens, non solum eo die latuit, verum etiam texit aliquamdiu consilia sua, simulatione ad tempus accommodata. Postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. Post diem tertium, qui fuit XVI kal. april. in ædem Telluris convocato senatu, Cicero, quantum in ipso fuit, jecit fundamenta pacis, discordiarumque memoriam omnem, vetere Atheniensium exemplo, oblivione sempiterna delendam censuit. Quo die præclare de rep. loquutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suæ voluntatis argumenta dare visus est. Misso parvulo filio, pacis obside, in Capitolium, C. Cassium ipse, M. Brutum Lepidus, pontifex max. alii alios ex tyrannoctonis, qui post Cæsaris necem, populi et Antonii maxime consulis metu, in Capitolium se contulerant, cœnæ adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Quum Cæsarem, quamquam in libera civitate, singulari potestate usum, funere tamen efferri placuisset: qui fons malorum omnium fuit (sic enim tyrannum non fuisse judicabatur: nam tyrannorum corpora projiciuntur inhumata): laudavit eum de more Antonius in foro: commemoratisque rebus ab eo gestis, maximisque erga remp. meritis, explicata demum cruenta veste, in qua cæsus fuerat, multis pugionum ictibus perfossa, convertit orationem ad miserationem commovendam, populumque jam dolore incensum in eam iracundiam furoremque impulit, ut statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus concurrerit: unde ægre repulsus est. Brutus et Cassius, vitato præsenti periculo, concitatæ multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam jam satis experti, Antium et Lanuvium aufugerunt, eo consilio, ut inde in provincias a senatu decretas proficiscerentur. Decreverat autem senatus, postridie quam e Capitolio Cæsaris interfectores descenderunt, Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam; D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Cæsare antea, confirmavit. Idem tamen, quasi ad sanitatem revocatus, reliquis diebus in Capitolio præclara SC. fecit, primum illud e Ser. Sulpicii sententia, ne qua post idus mart. immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur: deinde, ut dictaturæ nomen in perpetuum e rep. tolle-

retur. Lux quædam oblata videbatur: erecti erant spe libertatis et otii bonorum animi: constituta resp. putabatur, sed cito ille simulationem sustulit, suique similis visus est: habito enim kalendis jun. senatu, non eum, quem antea, de rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem voluntatem ostendit: nihil deinde ad senatum referebat: per populum, id est, per infimam corruptamque plebem, contempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia contra SC. quod ipse fieri voluerat, tabulas figebat, civitatem immunitatesque dabat, exsules reducebat; eaque se facere omnia dicebat ex legibus Cæsaris, aut ex ejus commentariis. Tum Cicero, desperata prorsus Antonio consule libertate, urbem reliquit, in Græciam iturus, ea mente, ut kalendis jan. quo die Pansa et Hirtius consulatum inituri erant, adesset. Nec tamen iter illud absolvit: nam Leucopetræ adversa tempestate detentus, ab iis, qui ab urbe venerant, et concionem accepit Antonii, quam valde probavit; et ea cognovit, unde revertendi consilium cepit. Post reversionem, de via languens, in senatum, qui kalendis sept. ut Philipp. V legitur, in æde Concordiæ habebatur, non venit. Quo graviter commotus Antonius, fabros se missurum, et domum ejus disturbaturum, audiente senatu, dixit. Postridie, id est, IV nonas sept. in senatum venit, absente Antonio: et hac oratione prima exposuit consilium profectionis et reversionis suæ: deinde questus est graviter de Antonii hesterna injuria: tum leges illius reprehendit: postremo utrumque consulem, absentem Antonium, præsentem Dolabellam, quem sibi, profecturus ad bellum Parthicum, Cæsar suffecerat, hortatur, ut veram solidamque gloriam sequantur; diligi a suis civibus malint, quam metui; rempublicam omni ratione complectantur. Genus orationis demonstrativum est: nam in accusando Antonio potissimum versatur: non enim tam Ciceroni σκοπὸς est, ut consilium exponat profectionis reversionisque suæ: quamquam id omnino fieri decuit, ne boni civis officium deseruisse videretur: quam ut Antonii queratur injuriam, et ejus acta, non modo ut injusta, sed etiam ut Cæsaris actis contraria, reprehendat. Admixta quædam videntur, quæ ad deliberationem pertineant: ut quum acta Cæsaris, præsertim leges ab eo latas, defendenda esse censet, non ferendas autem promulgatas ab Antonio leges, quæ Cæsaris actis adversentur. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN M. ANTONIUM
PHILIPPICA PRIMA.

ORATIO TERTIA ET QUADRAGESIMA.

I. ANTEQUAM[1] de republica, patres conscripti, dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis, et reversionis meæ. Ego quum sperarem[2], aliquando ad vestrum consilium auctoritatemque rempublicam esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia[3] quadam consulari ac senatoria. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos[4], ex eo die[5], quo in

I. 1. *Antequam.* Monent rhetores in genere deliberativo plerumque non requiri exordium, quod pæne semper qui audiunt, satis sint ad audiendum parati. Hic igitur orator exordium omittit, sola dicendorum propositione, sive orationis divisione contentus. — *Reversionis.* Quæ fit, quum quis ex itinere causa aliqua revocatur. Sic de re hac ad Atticum scribens : « Dii immortales, quam valde ille reditu, vel potius reversione mea lætatus ».

2. *Ego quum sperarem.* Quum sperarem statim post id. mart. Cæsare sublato, reipublicæ administrationem, quæ tyrannide Cæsaris senatui erepta fuerat, restitutam, etc.

3. *In vigilia quadam.* Ut in bello fieri solet.

4. *Nec... dejiciebam oculos.* Pergit in translatione. Qui enim vigiliæ munus suscipit, is semper attentus vigilet necesse est.

5. *Ex eo die.* Ex decimo quinto kalendas apriles, sive tertio post idus martias, ut constat a secunda Philippica : « Post diem tertiam veni in

ædem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum, Græcum etiam verbum[6] usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Præclara tum oratio M. Antonii; egregia etiam voluntas; pax denique per eum, et per liberos[7] ejus cum præstantissimis civibus confirmata est. Atque his principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis[8] adhibebat; ad hunc ordinem res optimas deferebat; summa constantia[9] ad ea, quæ quæsita erant, respondebat; nihil tum in C.[10] Cæsaris commentariis reperiebatur[11]. Num

ædem Telluris, etc. » Appianus docet cur Antonius in ædem Telluris senatum convocarit : « Legebatur adhuc noctu dictum Antonii senatum in ædem Telluris convocantis ante lucem, quod ea sedes propinqua esset ædibus ipsius. Neque enim Curiam adire audebat, subjectam Capitolio, quod gladiatores opem ferrent conjuratis ».

6. *Græcum etiam verbum.* Thrasybulus quum restituta libertate Athenienses a rerum civilium perturbatione amovere vellet, decrevit ne quis injuriarum meminisset, cui decreto nomen fuit ἀμνηστία. Et ipse Plutarchus hoc verbo usum Ciceronem testatur : Κικέρων δὲ πολλὰ πρὸς τὸν καιρὸν διελθὼν, ἔπεισε τὴν σύγκλητον, Ἀθηναίους μιμησαμένην, ἀμνηστίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι. Ciceronis hac de re habita oratio desideratur. Fuere qui illam supplere tentaverint ex Dionis Cassii lib. XLIV, cap. 23-33, obliti sane non ab atrocissimo Ciceronis detrectatore posse ejusdem eloquentiam repræsentari. Vide orationi huic subjectum Excursum I.

7. *Et per liberos ejus.* Liberos numero multitudinis pro unico filio, aut etiam pro unica filia latini scriptores libenter usurpant. Vox *liberos* hic significat Antonium, quem M. Antonius ex prima sua conjuge Fadia, M. Fadii Bambalionis filia, susceperat. Conf. inf. cap. 13, et Velleius Paterculus : « Consul velut pacis auctor liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto interfectoribus Cæsaris dedit ».

8. *Principes civitatis.* Pro Sextio : « Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica serviunt, defensores optimatum, ipsique optimates gravissimi et clarissimi cives nominantur, et principes civitatis ». — *Summa constantia.* De librorum in h. l. varietate adi Exc. II.

9. Alii, « cum dignitate et const. »

10. Alii, « nisi quod erat notum omnibus, in C. »

11. *Reperiebatur.* Tunc non libelli

qui exsules restituti [12]? Unum aiebat [13], præterea neminem. Num immunitates datæ? Nullæ, respondebat. Assentiri etiam nos Serv. Sulpicio [14], clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post idus martias ullius decreti Cæsaris aut beneficii figeretur. Multa prætereo, eaque præclara : ad singulare enim M. Antonii factum festinat oratio. Dictaturam, quæ vim jam regiæ potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus. Scriptum senatusconsultum, quod fieri vellet, attulit. Quo recitato, auctoritatem ejus summo studio sequuti sumus, eique amplissimis verbis per senatusconsultum gratias egimus.

II. Lux quædam [1] videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato; magnumque pignus ab eo reipublicæ datum, se liberam civitatem esse velle, quum dictatoris nomen, quod sæpe justum fuisset, propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam, funditus ex republica sustulisset. Liberatus cædis periculo [2] paucis post diebus senatus; uncus impactus est [3] fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Atque hæc omnia com-

Cæsaris proferebantur, in quibus multa invenirentur, quæ dictator numquam cogitavisset.

12. *Restituti*. In Cæsaris Commentariis.

13. *Unum aiebat*. Sextum Clodium de vi damnatum et exsilio multatum, quod, quum in foro famosi Clodii corpus cremavisset, flamma rogi Curiam invasisset. Conf. pro Mil. 12, et notas ad h. l.

14. *Serv. Sulpicio*. De hoc SC. item de dictatura sublata, vide Philipp. II. De Sulpicio præclare dicit Phil. IX.

II. 1. *Lux quædam videbatur oblata*. B. Weisk. conjicit, « Crux quæd. v. ablata ». Ridiculum!

2. *Liberatus cædis periculo*. Servus quidam quem Livii Epitome Chamacem, Valerius Maximus Herophilum, Appianus Amatium appellat, quum se Marii septies consulis filium esse simularet, multas, adhuc vivo Cæsare, turbas in urbe et tota Italia concitarat, et a Cæsare in exsilium ejectus fuerat. Audita ejus nece, in Urbem rediit, plebemque denuo concitavit, et jam in senatus universi necem erat intentus, quum ab Antonio consule primum in vincla conjectus, deinde etiam morte punitus est.

3. *Uncus impactus est*. Quo tractus in gemonias scalas et in Tiberim dejectus.

muniter cum collega[4]. Alia porro propria Dolabellæ: quæ, nisi collega abfuisset[5], credo eis fuisse futura communia. Nam, quum serperet in urbe[6] infinitum malum, idque manaret in dies latius; iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant[7]; et quotidie magis magisque perditi homines, cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur : talis animadversio fuit Dolabellæ, quum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos; talisque eversio illius exsecratæ columnæ, ut mihi mirum videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse.

Ecce enim kalendis juniis[8], quibus ut adessemus edixerat[9], mutata omnia : nihil per senatum, multa et magna per populum[10], et absente populo et invito.

4. *Communiter cum collega.* Cn. Cornelio Dolabella, qui consul in locum Cæsaris mortui suffectus est. De quo infra.

5. *Collega abfuisset.* Antonius enim mensibus aprile atque maio veteranorum colonias peragravit. De qua peragratione Philipp. II.

6. *Nam, quum serperet in urbe.* Quum seditio magis ac magis cresceret, et se latius in dies diffunderet, quum infinita multitudo, ut scribit Tranquillus in D. Julio, cap. 85, Cæsari demortuo solidam columnam prope viginti pedum in foro statuisset, scripsissetque *parenti patriæ*, apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveraret, Dolabella consul evertit illam columnam, eos qui servilis erant conditionis, in crucem egit, liberos de saxo Tarpeio dejecit, aream, in qua steterat columna, sternendam locavit. Eadem autem illa infima multitudo sepulturam Cæsaris insepultam effecerat, quia corpus ejus pro Rostris positum rapuerat, in forum tumultuarie detulerat, ibique exstructo e septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserat, etc. De quibus Philipp. II, et Epist. ad Div. IX, 4, XII, 1, ad Att. XIV, 15, etc. Vide Exc. III ad fin. huj. orat.

7. *Insepultam sepulturam effecerant.* Al. *insepulto ;* al. *refecerunt.* Insepultam sepulturam vocat orator, quod funus raptim et turbulente factum, sine more ac modo. Sic Græci τάφον ἄταφον dixere.

8. *Kal. juniis.* Solemnes legitimi habendi senatus dies fuere kalendis, nonis, idibus. Exceptæ postea martiæ idus, ob interfecti Cæsaris memoriam.

9. *Edixerat.* Al. *edixerant.* Quasi consules duo.

10. *Per populum.* Per se ipsum. Sic vulgati omnes. Vid. Exc. IV, ibid.

Consules designati[11] se audere negabant in senatum venire; patriæ liberatores[12] urbe carebant ea, cujus a cervicibus jugum servile dejecerant: quos tamen ipsi consules[13] et in concionibus, et in omni sermone laudabant. Veterani[14] qui appellantur[15], quibus hic ordo diligentissime caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum prædarum[16] incitabantur. Quæ quum audire mallem, quam videre, haberemque jus legationis[17] liberum, ea mente discessi, ut adessem kalendis januariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.

III. Exposui, patres conscripti, profectionis consilium: nunc reversionis, quæ plus admirationis habet, breviter exponam. Quum Brundisium, iterque illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa vitavissem[1], kalendis sextilibus veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur: quæ tamen urbs mihi conjunctissima[2], plus una me nocte cupiens retinere, non potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Quum autem me ex

11. *Consules designati.* Hirtius et Pansa.

12. *Patriæ liberatores.* M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, et alii qui nece Cæsaris patriam a servitutis jugo liberarant.

13. *Consules.* Antonius et Dolabella.

14. *Veterani.* Cæsariani milites publicæ libertati maxime infensi et unius potentiæ obnoxii.

15. *Qui appellantur.* Aliis, præsertim Grævio, placuit *appellabantur*, quod tum explicueris: Quos in concione appellabat Antonius, quos stimulabat.

16. *Ad spem novarum prædarum.* Quales habuere, quum, devicto Pompeio, agris et pecunia a Cæsare donati sunt.

17. *Jus legationis liberum.* Frustra nonnulli legunt *liberæ.* Quid fuerit jus hoc jam sæpius vidimus; satis sit addere eis tribui qui tuti ac securi propria negotia transigere destinabant.

III. 1. *Non sine causa vitavissem.* Metu quatuor legionum quæ ibidem erant, et Antonii partibus addictæ. Att. XVI, 2 et 4.

2. *Quæ tamen urbs mihi conjunctissima.* Ex quo præsertim Ciceronem sibi contra C. Verrem patronum adsciverant.

Sicilia ad Leucopetram[3], quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem : nec ita multum provectus, rejectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam: quumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eumdem, ventum exspectans, manerem, municipes Rhegini[4] complures ad me venerunt; ex his quidam Roma recentes : a quibus primum accipio M. Antonii concionem[5]; quæ ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reversione primum cœperim cogitare. Nec ita[6] multo post edictum Bruti affertur et Cassii[7]. Quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reipublicæ, quam familiaritatis gratia, diligo, plenum æquitatis videbatur. Addebant præterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, lætius), rem[8] conventuram; kalendis sextilibus senatum frequentem fore; Antonium, repudiatis malis suasoribus[9], remissis[10] Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum.

3. *Ad Leucopetram.* Vide ad Attic. XVI, 7, et ad Div. XII, 25.

4. *Municipes Rhegini.* Cives romani erant, et in tribu suffragium ferebant. Unde eos Cicero Cornificii tribules alio loco appellat.

5. *Accipio M. Antonii concionem.* Tum temporis jamjam notis compendiariis callebant notarii totam dicentis orationem scribere.

6. Abest *ita.* Dat Vatic. probante Garatonio.

7. *Bruti affertur et Cassii.* De hoc edicto nihil aliud occurrit, nisi illud Antonii cuidam edicto videri fuisse contrarium. Ut Cicero ad Atticum scribit, lib. XVI, epist. 7. Quæ epistola plurimum lucis huic toto loco addit.

8. *Rem conventuram.* Fore, ut Antonio cum Cæsaris percussoribus conveniret, et componeretur civilis discordia.

9. *Malis suasoribus.* Caphone, Saxa, Cotyla, Mustela, Tamisio, et aliis furoris Antoniani satellitibus.

10. *Remissis Galliis.* Gallia Transalpina Numantio Planco, Cisalpina Decimo Planco obvenerat. Eas provincias Antonius ad se transferre conabatur, unde et paullo post civile bellum exarsit, et Brutus Mutinæ obsessus ab Antonio. Nuntiatum autem fuerat Ciceroni Antonium jam de ob-

IV. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent: non quo me ad tempus[1] occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublicæ gratularer. Atque ego celeriter Veliam[2] devectus, Brutum[3] vidi; quanto meo dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet; et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi ac pulcherrimi facti sui[4] conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro[5] querebatur. Ex quo primum cognovi, quæ kalendis sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis[6] oratio: qui quamquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram), a quibus debuerat, adjutus, tamen et Bruti testimonio[7] (quo quid potest esse gravius?), et omnium prædicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consequutus. Hunc igitur ut seque-

tinendis Galliis non cogitare, sed, remissis Galliis, obtemperaturum senatui, et ad ejus auctoritatem, a qua discesserat, esse rediturum. Unde et magna componendæ reipublicæ spes affulserat.

IV. 1. *Ad tempus*. Jam enim kalendæ sextiles præterierant. Vid. Exc. V ad calcem hujus orationis.

2. *Veliam*. Quasi Ἑλίαν, a stagnis et lacubus dictam ait Halicarnasseus lib. I Antiq. Rom.

3. *Brutum vidi*. Quum, incensis ob Cæsaris necem veteranorum animis, Bruto et Cassio vitæ periculum immineret, senatus, ut eos præsenti periculo subduceret, annonæ curam mandavit, et quod prætores erant, decrevit ut legibus solverentur, si ab Urbe plus quam decem dies abfuissent.

4. Abest *sui*.

5. *Nostro querebatur*. Ernest. maluit *vestro q*.

6. *L. Pisonis oratio*. In eum Cicero quam vehementissime invectus erat anno 698. Quamvis socer Cæsaris esset, a bello civili abfuit, et paci restituendæ studuit. Cic. Philipp. V, cap. 7: « At ille homo vehemens et violentus (Antonius), qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso triginta diebus ante) inimicitias mihi denuntiavit ». Ex quibus liquet nullam fidem Appiano adhibendam, qui lib. III de Bell. Civ. L. Pisonem Antonio patrocinantem inducit.

7. *Bruti testimonio*. Ad Atticum de Bruto loquens: « Maxime dolebat me kal. sext. in senatu non fuisse: Pisonem ferebat in cælum ».

rer, properavi, quem præsentes non sunt sequuti : non ut proficerem aliquid (neque enim sperabam id, neque præstare poteram), sed ut, si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur[8] præter naturam[9] etiam, præterque fatum), hujus diei vocem testem reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga se voluntatis.

Quoniam utriusque consilii[10] causam, patres conscripti, probatam vobis esse confido, priusquam de republica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii injuria; cui sum amicus; idque me nonnullo ejus officio debere[11] esse, præ me semper tuli.

V. Quid tandem erat causæ, cur in senatum hesterno die[1] tam acerbe cogerer? solusne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas[2], aut de Pyrrhi pace agebatur : ad quam causam etiam Appium illum[3], et cæcum, et senem, dela-

8. *Impendere videbantur.* Faern. Muret. et plurimi *videntur.*

9. *Præter naturam etiam.* A libris antiquis abest *etiam.* Hunc locum explicat A. Gell. lib. XIII Noct. Attic. c. 1, quem in Exc. VI exscripsimus ad finem hujus orationis.

10. *Quoniam utriusque consilii.* Tam profectionis, quam reversionis meæ.

11. *Ejus officio debere esse.* Alii delent *esse.* Antonius post pugnam Pharsalicam cum aliquot legionibus in Italiam remissus est a Cæsare, jussusque Pompeianos aditu Italiæ prohibere, Ciceronem Brundisii commorantem quum interimere posset, non fecit : illud scelus omissum amicitiam vocat. Vid. Philipp. II. Mox autem a Cæsare literæ venere his verbis scriptæ : « M. T. Ciceronem ob egregias ejus virtutes et singulares animi dotes, per totum orbem nostris armis virtuteque perdomitum, salvum et incolumem esse jubemus ».

V. 1. *Cur in senatum hesterno die,* Philipp. V : « In cellam Concordiæ nisi venirem kalend. sept. fabros se missurum, et domum meam disturbaturum esse dixit, etc. » Paucis vero verbis injuriam ostendit : 1° quod solus; 2° quod acerbe; 3° quod in re non magni momenti coactus fuerit.

2. *Hannibal erat ad portas.* Ironice.

3. *Appium illum,* Cicero de Senect. « Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset; tamen is, quum sententia senatus inclinaret ad pacem et fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persequutus est Ennius : Quo vobis mentes, rectæ quæ stare sole-

tum esse, memoriæ proditum est. De supplicationibus referebatur : quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus[4], sed eorum, quorum de honore agitur, gratia : quod idem fit, quum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut pæne liberum sit senatori, non adesse. Qui quum mihi mos notus esset, quumque de via languerem, et mihimet displicerem[5], misi, pro amicitia, qui hoc ei diceret[6]. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem, et valde intemperanter. Cujus enim maleficii tanta ista pœna est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia ædificatam[7] domum? Quis autem umquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam? Quod si scisset[8], quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

VI. An me censetis, patres conscripti, quod vos inviti[1] sequuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones[2] in rempublicam inducerentur? ut decerne-

bant Antehac, dementi sese flexere ruina? » Vide Plutarchum in Pyrrho, et Epitomen Liv. XXVI.

4. *Coguntur enim non pignoribus.* Quum senatores a consule convocati aberant, multam consuli solvebant. Confer de Legg. III, 4, et A. Gell. XIV, 7.

5. *Mihimet displicerem.* Tristior essem, mihi non satisfacerem.

6. Alii, « qui hoc ediceret ».

7. *Ex senatus sententia ædificatam.* Quam P. Clodius everterat, eam senatus restituto Cicerone publice ædificandam censuit. In Pisonem : « Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, prætores collocaverunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt ». Vide ad Attic. VI, 2, et Vell. Paterc. II.

8. Alii, « Qui si sc. »

VI. 1. *Quod vos inviti.* Senatum excusat a necessitate, ne totum ordinem reprehendere videatur.

2. *Inexpiabiles religiones.* Quæ nullis sacrificiis, nulla instauratione possent expiari; quibus adeo dii offende-

rentur supplicationes mortuo[3]? nihil dico, cui. Fuerit ille L. Brutus, qui et ipse dominatu regio rempublicam liberavit, et ad similem virtutem et simile factum stirpem jam prope[4] in quingentesimum annum propagavit: adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum conjungerem cum immortalium[5] religione; ut, cujus sepulcrum nusquam exstet[6], ubi parentetur, ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem[7], patres conscripti, ut me adversus populum romanum, si qui accidisset gravior reipublicæ casus, si bellum, si morbus[8], si fames, facile possem defendere: quæ partim jam sunt[9], partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoscant dii immortales, velim, et populo romano, qui id non probat, et huic ordini, qui decrevit invitus.

Quid? de reliquis reipublicæ malis licetne[10] dicere? Mihi vero licet, et semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi in hunc locum sit[11]: dicendi periculum non recuso. Atque utinam, patres conscripti, kalendis sextilibus adesse

rentur, ut placari vix possent. Vatic. « in republica inducerentur ».

3. Al. *mortuorum*.

4. *Stirpem jam prope*. Sc. Marcum et Decimum Brutum.

5. *Immortalium*. Alii, « Deorum immortalium ».

6. *Nusquam exstet*. Ern. *usquam*. Male. Reipsa nullum Julii Cæsaris exstabat tum temporis sepulcrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. Conf. Exc. VII.

7. *Eam sententiam dixissem*. Ita essem loquutus, repugnassemque ne mortuo supplicationes decernerentur, ita ut non deorum iram provocare visus essem.

8. *Morbus*. Pestis, ut Græcis est ἡ νόσος.

9. *Quæ partim jam sunt*. Eo ipso tempore pestis sæviit per totam fere Italiam. Hoc ipso anno erupit bellum Mutinense, ut omittam alia bella civilia. Biennio post ingens fames, mare Siculum Sexto Pompeio, Ionium Cn. Domitio obtinente, ut scribit Dio lib. XLV, cap. 17.

10. *Licetne dicere?* Antonius armis senatus libertatem oppresserat, et ita omnes aditus obsepiebat, ut, nisi quos ipse vellet, ad senatum venire non possent.

11. *In hunc locum sit*. In cellam Concordiæ. Ibi enim habitam fuisse hanc orationem, liquet ex Philipp. V.

potuissem! non quo profici potuerit aliquid; sed ne unus modo consularis[12], quod tum accidit, dignus illo honore, dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi romani beneficiis[13] usos, L. Pisonem ducem optimæ sententiæ non sequutos. Idcircone nos populus romanus consules[14] fecit, ut in altissimo gradu[15] dignitatis locati, rempublicam pro nihilo haberemus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est. Quænam[16] (malum) est ista voluntaria servitus? Fuerit quædam[17] necessaria. Nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco consulari dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco[18]; alia eorum, quorum vocem requiro. Quos quidem doleo in suspicionem populi romani venire, non metu[19], quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa[20] deesse dignitati suæ.

VII. Quare primum maximas gratias et habeo, et ago L. Pisoni, qui non, quid efficere posset in republica, cogitavit, sed quid facere ipse deberet; deinde a vobis, patres conscripti, peto, ut, etiamsi sequi minus

12. *Sed ne unus modo consularis.* Jam supra diximus Pisonem unum Antonii tyrannidem insectatum; nihil tamen profecerat, quia ceteri libertatem ejus imitari non ausi essent.

13. *Populi romani beneficiis.* Consulares tum erant L. Piso, Servius Sulpicius, Luc. Cæsar, C. Marcellus, Fufius Calenus, Servilius Isauricus, P. Vatinius. Horum pleroosque reprehendit, Luc. Cæsari tamen ignoscit, qui quum esset Antonii avunculus, potuit propter consanguinitatem silere. — *In altissimo.* Cf. Exc. VIII.

14. Al. *consulares.*

15. Al. « amplissimoque gr. »

16. *Quænam (malum) est ista... servitus?* Vatican. immo etiam Aquila Rhetor de Fig. cap. 45, « quæ, malum, etc. »

17. *Quædam necessaria.* Dominante Cæsare.

18. *Silentio ignosco.* Silentibus propinquis ignosco.

19. Al. MSS, *metus.*

20. *Alium alia de causa.* Innuit oblique quosdam esse qui Antonio conniveant; et amare consulares carpit: in quos oriatur turpissima suspicio aut de republica male sentiendi, aut Antonio libentius quam patriæ favendi.

audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.

Primum igitur acta Cæsaris servanda censeo [1]; non quo probem [2]: quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis et otii. Vellem adesset Antonius, modo sine advocatis [3]; sed, ut opinor, licet ei minus valere; quod mihi heri per illum non licebat [4]: doceret me, vel potius vos, patres conscripti, quemadmodum ipse Cæsaris acta defenderet. An in commentariolis, et chirographis, et libellis se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi jussa, perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo: nihil tam esse in actis Cæsaris [5], quam

VII. 1. *Acta Cæsaris servanda censeo*. Post necem Cæsaris relatum est ad senatum de rescindendis actis Cæsaris; et multi quidem nihil eorum, quæ Cæsar egisset, ratum habendum esse censebant. Quia tamen multis primariis civibus provincias, magistratus, alia beneficia concesserat, verendumque fuit, ne rescissis hujusmodi actis nova belli civilis occasio nasceretur, visum est reipublicæ rationibus expedire, ut Cæsaris acta servarentur, iique magistratus et provincias obtinerent, quibus Cæsar eos concesserat. Antonius autem rem eam lucro apposuit, et inde sibi maxima potentiæ instrumenta comparavit. Calpurnia, Cæsaris conjux, audita mariti nece, ejus libellos et chirographa cum magna pecuniæ vi detulit ad Antonium, verita, ne conjurati in bona Cæsaris involarent, eaque fisco addicerent, et Antonius Faberium Cæsaris amanuensem ad se pellexit, qui Cæsaris syngraphas et commentarios adulteraret ipsius arbitratu; et ita nomine Cæsaris aliis alia donavit, vectigales provincias liberavit, immunitates divisit, exsules revocavit, omnem denique laceravit rempublicam, unum Cæsaris nomen singulis facinoribus prætexens, quasi Cæsar, dum viveret, ea facere decrevisset, et in suos commentarios retulisset, ut tradunt Dio, Plutarchus, Appianus.

2. *Non quo probem*. Quia Cæsar non legitimus erat magistratus, sed tyrannice remp. invaserat.

3. *Modo sine advocatis*. Ironice. Id est enim, sine satellitibus. Philipp. II, 35.

4. *Non licebat*. Lambinus, ex pluribus MSS, « non licuit ». Sic Muretus. Apparet Antonium valitudinem excusasse, ne cum Cicerone versaretur. — *Heri*. Kal. septembribus.

5. *Nihil tam esse in actis Cæsaris*. In legibus Cæsaris præcipue ejus acta contineri; quod fusius explicat Cic. inf. pag. 44, in principio.

leges Cæsaris. An, si cui[6] quid ille promisit, id erit fixum? quod idem facere non potuit: ut multis multa promissa non fecit; quæ tamen multo plura[7] illo mortuo reperta sunt, quam vivo beneficia per omnes annos tributa et data. Sed ea non muto, non moveo; summo etiam studio præclara illius acta defendo. Pecunia utinam[8] ad Opis maneret! cruenta illa[9] quidem, sed his temporibus[10], quoniam his, quorum[11] est, non redditur, necessaria. Quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis[12] fuit. Ecquid est[13], quod tam proprie dici possit actum ejus, qui togatus in republica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quære acta Gracchi; leges Semproniæ[14] proferentur: quære Sullæ; Corneliæ[15]: quid? Cn. Pompeii tertius

6. *An, si cui.* Id est, an si quid Cæsar alicui promisit, id erit fixum necessarioque servandum, quod ne ipse quidem Cæsar, dum viveret, servare potuit. Vid. Exc. IX.

7. *Quæ tamen multo plura.* Promissa reperta sunt plura scripta in Cæsaris commentariolis, quam ille vivus per triennium, quo rerum potitus est, beneficia tribuisset. Unde liquet Cæsaris libellos fuisse a M. Antonio adulteratos. Al. « reperta sunt illo mortuo ».

8. *Pecunia utinam.* In Opis æde septies millies sestertium, quæ sunt gallice 143,500,000 fr. Cæsar deposuerat, quibus ad bellum uteretur. Eam omnem pecuniam Antonius abstulit, partim sibi, ut grande æs alienum dissolveret, partim Dolabellæ collegæ suo ipsi quoque gravi ære alieno obstricto, partim aliis quos emptos sibi habuit obnoxios. Confer Philipp. sequentem, et Vell. II, 16.

9. *Cruenta illa quidem.* Quia vi et non sine multorum sanguine fuerat extorta, et de bonis cæsorum in acie Pompeianorum exacta.

10. *Sed his temporibus.* Quantæ his temporibus fuerint angustiæ ærarii liquet e Dione, lib. XLVI: « Tantæ erant ærarii angustiæ, ut ne publicas quidem solemnitates, quæ in id tempus inciderant, celebrarint ».

11. Al. « quum iis, qu. »

12. *Si ita in actis fuit.* Si scriptum fuit, ut effunderetur.

13. *Ecquid est.* Probat exemplis leges proprie actorum nomine contineri. Res est perspicua. Dictæ leges Semproniæ a Sempronio Graccho; Corneliæ, a Cornelio Sulla.

14. *Leges Semproniæ.* Variæ fuerunt a Tiberio et Caio Semproniis Gracchis latæ, ut agraria, frumentaria, judiciaria, de quibus Liv. Epit. Plutarch. in Gracchis; Appian. lib. I Civilium; Cicero passim. Plura dabit Index Legum.

15. *Corneliæ.* Ut omittam alias leges, Cornelias. « Cornelius Sulla, inquit Pomponius D. de origine juris,

consulatus[16] in quibus actis constitit? nempe in legibus. A Cæsare ipso si quæreres, quidnam egisset in urbe et in toga[17]: leges multas responderet se et præclaras tulisse; chirographa vero aut mutaret, aut non daret; aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed ea ipsa concedo; quibusdam in rebus etiam conniveo: in maximis vero rebus, id est, legibus, acta Cæsaris dissolvi, ferendum non puto.

VIII. Quæ lex melior, utilior, optima etiam republica sæpius flagitata, quam, ne prætoriæ provinciæ plus quam annum[1], neve plus quam biennium consulares obtinerentur? Hac lege sublata, videnturne vobis acta Cæsaris servari? Quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia decuria judicum, nonne omnes judiciariæ leges Cæsaris dissolvuntur[2]? Et vos acta Cæsaris defenditis, qui leges ejus evertitis? nisi forte, si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis, et, quamvis iniquum et inutile sit,

quæstiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis, etc.»

16. *Cn. Pompeii tertius consulatus.* Pompeius inito tertio consulatu, ut scribit Pedianus, «post diem tertium de legibus novis ferendis retulit. Duas ex SC. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appiana via factam, et incendium curiæ, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit; alteram de ambitu, pœnam graviorem, et formam judiciorum breviorem».

17. Al. «et toga».

VIII. 1. *Plus quam annum.* Cæsar sub initia belli civilis, quum jussus est a senatu exercitum dimittere, jam annum nonum agebat in provincia, quo temporis spatio vires suas ita stabilivit, ut patriæ bellum intulerit, dominationem invaserit, et plus potuerit quam universa respublica. Quare factus dictator, metuens ne alii suum ipsius exemplum sequerentur, legem tulit, «Ne prætoriæ provinciæ plus quam annum, ne plus quam biennium consulares obtinerentur». Antonius submisit duos tribunos plebis, qui hanc legem optimam et utilissimam reipublicæ duabus contrariis legibus abrogarent. Vide Philipp. V.

2. *Leges Cæsaris dissolvuntur.* Judices Cæsar in classes duas, sive decurias, equestris ordinis ac senatorii, sublata ærarii tribunorum decuria, descripserat; tertiam judicum decuriam Antonius ex iis qui ordines duxissent, et manipularibus militibus legionis Alaudarum collectam.

defendetur; quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæsaris non habebitur.

At quæ est ista tertia decuria[3]? Centurionum, inquit. Quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? Census[4] præfiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et judicant, et judicaverunt. Non quæro, inquit, istos. Quicumque ordinem duxit, judicet. At si ferretis, quicumque equo[5] meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis. In judice enim spectari et fortuna debet, et dignitas. Non quæro, inquit, ista: addo etiam judices manipulares ex legione Alaudarum[6]. Aliter enim nostri[7] negant posse se salvos esse. O contumeliosum honorem[8] iis, quos ad judicandum nec opinantes vocatis! hic enim est

3. *At quæ est ista tertia decuria?* Jam enim legibus Pompeia et Aurelia judices esse poterant, qui ordines duxissent, et qui equo publico meruissent, si adesset fortuna, sive census conveniens, et splendor quidam et dignitas virtutibus rebusque præclare gestis comparata. At Antonius hoc discrimen auferebat, sanciens, ut, quicumque centurio fuisset, quacumque tandem fortuna, aut vitæ splendore, vel obscuritate uteretur, is posset in judicum album referri. Neque solum centurionibus quibusvis aditum patere voluit ad judicum collegium, sed etiam militibus manipularibus et gregariis, qui in legione Alaudarum meruissent.

4. *Census præfiniebatur, inquit.* Subaud. Antonius. Hic speciem dialogismi exhibet inter se et Antonium. Id est, legibus definiebatur, quantum quisque deberet habere in censu, ut judex eligeretur; lege nova nulla census habita ratio est.

5. *Quicumque equo meruisset.* Non idem erat equo privato atque equo publico merere; privato merebant equo, qui non censum legitimum habebant, ut in equitum ordine numerarentur, quod laudatius erat quam ordinem ducere; equites publico merebant equo. Conf. Excurs. X ad calcem hujus orationis. — *Laudatius.* Al. *lautius.*

6. *Addo etiam judices manipulares ex legione Alaudarum.* Gallis conflata Transalpinis, quibus Cæsar jus dederat civitatis. Alaudes vocabantur, quod in galea alaudam gerebant æream. Suetonius in Cæsare, cap. 24, et Plin. XI, 37.

7. *Aliter enim nostri.* Loquitur Antonius.

8. *O contumeliosum honorem.* Respondet orator.

legis index[9], ut ii in tertia decuria judicent, qui libere judicare non audeant. In quo quantus est error[10], dii immortales! eorum, qui istam legem excogitaverunt? Ut enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate judicandi sordes suas eluet, laborabitque, ut honestis decuriis potius dignus videatur, quam in turpem[11] jure conjectus.

IX. Altera promulgata lex est, ut et de vi[1], et de majestate damnati[2] ad populum provocent, si velint. Hæc utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? Quis enim est hodie, cujus intersit istam legem manere? Nemo reus est istis legibus; nemo[3], quem futurum putemus: armis enim gesta numquam profecto in judicium vocabuntur. At res[4] popularis. Utinam quidem velletis[5] aliquid esse populare! omnes enim jam cives de reipublicæ salute, una et mente, et voce consentiunt. Quæ est igitur ista cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem summam habeat,

9. *Legis index.* Hoc vestra lex indicare videtur, ideo centuriones, manipulares etiam ad judicandum vocatos, quia conscii scelerum suorum libere judicare non audeant, et omnino Antonio sint obnoxii.

10. *Quantus est error.* Valde in hoc erravit Antonius, quum hanc legem excogitavit, ut amici vitiis omnibus inquinati pœnam effugerent. Quo enim sordidiores erant judices, eo severiores in judicando, ut infamiæ suæ memoriam aboleant.

11. *Turpem.* In tertiam. Olim legebatur « turpes ». — *Jure conjectus.* Ideo verbo ignominioso utitur, ut eos in turpissimam hanc decuriam relegatos vere ostendat.

IX. 1. *De vi.* Lege Plautia a Q. Plautio tribuno plebis, quam Q. Catulus in ea lege ferenda sibi socium adscivit. Ea lex autem, ut dicitur cap. 1 Cœlianæ: « de seditiosis, consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quæri jubebat ».

2. *De majestate damnati.* Vide pro Cœlio, et Ulpianum D. ad legem Juliam majestatis. Crimen de vi et de majestate una intermiscebantur; reus de vi habebatur reus de majestate, et sic vicissim. Civis quilibet de vi aut de majestate damnatus, ad populi judicium provocare non poterat; quia provocatio illa nihil futura esset aliud, quam vim inferre, ut damnationi de vi sese eriperet.

3. Alii, « nemo est ».

4. *At res popularis.* Populo grata, quod ejus potentiam videtur augere.

5. Alii, « vellet is a. »

gratiam nullam? quid enim turpius, quam qui majestatem populi romani per vim minuerit[6], eum, damnatum judicio, ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit jure damnatus?

Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur, ut quisquam provocet. Id agitur, id fertur, ne quis omnino umquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato objici se multitudini conductæ[7] velit? aut judex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas[8] mercenarias statim protrahatur? Non igitur provocatio ista lege datur; sed duæ maxime salutares leges quæstionesque tolluntur. Quid est aliud adhortari[9] adolescentes, ut turbulenti[10], ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse? Quam autem ad reipublicæ pestem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæstionibus, de vi, et de majestate, sublatis?

Quid, quod obrogatur legibus Cæsaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? quibus quum[11] provocatio datur, nonne acta Cæsaris rescinduntur? Quæ quidem ego, patres conscripti, qui illa numquam probavi, ita conservanda[12] concordiæ causa arbitratus sum, ut non

6. *Per vim minuerit.* Qui ob seditiones in republica concitatas damnatus fuerit, judicum sententia ad populum appellet, et hujus provocationis occasione novis seditionibus, infima multitudine largitionibus corrupta, vexet rempublicam? Erravit toto hoc loco Manutius, qui credit *vim* abundare, quasi non vim novam legibus inferat, qui seditiones ex hoc ipso serat, propter quod est damnatus. Vid. Exc. XI.

7. *Multitudini conductæ.* Infimæ plebi ad quam provocabitur.

8. *Operas*, etc. I. e. opifices infimos.

9. Alii, « igitur adh. »

10. *Adolescentes, ut turbulenti.* Ex duobus aliis incommodis sequuturis invehitur in legem Antoniam, alterum quod adolescentes, quæstionibus de vi et de majestate sublatis, facile sint seditiosi ac turbulenti futuri; alterum quod tribuni plebis harum quæstionum metu soluti facile sint rempublicam vexaturi.

11. *Quum provocatio.* Ad populum.

12. *Ita conservanda.* Vatic. « tamen ita conservanda ». Sic edidit Muretus.

modo, quas vivus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem; sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas esse et fixas videtis.

X. De exsilio reducti a mortuo[1]; civitas data non solum singulis, sed nationibus[2], et provinciis universis a mortuo; immunitatibus[3] infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo hæc, uno, verum optimo[4], auctore domo prolata, defendimus: eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus[5], recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de judiciis, eas, inquam, Cæsaris leges, nos, qui defendimus acta Cæsaris, evertendas putabimus? Ac de iis tamen legibus, quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus; de iis, quæ jam latæ dicuntur[6], ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ sunt ante quam scriptæ. Quærunt[7], quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, patres conscripti, bonis tribunis plebis, leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui rempublicam religione defendant: vacui metu esse debemus. Quas tu mihi[8], inquit, interces-

X. 1. *A mortuo.* Jocosa et eadem acerbissima ironia, qua Antonii ratio exagitatur, qui libellis Cæsaris adulteratis, mortuum eum, quæcumque voluit ipse, jubentem induxit.

2. *Sed nationibus.* Ut Siculis universis. Epist. ad Atticum, XIV, 12: « Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cujus rei vivo illo mentio nulla, etc. »

3. *Immunitatibus.* Philipp. II: « Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimæ Cretensium vectigalibus liberantur, statuiturque ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia ».

4. Alii, « uno viro optimo auctore ». Ironice dictum.

5. Alii, « vobis insp. »

6. *Latæ dicuntur.* Non enim revera latæ, promulgatione nulla.

7. *Quærunt*, etc. Putant nonnulli timendum non esse, ne leges malæ valeant, quum boni sint tribuni et intercedere parati.

8. *Quas tu mihi.* Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus tribunorum plebis volebant malas leges impedire.

siones, quas religiones[9]? Eas scilicet[10], quibus reipublicæ salus continetur. Negligimus ista[11], et nimis antiqua et stulta ducimus. Forum sepietur[12]; omnes claudentur aditus; armati in præsidiis multis locis collocabuntur. Quid tum? Quod erit ita gestum, id lex erit; et in æs incidi videbitis. Cedo illa legitima: CONSULES POPULUM JURE ROGAVERUNT (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi), POPULUSQUE JURE SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est[13]? Quo jure? an eo, quod vi et armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris[14]; quod est amicorum, ante dicere ea, quæ vitari possunt: quæ si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis; de quibus est integrum vobis[15]. Demonstro vitia: tollite. Denuntio vim[16], arma: removete.

XI. Irasci vos quidem mihi, Dolabella, pro republica dicenti, non oportebit[1]. Quamquam te quidem id facturum non arbitror. Novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quæ bona ipsi videtur (mihi, ne gravius quippiam dicam[2], avo-

9. *Quas religiones?* Auspicia quæ religiose servabantur a majoribus nostris.

10. *Eas scilicet.* Responsio ad interrogationem Antonii. Dicit autem reipublicæ salutem his intercessionibus et religionibus contineri, quia sic obstabant legum multitudini, quibus respublica facile pessumdatur.

11. *Negligimus ista.* Nos, ait Antonius, non in istis stultis immorabimur.

12. *Forum sepietur.* Ne cui sit aditus qui velit intercedere aut obnuntiare. — *Credo illa legitima.* Ferrarius correxerat *cedo*. Vid. Exc. XII.

13. *Qui exclusus est?* Qui septis et militum præsidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere.

14. *Hoc dico de futuris.* Videtur esse quædam veluti concessio. Non præterita reprehendo, ne tibi videar inimicus, si, quod factum est, et infectum esse nequit, objecerim; sed loquor de futuris, ut obviam eatur. Vid. Exc. XIII.

15. *De quibus est integrum vobis.* Quum latæ leges non sint.

16. *Denuntio vim.* Fore prædico, ut eæ leges per vim ferantur.

XI. 1. *Non oportebit.* Ex Vaticano: « non oportebat ». Sic Faernus, Muretus, Lambinus, Lallem. etc.

2. *Ne gravius quippiam dicam.* Ne dicam illum esse miserrimum, qui per scelus opprimit reip. libertatem.

rum et avunculi sui consulatum [3] si imitaretur, fortunatior videretur), sed eum iracundum audio factum. Video autem, quam sit odiosum habere iratum eumdem, et armatum, quum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam jus, ut opinor, æquum; quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam ejus, aut in mores cum [4] contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in republica semper habui [5], tenuero, id est, si libere, quæ sentiam, de republica dixero; primum deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa [6]; iis, qui pro republica, quæ ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione [7] dici potest æquius?

Quod si, ut a quibusdam mihi ejus familiaribus dictum est, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio graviter offendit, etiamsi nulla inest contumelia: feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum [8]: non idem tibi, adversario Cæsaris [9], licebit, quod Pisoni socero. Et simul admonent quiddam, quod cavebimus; nec erit justior, patres conscripti,

3. *Avunculi sui consulatum*. L. Cæsaris, qui cum C. Mario Figulo consul fuit anno 689, id est, proxime ante Ciceronem. Nullam C. Antonii, qui Antonii patruus fuit, facit mentionem, quia is ex consulatu damnatus est. — *Avorum*. Paterni, M. Antonii, oratoris; materni, L. Cæsaris, qui cum P. Rutilio Lupo consul, cum P. Crasso censor fuit.

4. *Cum contumelia*. Alii, *contumeliose*.

5. *Quam in rep. semper habui*. Hæc verba absunt ab antiquo libro, nec necessaria credunt Faernus, Lambinus, Grævius, etc.

6. *Sui defendendi causa*. Hoc prætexto præsidium a senatu impetravit; sic Pisistratus ab Atheniensibus; sic Dionysius a Syracusanis.

7. *Postulatione*. Petimus precario, poscimus imperiose, postulamus jure.

8. *Sed iidem illi ita mecum*. Subaud. loquuntur.

9. *Adversario Cæsaris*. Quum Pompeii partes sis sequutus.

in senatum non veniendi morbi causa [10], quam mortis.

XII. Sed per deos immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi carissimus, non possum de utriusque vestrum errore reticere [1]: credo enim vos, homines nobiles, magna quædam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli [2] suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, et populo romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium, et gloriam concupisse. Ea est autem gloria [3], laus recte factorum, magnorumque in rempublicam [4] fama meritorum, quæ quum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te præter [5] ceteros esse expertum viderem [6]. Quem potes recordari in vita tibi illuxisse diem lætiorem, quam quum, expiato foro [7], dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, urbe incendii et cædis metu liberata [8], te domum recepisti? Cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ studia tum laudi, et gratulationi tuæ se non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore [9] te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri agebant, et tuo no-

10. *Morbi causa, quam mortis.* Significat Antonii insidias sibi non ignotas.

XII. 1. *Errore reticere.* Res a consulibus contra rempublicam gestas errori tribuit, ut eas excuset.

2. *Nimis creduli.* Ironice.

3. *Ea est autem gloria.* Alii dant « ea autem est gloria ». Vide ad h. l. Garaton. nott. in Exc. XIV.

4. Abest *fama.*

5. Alii, « te paullisper esse ». Sed addendum forte *paullisper.*

6. *Viderem.* Al. *videremus.*

7. *Expiato foro.* Eversione illius exsecratæ columnæ, quæ illud funestabat ac polluebat.

8. Verba, « urbe ..... liberata », Faernus addidit e margine cod. Vatic. Ernest. deleverat. Male.

9. *Quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur.* Quasi meæ disciplinæ alumnus, meis obtemperans consiliis te optimum civem et singularem consulem præstares. Conf. ad Div. IX, 14.

mine gratulabantur. Recordare, quæso, Dolabella, consensum illum theatri, quum omnes earum rerum obliti[10], propter quas tibi fuerant offensi, significaverunt, se novo beneficio memoriam veteris doloris abjecisse. Hanc tu, Dolabella (magno loquor cum dolore), hanc tu, inquam, animo æquo potuisti tantam dignitatem deponere[11]?

XIII. Tu autem[1], M. Antoni (absentem appello), unum illum diem[2], quo in æde Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus[3], quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quæ fuit oratio de concordia? quanto metu[4] veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est? Tuum collegam, depositis inimicitiis[5], oblitus auspicia[6], te ipso augure nuntiante, illo primum die collegam tibi esse voluisti; tuus parvulus filius[7] in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die lætior? quo populus romanus? qui quidem nulla in concione umquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos[8] videbamur; quia, ut illi voluerant, liber-

10. *Earum rerum obliti.* Dolabella quum graviter obæratus esset, exemplo P. Clodii transivit ad plebeios, factusque tribunus plebis, statuit novas tabulas proponere, ut hoc pacto se ipsum quoque nominibus expediret. Ejus conatibus obstitit L. Trebellius, tribunus plebis; hinc seditio gravis orta est. Vide Dion. lib. XLII.

11. *Dignitatem deponere.* Quam repudiasti, ex quo Antonii prava consilia sequeris.

XIII 1. Alii, « Te autem ».

2. *Unum illum diem.* Tertio post cædem Cæsaris die consul Antonius senatum in ædem Telluris convocavit, ibique præclare consuluit concordiæ civium.

3. *Omnibus iis mensibus.* Aprili, maio, junio, quintili, sextili, quibus impune remp. laceravisti.

4. *Quanto metu veterani.* Ne perderent quod a Cæsare acceperant. Manutius deleto verbo hoc *veterani*, nihil vitii futurum in sententia animadvertit. B. Weisk. *veteranorum* legendum putat. Vide Garaton. not. in Exc. XV.

5. *Depositis inimicitiis.* Creando consuli obstiterat Antonius et obnuntiaverat.

6. Alii, « auspiciorum, auguria te ».

7. Aiii, « reipublicæ tuus parvus filius ».

8. *Viros fortissimos.* Scil. Brutos, Cassium, et ceteros qui Cæsari necem

tatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis consequutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicæ. Maximum autem illud, quod dictaturæ nomen sustulisti[9]. Hæc inusta est a te, a te, inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii scelus[10], decreto gentis Manliæ, neminem patricium M. Manlium vocari licet : sic tu, propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti. Num hujusce, quum pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Unde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim umquam in te[11] sordidum, nihil humile cognovi. Quamquam solent domestici[12] depravare[13] nonnumquam : sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor[1], ne ignorans verum iter

intulerunt. — *Proximo, altero*. Cf. verissimam Garat. not. in Exc. XVI.

9. *Dictaturæ nomen sustulisti*. Cæsar, interfecto Pompeio, dictaturam perpetuam invaserat, eoque nomine solus universam rempublicam obtinebat. Post ejus necem, ne quis in posterum magistratus illius prætextu tyrannidem occuparet, Antonius legem tulit, ut illud nomen dictaturæ penitus e republica tolleretur. Quod Cæsaris memoriæ ignominiosum fuisse dicit orator. Sed Antonius, qui in animum habebat summam auctoritatem capessere, consilia velabat lætis promissionibus, dum vires auxisset.

10. *M. Manlii scelus*. Qui quum reipublicæ dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpeio dejectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris nemo de patricia gente Manliorum Marci prænomen in posterum obtineret. Dio lib. LI, narrat Antonium post Actiacam pugnam fuisse eadem notatum ignominia.

11. *In te sordidum*. Juvenis adhuc grande æs alienum conflaverat. Liberalitatis exempla multa apud Plutarch. in Antonii vita reperies.

12. *Domestici*. Latenter avaritiam Fulviæ, Antonii uxoris, carpit, quæ sibi quam viris felicior auctionem provinciarum regnorumque faciebat.

13. Al. « Quamquam nihil est tam sanctum, quod non soleant dom. »

XIV. 1. *Illud magis vereor*. Amoto

gloriæ, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes, et metui a civibus tuis, quam diligi malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, et in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in [2] fabulis, ipsis illis, qui « Oderint, dum metuant [3] », dixerint, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum[4] meminisses! de quo tamen multa audisti ex me sæpissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cum ceteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus.

Sed quid oratione te flectam? Si enim exitus C. Cæsaris efficere hoc[5] non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cujusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, miseri[6] ipsi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te, quæso, et majores tuos respice, atque ita guberna rempublicam, ut na-

avaritiæ crimine, metuo ne potentiæ immoderatæ cupiditate pecces.

2. Alii, « ne f. ipsi illi, qui..... dixerit ».

3. *Oderint, dum metuant.* Sic Atreus apud poetam Attium. Cicero iterum de Offic. I, 28, et Seneca de Ira, I, 16.

4. *Avum tuum.* M. Antonium oratorem a Cinna occisum, et cujus caput pro Rostris affixum est. Anno 666, L. Cornelio Cinna, C. Octavio coss. Vide lib. III de Oratore, et Tusculan. V, cap. 19.

5. *Efficere hoc.* Dictio *hoc* abest ab antiquo libro. Deleverunt Faernus, Muretus, Lambinus, Manutius, Grævius, etc. Optime.

6. *Miseri ipsi sunt.* Al. *miserrimi ipsi sunt.*

tum esse te cives tui gaudeant : sine quo nec beatus, nec clarus[7] esse quisquam potest.

XV. Et populi quidem romani judicia multa ambo habetis, quibus vos[1] non satis moveri permoleste fero. Quid enim gladiatoribus[2] clamores innumerabilium civium? quid populi concursus[3]? quid Pompeii statuæ plausus[4] infiniti? quid iis tribunis[5] plebis, qui vobis adversantur? parumne hæc significant[6], incredibiliter consentientem populi romani universi voluntatem? Quid? Apollinarium ludorum[7] plausus, vel testimonia potius, et judicia populi romani vobis parva videbantur? O beatos illos[8], qui, quum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, et in medullis populi romani ac visceribus hærebant! nisi forte Attio[9] tum plaudi, et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto; qui ludis suis[10] ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus romanus[11] tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret[12].

Equidem is sum, qui istos plausus, quum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim : idemque quum a summis, mediis, infimis, quum de-

7. *Nec beatus, nec clarus.* Lambin. « nec beatus, nec clarus, nec tutus », ex conjectura Mureti.

XV. 1. *Quibus vos.* Abest *vos.* Id est, tu, o Dolabella et collega tuus M. Antonius.

2. *Gladiatoribus.* Id est, gladiatoriis ludis. Vide plura in Exc. XVII.

3. Grævius e MSS et edd. pr. *versus.*

4. *Quid Pompeii statuæ plausus infiniti?* In theatro positæ, quod ipse struxerat.

5. *Quid iis tribunis.* Subaudiendum, plausus.

6. *Parumne hæc significant.* Videtur esse vox theatralis, quam pro Sextio frequenter usurpat. Ernest. et Schütz. *significabant.*

7. *Quid? Apollinarium ludorum.* Qui nomine M. Bruti prætoris celebrati sunt post necem Cæsaris; nempe ex urbe se subduxerat metu veteranorum et infimæ multitudinis.

8. *O beatos illos.* Scil. Brutos, Cassium et socios.

9. *Nisi forte Attio.* Poetæ romano defuncto, cujus tragœdia tum agebatur.

10. Abest *suis.*

11. Al. *tribuerit.*

12. Al. *lenierit.* Cf. Exc. XVIII.

nique ab universis hoc idem fit, quumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt[13]; non plausum illum, sed judicium puto. Sin hæc leviora vobis videntur, quæ sunt gravissima : num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo romano vitam A. Hirtii[14] fuisse? Satis enim erat, probatum illum esse populo romano, ut est; jucundum amicis, in quo vincit omnes; carum suis, quibus est carissimus : tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo. Quid igitur? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? Quid eos de vestra vita[15] cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant reipublicæ consulturos, vita tam cara sit?

Cepi[16] fructum, patres conscripti, reversionis meæ : quoniam et ea dixi, ut, quicumque casus consequutus esset, exstaret constantiæ meæ testimonium, et sum a vobis benigne ac diligenter auditus. Quæ potestas si mihi sæpius sine meo vestroque periculo fiet, utar. Si minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reipublicæ reservabo. Mihi fere[17] satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reique publicæ accesserit.

13. *Fugiunt.* Quia bonis viris dari vident.

14. *Vitam A. Hirtii.* Consul designatus erat in annum sequentem, et in morbum inciderat eo fere tempore quo hæc habita est oratio. Vid. lib. XV ad Atticum, et lib. XII ad Div. epist. 22. Populus romanus sperans eum in consulatu rempublicam defensurum, pro ejus incolumitate vota suscepit, ut ante pro Pompeio. Vid. Philipp. VII, 4, X, 8.

15. *Quid eos de vestra vita.* Ad Dolabellam et Antonium, est argumentum a contrario.

16. Sequimur Vatican. et Barberin. MSS. Paucissimis his verbis solemnibus concludit orationem Cicero, vocisque auxilium spondet, si modo loquendi copiam dent tempora, nec novum senatoribus audientibus periculum arcessat.

17. *Mihi fere.* Abest a Vatic. *fere.* —*Satis est, quod vixi.* Annum agebat sexagesimum tertium, natus enim Cæpione, Serrano coss.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 1, pag. 32 :

Græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis, etc.

Græcum etiam verbum. Quidam hoc loco inferserant græcam vocem ἀμνηστίας· ego summa fide optimi ac veterrimi libri scripturam expressi : quid autem de hoc loco sentirem, indicavi jampridem, c. 15, libri II, variarum lectionum. MURET. — *Græcum etiam verbum usurpavi, quo tum*, etc. Quidam huc græcum verbum, ἀμνηστίαν, inculcarant, sane inconsiderate, ne dicam stulte et inscite. Nam primum non habent libri veteres, præter unum, in quo id reperi : deinde, si quod esset scribendum non amnestiam, sed μὴ μνησικακεῖν, seu literis latinis *me mnesikakein*, esset inserendum, ut ostendit Muretus, lib. II Var. lect. cap. 15. LAMB. — In meo vetusto libro perperam scribitur, « Græcum etiam verbum usurpavi amnestiam, id est, non recordationem ». Unde patet a magistro margini fuisse adscriptum, quod in contextum irrepsit. In Amsterdamensi, Coloniensi, Francii codd. non legitur. GRÆV. — Cod. Car. Steph. cum uno illo Lambini, nisi forte idem est, « Græcum etiam verbum amnestiam usurpavi ». Cum libris melioribus nihil tale hic agnoscunt Barberini, et editi, quos habeo. Verbum porro illud a Cicerone usurpatum adversus Muretum contendit hic Manutius, quicum facit Franciscus Fabricius ad Orosium, II, 17, et Schottus ad Victor. de Cæsar. XXXV, 7, quem consule. Appiani locis a Manutio allatis alium adde p. 914, ed. Toll. Rem aliis dijudicandam relinquo, ut Cl. Burmannum Sec. ad Vales. Emend. I, 33, p. 41, fecisse video. GAR.

Quod tum in sedandis discordiis usurpaverat civitas illa. Sic liber Langobardicis literis scriptus, quicum plerique consentiunt, « Quod tum in sedandis discordiis erat civitas illa ». Col. « Quod tum in scandalis discordaverat civitas illa ». Nonnulli, « Quod tum in sedandis discors erat civitas illa ». Unus atque alter hoc modo, « Quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa ». Quæ varietas hanc in opinionem me adduxit, ut putarem, M. Tullium ita scriptum reliquisse, « Quod tum in sedandis discordiis civitas illa »; hanc autem varietatem ab illis hominibus emanasse, qui sub omnibus locis atque verbis glossemata subscribunt : qui quidem quum periodo huic aliquid deesse vidissent, atque aliud alii tamquam præteritum retulissent : in horum postea libris describendis, ducti errore librarii, suggesta illa verba, et tamquam adulterina cum veris germanisque contexuerunt : quæ sensim latius disseminata omnes fere libros occuparunt. Tu tamen, ne nimium nobis sumere videamur, fac tantisper in tuis sit, vel ut ante fuit, vel, quoniam nullis in libris veteribus reperitur *usurpaverat*, ut in his duobus est, quos extremos protuli : dum librum nobis assentientem inveniamus. Ferrar. — *Quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa.* Hanc lectionem mutato tantum duorum verborum ordine, in hunc modum, *usa erat*, continet etiam antiquus liber, quod testatum voluimus, ne propter magnam lectionum in hoc loco varietatem immutare impressam quis auderet, quum eam sciret esse antiquissimam. Faern. — Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. Naug. et Cam. « quod... usurpaverat »; ita etiam Gryphiana MDXXXIX, cujus margini adscripsit Bartholomæus Barbadorius, « quo... erat usa », quo modo P. Man. Car. Steph. Lamb. et Grut. Ordinem cod. Vat. Grævium quoque neglexisse miror, quum, nisi Ferrarius vere conjecerit, ex *usa erat* natum sit *usurpaverat*, adjuvantibus, quæ præcedunt. Gar. — Propter magnam in his verbis lectionis varietatem (quod adeo nonnulli codd. habent : *usurpaverat* pro *usa erat*), Ferrarius, cui Ernestius adsenti-

tur, conjecit: « quod tum in sedandis discordiis civitas illa », quem ellipticum sermonem, a nullo codice confirmatum, Ciceronem admisisse, mihi neutiquam persuadere possum. Itaque a textu, qualem hic Schützius exhibuit, qui conjecturam Ferrarii adeo in textum recepit, recedendum esse puto. Lectionem illam *usurpaverat* ex illis verbis, *usa erat*, natam esse, nemini mirum videri potest. Ceterum cum Garatonio facio, qui contendit, eo ordine, qui est in Vat. « usa erat civitas illa », non, uti Grævius voluit, *erat usa*, scribendum esse. Abest *usa* a Jen. Gud. 2, et φ.

Egregia etiam voluntas. Cod. ad marg. Lamb. et editio Rom. « egregiaque voluntas ». GAR.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 1, pag. 32:

Summa constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat, etc.

Summa cum dignitate et constantia, etc. Omnes libri veteres commutant ordinem: ab his etiam nonnihil discrepant: hoc modo, « Ad hunc ordinem res optimas deferebat, nihil tum in C. Cæsaris commentariis reperiebatur, summa cum dignitate, constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat ». Qui quidem, quod ad ordinem attinet, valde placent: placent autem propter insequens membrum, quod ad hoc extremum multo aptius, quam ad illud alterum quadrat: nec insolens ac novum, ut duo verba sublata e medio conjunctione dicantur. Cicero in epist. ad Appium: « Quoque plura virtutis, industriæ ornamenta in te sunt »; et in XIII Phil. « Tamen eorum ora, sermones, qui ex eo numero in urbe relicti sunt. Nisi quod erat notum omnibus », deesse,

non abesse mihi videtur : nam et recentiores retinent, et hoc, quam illud, verisimilius est. Ferr. — *Summa cum dignitate constantia.* Antiquus liber omissis duabus mediis vocibus habet, « summa constantia » : et sane quemnam hic locum dignitas habet? aut si quem habet, quanta quidem dignitas dici potest in eo esse, qui nihil aliud facit, nisi quod ad quæsita de re quapiam gesta ea, quæ novit ipse, respondet? ut quidem aliqua in eo esse dignitas possit, certe summa non erit. Faern. — *Summa constantia.* Non improbo equidem, quod de hoc loco homini eruditissimo ac diligentissimo Ferrario visum est : sed tamen, quum voces illæ, quæ inter has interjectæ legebantur, ab optimo libro, sine ulla suspicione lituræ, abessent, cur non eas expungerem, causæ nihil esse sum ratus. Muret. — *Deferebat : summa cum dignitate*, etc. Hunc ordinem verborum servant Pall. et vetuste cusi: inepte Lambinus, qui Hier. Ferrario assensus mutavit : nihil enim horridius transpositione illa periodi istius, dummodo quis propius attendat. Grut. — Ordinem, et verba quæ reperit Ferrarius in suis, itidem in meis reperi, nisi quod in Francii legatur : « summa cum dignitate constantiaque ». Sed tamen *que* aliena manu est adjectum. In Amsterd. vero, ut in vulgatis, « cum dignitate et constantia ». Unde satis liquet, *dignitate* irrepsisse aliunde, non vero profectum esse a Tullio; itaque merito illam vocem in suis editionibus delevisse Faernum et Muretum, quamvis ceteri repugnent. Græv. — Ordinem MSS Ferr. et Grævii servat Barb. sec. immo etiam edd. P. Man. Car. Steph. et Lamb. eumdemque notavit ad Gryphianam Barbadorius. Gar. — Inversum horum verborum ordinem, ut post *deferebat* sequantur : « nihil tum in C. Cæs. c. rep. summa constantia a. e. q. q. e. respondebat », quem Ferrarii codd. Palatini, et Græv. exhibent etiam Jen. et Teeg. Præplacet autem iste mihi propter easdem causas, propter quas Ferrarius eum defendit. Verba illa, inter *summà* et *constantia* inserta : *cum dignitate*, quæ codd. Ferrarii, Græv. Teeg. Gud. Jen. exhi-

bent, merito tamquam glossam ex auctoritate unius cod. Vat. Grævius, Ernestius et Schützius ejecerunt. Quemadmodum autem Vat. auctoritatem et priorum editorum exemplum in his verbis ejiciendis Ernestius et Schützius sequuti sunt, vellem, ut imitati essent iidem in recipiendis vocibus : « nisi quod erat omnibus notum », post verba : *nihil tum*, quæ sunt in Vat. at in reliquis codd. etiam in Teeg. Gud. Jen. Anglic. desiderantur. Ernestius non propterea verba illa damnare debebat, quod non sensum commodum præberent, nam dum ea, quæ e commentariis proferebat, jamdudum tamquam Cæsaris acta nota essent, etiam magis cuique persuasum esse debebat, Antonium non sua pro Cæsaris actis venditare, quod postea fecit.

Nihil tum in C. Cæsaris commentariis. Non modo in antiquo, sed in aliis omnibus libris est hic ordo verborum, « nihil tum, nisi quod erat notum omnibus, in C. Cæsaris commentariis reperiebatur ». Faern.—In nullo quatuor codicum, quos ego excussi, leguntur hæc verba, « nisi quod erat notum omnibus ». Græv. — Desunt eadem in utroque Barb. sed in margine secundi alia manu adjecta fuerunt, nescio an Angeli Politiani, cujus fuit is codex, ut ex inscripto græce illius nomine apparet. Gar.

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 2, pag. 34 :

Nam, quum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, etc.

Nam quum serperet in urbe. Optimus liber *in urbem*, quod et verum puto : etsi, geminatis sine causa consequentis vocis principibus literis, hanc varietatem exstitisse non inju-

ria fortasse aliquis suspicetur. Muret.—Francii quoque cod. *in urbem*, sed reliqui stant pro vulgata, quam merito retinent editores. Serpit enim contagio in corporibus, in populo, hoc est, propagatur. Græv. — Recte codicis præstantissimi lectionem contemnendam non esse judicavit Muretus, a qua tamen omnes mei libri dissentiunt. Vide ad c. 7, pro Lig. 30, pro Quint. etc. Conjiciebat supra Lamb. « credo eis inter ipsos futura fuisse communia ». Cod. Vatic. « credo is (h. e. iis) futura fuisse communia ». Gar. Vat. et φ. *in urbem*.

Qui illam insepultam sepulturam effecerant. Audio quosdam non *insepultam*, sed *insepulto* probare, quibus de causis adductos nescio : omnes certe libri contra faciunt. Ego vero M. Tullium arbitror id loquendi genus ab aliquo uno ex vetustissimis illis scriptoribus mutuatum, aut certe poetam nescio quem imitatum, cujus ipse versus in libris oratoriis profert, « Qua tempestate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis »; eum porro a Græcis transtulisse : illi certe in hoc genere frequentes : ut illud est apud Euripidem in Hecuba, νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον, et apud Sophoclem in Ajace, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κ' οὐκ ὀνήσιμα. Ut igitur ille nuptias innuptas appellavit, quod in iis solemnia ac justa nuptiarum servata non erant : ita hunc per similitudinem existimo funus Cæsaris insepultam sepulturam vocitasse, propterea quod raptum, ac turbulente, non more ac modo factum erat : quod ita fuisse declarant rerum gestarum Cæsaris explicatores. Sepultura autem valet interdum humationem, atque actum ipsum, ut ita dicam, sepeliendi : funus alias, et prope exsequias ipsas, ut hoc loco, et lib. II de Legibus : « Nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat ». Ferrar. — *Qui illam insepultam sepulturam refecerant.* Ita Liliensis codex, melius omnino vulgato, *effecerant:* instauratum enim funus Cæsari : est autem hic imitatio Græcorum : τάφος ἄταφος, quod exstat apud Euripidem Phœnissis. Grut. — *Insepultam sepulturam.* Petrus Victorius, lib. X

Var. lect. cap. 12, plura refert exempla hujus locutionis. Eum vide et Lælium Bisciolam prima parte horarum subsecivarum libro IV, cap. 13. Abram. — Miror ex uno codice interpolatam esse a Grutero scripturam veterum editionum omnium, quam tuentur etiam nostri quatuor codices. Nihil de instauratione funeris Cæsaris leges apud ullum scriptorem. Retinenda igitur vetus lectio *effecerant*. Græv. — Iis, qui ab Abramio citantur, adde Schottum I. Nod. Cicer. 17; Wolfium ad Æschin. contra Ctesiph. p. 1332, ed. Francof. MDCIV, pag. 521, ed. Lips. Rittersh. ad Oppianum, Cyneget. I, 260; Vossium Inst. Orat. V, 12, § 7, de ὀξυμώρῳ, et qui de eodem laudantur a Giacomello ad Æschyl. Prom. vinct. 547; denique Cortium ad Ep. Cicer. ad Div. VII, 9; Passeratium ad Catull. de Nupt. Pelei et Thetidis, vers. 83, p. 42, et Vulpium ad eumdem, I, p. 273. Hunc locum imitabatur Optatus Milevitanus lib. III de Schism. Donatist. p. 90, ed. Londin. Casaub. dum ita scriberet : « Ex quorum numero quum aliqui in Basilicis sepelire cœpissent, Clarius presbyter in loco Subbulensi ab episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam ». Quantopere tum, et postea talia quærerentur, vide apud Savaron. ad Sidon. IV, Epist. 16. Gar.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 2, pag. 34 :

Nihil per senatum : multa et magna per se ipsum et absente populo et invito.

Nihil per senatum, etc. « Multa et magna per populum », emendo, cum auctoritate veterum omnium libb. qui quidem in manus meas pervenerunt, tum etiam ratione adductus : nam primum quis agebat per se ipsum? deinde ipse Cicero multis in locis apertissime ostendit, Antonium egisse per populum. Qui potuit agere per populum (dicet quispiam) et absente populo, et invito? Qui agit per plebem concitatam, per operas conductas, per egentes, seditiosos, facinorosos, is agit per populum : siquidem hi quoque sunt in numero civium : et rursus per populum non agit, quum et populus, qui vere populus appellari possit, constet ex viris bonis, ac bene sentientibus de republica : et ea comitia legitima sint, quorum auctor senatus est, quæ descriptis ætatibus, classibus, ordinibus habentur. Antonius igitur quum ferret leges per vim, exclusis bonis, et jure rogandi sublato, non agebat per populum: et rursus agebat per populum, quum cives improbi, atque ex numero civium merito exterminandi eas sciscerent ac juberent. Quid multa? audiamus Ciceronem similiter loquentem in oratione pro domo sua : « An tu populum romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras ». Ferrar. — *Multa et magna per populum, et absente populo*. Sic Pal. sec. S. Vict. et Ferrarii MSS omnes: vulgati, « per se ipsum, et absente ». Grut. — Vaticanus *populum* confirmavit, atque

ita Lamb. ex omnibus, ut ait, MSS. Mei veteres editi, et alii ante Lamb. et codices Barb. corrupti sunt. Gar.

EXCURSUS V

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 4, pag. 37:

Ad tempus occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublicæ gratularer.

Ad tempus occursurum putarem. Ant. Augustinus, « ad id tempus occursurum, etc. » F. Ursin.—*Non quo me ad tempus occurs. non putarem.* Alii, « occursurum putarem »; perperam : hoc enim dicit, non eam sibi fuisse causam suscipiendæ tantæ celeritatis, quod aliter se ad tempus occursurum non putaret : sed quod reip. quam primum gratulari cuperet. Muret. — Repugnant omnes veteres libri. Recte igitur Abramius : Non ideo festinabam, quod putarem, me interesse posse senatui, qui cogendus fuit kal. sextilibus : hunc enim nuntium aliquot diebus post kalendas acceperam : sed ut quam primum reipublicæ, cui putabam moderatione M. Antonii pacem et concordiam contigisse, gratularer. Abram. —Negatio, quæ, tamquam conjectura Mureti, rejicitur, inventa utique ab eo fuit in codice Vaticano. Eam Lambinus adscivit : sed res non mediocrem dubitationem habet. Rejectus ad Leucopetram Cicero VIII idus sextiles, ex XVI ad Att. 7, postridie, h. e. VII idus hæc audiebat. Quid ergo tum ei narrabant, « kalend. sextilibus senatum frequentem fore », quæ fuerant jam nudius septimus? Itaque, quum in illa epistola, ubi hæc eadem narrantur, *kalendis* tantum sit, eas Corradus septembres interpretatur; cujus ex sententia *kal. septembribus* hic legi debet. Verum Tullius Romam pervenit pridie kalend. septembr. Si ergo mos Corrado

geratur, apertum est, Tullium desperare, quin ad tempus occurreret, non debuisse, vulgatamque proinde stare non posse. Patet etiam, sine festinatione, quam adhibuit, iisdem kal. Tullium adesse in senatu non potuisse, ut addita negatio nihil sententiæ conferat. Nisi eum forte putemus, postquam a Bruto, quo res essent loco, intellexerit, aliquantum de illa celeritate remisisse, quippe qui a Velia quinto decimo die Romam pervenerit; quamvis de hoc quoque tempore infra dixerit, *properavi.* Sed rectum arbitror, *kal. sextilibus.* Qui enim Rhegium id nuntium attulerant, omnino ante kal. sextiles Roma discesserant: neque de kal. septembribus ea nuntiare poterant, quum aliæ proximæ interjicerentur kalendæ, quibus senatus erat habendus. Sic autem de iis loquebantur, quæ se Romæ audisse dicebant, quasi adhuc futura essent, quum tamen kalendæ præterierint; quia facta referre non poterant, sermonemque in id tempus conferebant, de quo testificabantur. Jam vero in vulgata lectione Tullius dicit, se non ideo properasse, quod kal. sextilibus putaret in senatu adesse se posse, ut senatum doceat, nulla celeritate id potuisse obtineri, quum diem non dixerit, quo nuntios audisset. Satis est enim ἀδύνατον significare. Quod si ex Vaticano negationem adsumas, hæc erit sententia: Non eam festinationis causam fuisse, quod tempus esset ullum, quod vereretur amittere. Ita kalendæ jam nullæ respicerentur. GAR.

EXCURSUS VI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 4, pag. 38 :

Multa autem impendere videbantur præter naturam etiam, præterque fatum.

Præter naturam etiam, præterque fatum. Etiam delendum est, nisi libris omnibus antiquis fidem abrogamus. FERRAR. — *Præter naturam præterque fatum.* Hunc locum explicat Gellius lib. XIII Noct. Attic. cap. I : « An utrumque idem valere voluerit, fatum et naturam, et duas res ἀνθ' ἑνὸς ὑποκειμένου, πεπρωμένην καὶ φύσιν, an vero diviserit separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus posse præter fatum, quando sic ratio et ordo et inseparabilis quædam fati necessitas constituitur, ut omnia intra fatum claudenda sint : nisi illud sane Homeri sequutus est :

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.
Ne præter fatum accedas Plutonis ad ædes.

Nihil autem dubium est, quin violentam et inopinatam mortem significaverit : quæ quidem potest recte videri accidere præter naturam. Sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit, neque operis hujus est explorare, neque temporis ». Ita quidem Gellius : sed instituti nostri ratio postulat, ut, quod ille omisit, nobis pro modulo rimandum esse videatur. E philosophis, ut dicemus in II Philippicam nota prima, quidam omnia penitus, atque adeo humanas actiones fati necessitate devinctas, alii plane liberas et solutas esse censuerunt, quam posteriorem sententiam Home-

5.

rus, Cicero, Virgilius videntur amplexi, ut ea fato tribuerent, quæ ex necessaria causarum connexione eveniunt; quæ autem humana voluntate et opera contingunt, ea fati necessitate absolverent. Diserte primo Odysseæ Jupiter in concilio deorum, vs. 32 sqq.

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν, etc.
O superi! accusant mortales numina divum.
A nobis etenim dicunt mala surgere: at ipsi
Præter fata suis vitiis hausere dolores.
Ut præter fatum Ægisthus sibi junxit Atridæ
Desponsam uxorem, etc.

Cur autem præter fatum, ipse subdit quia videlicet misso ad Ægisthum Mercurio non solum id fieri prohibuerat, sed etiam, si id faceret, pœnam fuerat comminatus. Quo etiam sensu versus a Gellio laudatus debet explicari. Iliados Υ, 332 sqq.

Αἰνεία, τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει
Ἀντί' Ἀχιλλῆος πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι,
Ὅς σευ ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισι;
Ἀλλ' ἀναχωρῆσαι, ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ,
Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.
Ænea, quis te amentem deus ire subegit
Æacidem contra, et belli certamen obire,
Qui te fortior est et divis charior ipsis?
Sed discede procul, quoties eris obvius illi,
Ne præter fatum subeas Plutonis ad ædes.

Passim denique ea quæ præter fatum eventura fuisse dicit, ea liberis, vel hominum, vel deorum actionibus tribuuntur, ut initio ejusdem libri, vs. 30:

Δείδω, μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάζῃ.
Permetuo, præter fatum ne mœnia vertat.

Iliados B, 155:

Ἔνθα κεν Ἀργείοισιν ὑπέρμορα νόστος ἐτύχθη.
Hic præter fatum populus rediisset Achivus.

Odyss. E, 436 :

> Ἔνθα κε δὴ δύστηνος ὑπὲρ μόρον ὤλετ' Ὀδυσσεύς.
> Hic præter fatum infelix periisset Ulysses.

Jam illa mors est secundum naturam et secundum fata, quæ ex principiis naturæ intrinsecis, et ex pugna quatuor primarum qualitatum, una prævalente, contingit, illa præter naturam quidem, sed tamen secundum fata, quæ ab externarum causarum serie, et quasi concatenatione quadam infertur, ut si quis pereat vel fortuita tecti ruina, vel incendio casu excitato, vel naufragio. Illa præter naturam præterque fatum, quæ nec a principiis naturæ intrinsecis, nec a causis externis agendi necessitate constrictis, sed ab hominis libertate dependet, ut quum quis sibi vel mortem consciscit, vel alterius scelere occiditur. Clare IV Æneidos :

> Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
> Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
> Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
> Abstulerat, Stygioque caput damnaverat orco.

Fato pereunt, qui propter causas necessarias, sive internas, sive externas naturæ necessitati succumbunt : merita morte pereunt, qui pro sceleribus debita morte plectuntur : at Dido misera et innocens sibi mortem adsciverat. Hunc locum a Demosthene περὶ στεφάνου sumptum etiam notavit Gellius. Nam quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, Demosthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellavit. ABRAM. — Vere Ferrarius. Nam nullus quoque meorum librorum agnoscit *etiam :* solus Muretus delevit eam vocem, quem merito sequor. GRÆV.— Immo non paullo ante Muretum hanc vocem omiserant P. Man. et Car. Stephanus. Inde factum est, ut Faernus Manutiana usus eam esse addendam monuerit: et quidem non ex uno Gellio, verum etiam omnino ex Vaticano. Faerno accessit tacitus Lambinus : silet etiam Barbador. quum ea sit in utraque Gryphiana, in Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. et Gruter. quam restituendam puto, quamvis in utroque Barb. desit,

et Grævium sequuti sint Olivet. ac Lallem. Mihi enim videtur ei sua vis non mediocris esse; magnamque Gellius, et optimus omnium codex ei conciliat auctoritatem. Nam grammaticos, qui eam non agnoscunt, nihil moror. Servius ad Virgil. Æn. IV, 653, hanc totam παρένθεσιν ita exhibet : « multa mihi imminere videbantur præter naturam, præterque fatum » : hoc est, inquit, « gladii Antonii ex casu ». Statii Scholiastes ad II Thebaid. 191 : « multa etiam contingunt præter naturam, præterque fatum ». Idem ad III, 205 : « multa autem impendere videntur præter naturam, et præter fatum » : denique ad IV, 677 : « multa fiunt præter naturam, præterque fatum ». Vides, quam sit his hominibus confidendum. Verumtamen Lutatius, ubi fidelior est, fortasse habet *et præter* culpa librariorum pro *etiam præterque*, compendiis hujus erroris causam præbentibus. De loci sententia confer Turnebum Advers. XIII, 9, qui lectionem a Mureto habet. Gar. — Satis accurate docuit Garatonius, hic post *naturam* non deesse posse *etiam*, quod Grævius in suis codd. quum non invenisset, omiserat, atque etiam Ernestius, quod a Guelf. abesset, quem sequutus est Schützius in ed. novissima.

Hujus tamen diei. Tamen positum est pro *saltem*, aut, *si nihil aliud*, ut sæpe alias: quod qui non viderant, sustulerant vocem illam, ut redundantem. Mur. — *Hujus tamen diei vocem testem.* Optime meus : « hujus diei vocem hanc testem ». Perperam ista vocula desideratur in aliis. *Tamen*, quod Faernus et Muretus reposuerunt jure, in nullo meorum exstat. Græv. —Vocem utramque unus postea Lallem. recepit, nullo addito MS suffragio. Quam tutum sit v. *hanc* ex illo unico MSS recipere, alii viderint. Gellius non ea solum caret, sed etiam, quod miror, altera *tamen*, quæ præstantissima est, atque a Lamb. non ex uno Vaticano, sed ex tribus codicibus, ut monet, recepta fuit. Puto Gellium ab aliquo ad vulgares Tullii codices emendandi causa depravatum. Gar. — Ernest. et Schütz. omiserunt *tamen*.

Quoniam utriusque consilii. Tam profectionis, quam reversionis meæ. Abram.

Idque nonnullo ejus officio debere esse. Sic o. l. v. « Idque me nonnullo ejus officio debere eê », ex quibus mea quidem sententiam, si *e* modo literam in *t* mutaveris, omne mendum sustuleris, hoc modo, « Idque me nonnullo ejus officio debere, etiam præ me semper tuli ». Ferr. — *Idque me nonnullo... debere esse.* Ita et nostri : male Lambinus et Manutius, qui *esse* mutarunt in *etiam*, adducti conjectura Faerni : quod idem dictum velim super voce *ediceret*, quam mutarunt in *ei edicerent*, præter omnes libros. Gruter. — *Nonnullo officio.* Antonius post pugnam Pharsalicam cum aliquot legionibus in Italiam remissus est a Cæsare, jussusque Pompeianos aditu Italiæ prohibere, Ciceronem Brundisii non interemit : et ita officium exigebat, ut orator amicus esset Antonio : vide Philipp. II. Abram. — P. Manut. anno 1541 *etiam* edidit pro *esse*, quem sequutus est Car. Stephanus, quamvis in suo codice id invenerit, quod Ferrarius et Gruterus in suis, egoque in Vatic. in Barb. primo, in Rom. et Ven. Nam ceteri ante Muret. habent quidem *esse*, sed carent τῷ *me* post *idque*, ut cod. Græviarus, nec male carent. Excipienda est Gryphiana MDL ex codice Ferretti emendata, in qua legitur : « idque nonnullo ejus officio deberi, etiam præ me semper tuli ». Quæ lectio videri potest Manutianæ antecellere, ut ea quoque Barberini sec. « id quod nonnullo ejus officio debere præ me semper tuli », addito huic, si vis, pronomine. Sed jam editur optime atque tutissime. Ferrar. Manut. et Lamb. non intellexerunt, quid *idque* valeret. Eleganter ponitur pro *amicumque*, pro vocis nimirum antecedentis iteratione. Consule Wopkensium Lect. Tull. I, 21, p. 114, 115. Gar. — Ernestio suspectum videtur *esse* post *debere*, et Schütz. omisit vocem immerito.

EXCURSUS VII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 6, pag. 40:

Ut, cujus sepulcrum nusquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur.

Ut, cujus sepulcrum usquam exstet, etc. Ita alias legi, est ad oram ed. Lambini; sicque Maurit. ac S. Victoris membranæ : recte : tangit morem romanum. Diis enim supplicabant, ut Romulo, cujus nusquam sepulcrum : at viris illustribus ad sepulcrum cujusque parentabant, ut Tatio, aliis, etc. Grut. — *Ut*, *cujus sepulcrum nusquam exstet*. Videtur legendum, « ut, cujus sepulcrum usquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur »; quasi dicat, ei non esse supplicandum, honoresque divinos tribuendos, qui mortuus fuerit et alicubi sepultus, ad cujus sepulcrum debeant justa persolvi. Sic pro Flacco : « Cujus damnatione sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum : hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum : justa Catilinæ facta sunt. Quam potestis L. Lentulo, qui vos in complexu liberorum conjugumque vestrarum trucidatos incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos omnes odium saturaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, etc. » Abram. — *Usquam* est quidem in Coloniensi, sed in reliquis tribus, ut et in Vaticano, *nusquam*, quod non fuit mutandum. Nam re vera nullum Julii Cæsaris exstabat tum temporis sepulcrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. Græv. — Lambin. notaverat, se in uno codice reperisse *usquam*, et conjecerat *uspiam*. Mei cum Grævio faciunt. Gar. — Damnarunt Ernest. et Schütz. *nusquam*, quod exstaret locus, ubi combustus esset. Ien. Teeg. et Britannici : *nusquam*. Recte.

EXCURSUS VIII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 6, pag. 41:

Ut in altissimo gradu dignitatis locati, rempublicam pro nihilo haberemus.

Ut in altissimo gradu dignitatis locati. Liber Vaticanus habet, « Ut in altissimo amplissimoque gradu dignitatis locati ». FULV. URSIN. — P. Man. Car. Steph. et Lamb. « consules fecit, ut in altissimo gradu ». Ferrett. huic lectioni addebat *amplissimoque*, quæ vox in Vaticano primum omissa, deinde recentiore manu continenter in margine adscripta fuit, quo nunc linea excurrit. Hujusmodi additamenta, quamvis sæpe bona, Faernus contemnere consuevit. Ceteri editi, quos habeo, « consulares fecit, ut in altissimo amplissimoque gradu ». In utroque Barb. reperi *consulares*, sed in iisdem omittitur *amplissimoque*, ut cum Aldo seniore plane consentiant, cujus editio a ceterarum turba excipienda est. Proinde id verbum omittunt omnes Ferrarii codices, qui Aldina utebatur, et silet, ut ejus sectator P. Manut. est recte interpretatus. Satis est mehercule, *in altissimo*, quemadmodum post red. in Sen. 1, pro domo, 37, pro Sext. 9, in Læl. 3. Adde ad Div. I, 7: « te facillime obtinere posse summum atque altissimum gradum civitatis ». Sed et eo loco synonyma junguntur, et non modo III de Leg. 3, « amplior honoris gradus » habetur, sed etiam VI ad Div. 10: « Quum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps »; et pro Mur. 14: « Duæ sunt artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis », plane ut h. l. Quod autem ad superiorem lectionem attinet, cum MSS quibusque melioribus Vaticanus habet *consules*, ut sese

ducem iis præbeat. Populus vero *consules* faciens, faciebat proinde *consulares*; quemadmodum senatores facere dicebatur, quia in senatum ii veniebant, et legebantur, quibus urbanos magistratus ille mandaverat. Non est itaque absurda vulgata. Gar.

Non modo voce nemo L. Pisoni consularis. Meus codex : « Non modo voce nemo L. Pisonis consularis orationi, sed ne vultu quidem assensus est »; quod minime contemnendum censeo. Græv. — Vaticanus in eo tantum a vulgata discedit, quod pro *consularis* habet *consulari.* Ultimam literam sequens absorbuit. Gar.

Quænam, malum. Vatic. immo etiam Aquila Rhetor de fig. cap. 45, *quæ, malum;* ut pro Rosc. Com. « qua, malum, stultitia fuit Roscius », cap. 18, tumque alibi, tum infra X, 9, « quæ, malum, est ista ratio ». Idem cod. « neque ego hoc, etc. » Utrumque Muret. adscivit. Gar.

EXCURSUS IX

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 7, pag. 43 :

An, si cui quid ille promisit, id erit fixum, qui idem facere non potuit?

An, si cui quid ille promisit, id erit fixum. Pro *quid*, *quod* omnes l. v. quod valde placet. In membro insequenti veteres lib. non discrepant : recentiores fere pro *fecit*, *fecerit*, quod probo : ut duo complectatur, et promissa, et beneficia. Esset autem planius, si ita dixisset : « Quodque idem facere non potuit, ut multis multa promissa non fecerit? » verbis s. conjunctione copulatis. Sed duo membra eodem modo paullo ante extulit, « Liberatus cædis periculo paucis post diebus senatus : uncus impactus est fugitivo illi, etc. » *facere* autem *promissa*, non promittere, sed promissa ser-

vare significat: quod vel ex hoc loco facile intelligi potest, et lib. III de Offic. « Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit »; et I, « Etiamne furioso promissum facere? » Ferr. — *An, si cui quid ille promisit, id erit fixum.* An, si quid Cæsar alicui promisit, id erit fixum necessarioque servandum, quod ne ipse quidem Cæsar, dum viveret, servare potuit. Tam multis enim tam multa promisit, ut servare non potuerit omnia, quæ promiserat. Alii legunt, non « quod idem facere non potuit », sed « quod idem non facere potuit ». Quasi dicat, ipse Cæsar, si viveret, non servasset omnia sua promissa, potuissetque non facere promissum, ut multis multa promissa non fecit. Quare igitur nos post Cæsaris necem ejus omnia promissa faciemus? Abram. — Interpunctionem hanc Grut. induxit de sententia Turnebi XV, Adv. 2. Rom. et Ven. « An, si cui quid ille promisit; id erat fixum, quod idem facere non potuit : ut multis multa promissa non fecit? » Ita legunt etiam Barberini ambo : nisi quod in sec. emendatum fuit *erit*, quomodo primus Aldus edidit, et pro *quid* habent *quod*, ut Ferr. P. Man. Car. Steph. et repet. Lambin. Idem Aldus et Gryph. nihil aliud a Rom. et Ven. differunt in lectione: sed interpunctionem habent ceteris omnibus ante Grut. communem; notam interrogationis verbo *fecit* non apponunt, sed v. *fixum*. Lamb. legit et distinguit, ut Aldus, sed ex Mureti conjectura habet, « non facere potuit », sensu planissimo. Naug. Cam. P. Manut. Ferett. Car. Steph. et repet. Lamb. « ut multis multa promissa non fecerit ». Infra Lamb. « quam a vivo », probante Barbadorio, sine necessaria causa, qui tria hic verba delebat, « promissa non fecit ». Gar. — *Non facere.* Hanc vocum collocationem probarunt etiam Ern. et Schütz.

Quod idem non facere potuit. Antea legebatur : « Quod idem facere non potuit »; neque sane aliter est in optimo illo libro, quam in pervulgatis. Si quis tamen sententiam accurate consideret, spero ei conjecturam nostram proba-

tum iri : jam quantum intersit inter hæc duo, potuit non facere, et, non potuit facere, qui per se non videt, legat Aristotelem περὶ ἑρμηνείας. Mur. — *Quod idem facere non potuit.* Videtur legendum, *non facere potuit.* F. Ursin.

EXCURSUS X

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 8, pag. 45 :

Quicumque equo meruisset, etc.

Quicumque equo meruisset. De equo publico et privato non attinet plura dicere, quod Justus Lipsius libro primo de Militia romana, dialogo 5, totam hanc difficultatem exhauserit, ad quem te remitto, et ad Valtrinum nostrum libris de re militari rom. tantum adverte, hunc locum intelligendum videri de iis, qui equo publico meruissent, neque enim videtur laudatius equo privato merere, quam ordines ducere. Abram. — Grævius in præf. citata non modo cum Abramio equites, qui equo privato merebant, hinc excludit, sed eos etiam nullos fuisse contendit. Ego Sigonium l. c. quem ille coarguit, non omnia recte sensisse intelligo, sed exstitisse, qui proprio equo meruerint, multis ostenderem, si locus pateretur. Dukerus ad Liv. V, 7, mecum facit, ne Grævio antiquiores nominem : immo, qua re ille ait multum juvari Grævium, quod equites nullibi cum adjectione *equo privato* nominentur, id ego nihili facio. Satis est enim excludi quandoque, aut non adesse publicum. In hoc autem vexato Tullii loco tam est γενικὸν, « quicumque equo meruisset », quam Antonianum illud, quod refellitur, « quicumque ordinem duxit ». Sed, ut hinc quidam centuriones, ita illinc quidam equites rom. sunt detrahendi, una utrique de causa, quod antea judicabant. Centurionibus, qui censum legitimum habebant, ceteros omnes addebat Antonius. Pe-

jus hoc esse ait Cicero, quam si equitibus rom. qui censum judicialem habebant, ceteros omnes quoscumque equites adderet. Nam eo tempore judices lege Pompeia legebantur, quam Asconius ad cap. 39 in Pison. sanxisse ait, « ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter, quam antea, lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus res judicarent ». Hinc, ut vidit Manut. objicienti Antonio, « census præfiniebatur », respondet Cicero, « non centurioni quidem solum, sed equiti etiam romano ». Non quivis eques rom. ut antea, judex legi poterat per legem Pompeiam: sed ex iis, qui omnium amplissimum censum haberent, tot deligebantur, quot essent ad numerum : tenuiores ad urnam judicialem adspirare non poterant. Itaque, quum hac additione Tulliana equites contineantur omnes, qui a judicando tum erant exclusi, et equo meruerant, nulla est equi publici et privati facienda distinctio : partim eorum equites rom. erant, equestri censu, etiam paullo majore, sed eos alii opibus superabant: partim autem minore usi censu, aut in ordinem non adlecti, equo privato meruerant. Jam vero, quum lege Aurelia, item Pompeia, tres decuriæ judicum essent, in prima senatores, in altera equites rom. in tertia tribuni ærarii; et quum C. Cæsar tertiam sustulerit, ut ex Suet. Cæsar. 41, et hoc ipso loco Tullii constat; iis legibus in equestri decuria centuriones judicasse cognoscimus. Forte primi pili centuriones, quos in equestrem locum pervenisse Lipsius ostendit, non centurionatus jure, sed quod equites rom. erant facti, judicabant : ut census dicatur non ei solum præfinitus, qui centurio fuerit, sed ei quoque, qui semper eques romanus. Certe apud Ascon. et alios, qui judiciarias leges referunt, centurionum nulla fit mentio. Sed obscura res est. GAR.

Quod est lautius. Ita melius, quam, ut antea, *laudatius*. Lautos autem vocabant honestos ornatosque cives. Terentius,

> Omnes in lauta te, et bene parte aucta putant.

MUR. — Omnes tamen libri veteres, quos ego inspexi, *lau-*

datius, aut *laudacius*, non *lautius*, quod hic non præferam vulgatis. Græv. — *Quod est laudatius.* Quid igitur? laudatius equo merere, quam ordines ducere? Ita videtur : nam primipili centurio, qui et primus centurio, et dux legionis vocabatur, et LIX reliquis centurionibus aquilæque præerat, præmii loco solebat ad dignitatem equestrem promoveri. Martialis:

Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

Ovidius III Amorum, eleg. 8, de æmulo suo in amore :

Ecce recens dives parto per vulnera censu,
Præfertur nobis sanguine factus eques.

Item :

Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum,
Scuta tulit.

Ostendit equitem ab insigni et annulo aureo. Denique clarissime ad primum pilum hæc refert cum indignatiuncula :

Discite, qui sapitis, non hæc, quæ scimus inertes,
Sed trepidas acies et fera castra sequi.
Proque bono versu primum deducite pilum.

Hæc Lipsius libro II de Militia Romana, dialogo 8, et dialogo sequenti, « equites pari pæne loco et dignitate cum tribunis » militum fuisse testatur. Abram. — Solus Lamb. recepit *lautius*, quod egregium est, et a codice Vaticano sine ulla dubitatione profectum. Afranius apud Non. pag. 337, ed. Merc. « Equidem te numquam mihi parasitum, verum amicum, æqualem, atque hospitem Cottidianum, et lautum, et convivam domi ». Sic enim ibi legendum. Sed *lautius* tum referri ad dignitatem potest, tum ad opes, tum etiam ad utrumque. Omnino *lautum* dicitur, quidquid splendorem habet ac decus. Vide, quæ de hoc ipso adverbio notavit Malaspina ad II ad Att. 18, quem descripsit Pareus in Lex. Crit. p. 668, locum tamen addens Mureto utilem de Off. II, 15, ubi ea beneficientiæ ratio, quæ in opera posita est, *lau-*

tior ac splendidior esse dicitur, quam quæ in pecunia. Mavult ibi quidem *latior* Cl. Chapman : estque permutatione hujusmodi prælatum *latius* a Davisio de Leg. II, 1. Sed a libris periculose, nec juste discederetur, si ei adsentiremur. Notandum est præcipue, quod ad Div. XV, 14, ait Cicero, « nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius », quodque ibi eadem de re subdit, « laudabile atque populare est »; ut, unde hic profluxerit *laudatius*, et quam parum critice præferatur, appareat. Non est autem ea comparatio hic instituta, quam putat Abramius. Remove primi pili centuriones, et equites rom. opulentiores, ut modo dixi. Facile videantur reliqui centuriones cuivis equiti rom. et divitiis et dignitate concedere. Restant equites, qui equo privato merebant. Hi quoque videntur, in honestiorem militiæ gradum ab initio venisse, et domo aliquid attulisse : quum centuriones homines essent infimi, fortitudine, ac *per vulnera*, ut ait Ovidius, altius evecti. Erat igitur *lautius* equo merere, quam ordines ducere, quod homines honestiore loco nati, educatique liberalius in equitum decurias adscriberentur. At quibus eorum aditus ad judicandum non patebat, quamvis dignitas in iis esset, census obstabat, non is quidem in multis exiguus, sed in omnibus minor, quam judici erat necesse. GAR. — Merito defendit Garat. *lautius*, quod nec Ern. nec Schütz. receperunt.

EXCURSUS XI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 9, pag. 47:

Ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit jure damnatus?

Ad eam ipsam reverti. Post *ipsam* adde dictionem *vim.* Idque non modo ex antiquo libro, sed ex multis aliis scriptis, hoc sensu: Fingamus, seditiosum aliquem, multitudine concitata, legitimum populi concilium disturbasse, aut legem aliquam per vim ferri curasse, eoque nomine de vi esse damnatum: huic si daretur provocatio ad populum, profecto reditus ad priorem vim daretur, per quam apud populum causam provocationis obtineret, si jure non posset, idque summa cum turpitudine legis id permittentis, quippe quæ de vi condemnato potestatem tribueret per eamdem vim se absolvi faciendi. Faern. —Alibi docebam, duas omnino diversas quæstiones fuisse, de majestate et de vi, duabus legibus constitutas, Cornelia et Plautia, quas duo diversi prætores exercerent. Id ex hoc capite magis perspicuum fit: «duæ, inquit, maxime salutares leges, quæstionesque tolluntur», et mox, «his duabus quæstionibus de vi et de majestate sublatis». Sed tamen ita erant affines, deque iisdem fere criminibus constitutæ, ut una et eadem quæstio videri possent. Hinc pro Cœl. 29: «De vi quæritis: quæ lex ad imperium, ad majestatem, ad statum patriæ, ad salutem omnium pertinet». Neque enim inferri vis reip. poterat, quin læderetur majestas, et ex læsa majestate vis aliqua semper arguebatur. Quapropter Cicero: «qui majestatem populi rom. per vim minuerit»; minuebatur enim tum vi reip. illata contra L. Plautiam, tum imperii majestate læsa contra L. Corneliam: «ad eam ipsam vim reverti,

propter quam sit jure damnatus »; nam sive de vi, sive de majestate damnatus esset, semper fecerat vim. Ferr.—Vox *vim* omittitur in Barb. pr. et in omnibus ante Car. Steph. editis, qui eam primus ex suo certe codice invexit. Omittebatur etiam in Barb. sec. sed fuit a Politiano superposita. Recte a Barbadorio probatur : nec merito dubius hæret Manutius, qui non perspexit, quid sibi hoc vellet, «ad eam ipsam vim reverti». Neque plus eo perspexit Ferratius Ep. III, 14. Sed unus hoc Faernus expedivit. Nimirum qui eo nomine damnatus esset, quod vim adversus remp. adhibuerit, provocatione iterum armabatur, ut eadem sua illa vi in judicio populi uteretur. Gar.

Objici se. Objicere se, corrige ex antiquo libro, quamvis habeat particulam *se*, non in contextu, sed interpositam. Faern.— At nostri omnes *objici.* Græv. – Suspecta mihi quoque unius optimi codicis lectio est. Eam nempe induxit fortasse aliquis propter sequens verbum *damnare.* Vide ad c. 5 pro Lig. Gar.

Quid est aliud igitur adhortari. Sublata dictione *igitur*, quæ ne necessaria quidem est, lege, «quid est aliud hortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi »; hæc est enim antiqua lectio. Faern.—*Quid est igitur aliud? quam adhortari.* Sic Lang. quicum plerique libri consentiunt, « Quid est aliud igitur adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, etc. » Ut in lib. II de Fin. bon. et mal. « Quid est enim aliud, esse versutum? » Ferr. — *Quid est aliud igitur adhortari.* Ejeci *quam* jussu S. Victor. et sec. quibus auctoribus adhuc poterat exturbari *igitur.* Grut. — Merito *igitur* suspectum fuit Grutero, quod jam ante deleverant Faernus et Muretus, et respuit Colon. Græv.—Omnes ante P. Man. et duo Barb. tam male inserunt *quam*, nunc jure sublatum hinc, et ex II, 4, plaudente Fr. Fabricio ad II de Offic. 23, quam cod. Gronovii *nisi*, in quo est: «quid est aliud igitur, nisi adhortari». Eadem corruptio contigit in Pison. 20, item l. c. de Offic. in MSS aliquibus. Vocem *igitur* damnat ejus

etiam varia collocatio, quam observavi. Solus Lamb. ex Vat. *hortari*, Faerno et Mureto præeuntibus. Gar.

EXCURSUS XII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 10, pag. 49:

Et in æs incidi videbitis. Cedo illa legitima, etc.

Et in æs incidi jubebitis: cedo illa legitima. Pro *credo*, quod et prius in vulgata erat, et in antiquo atque omnibus aliis, quos nos vidimus, libris est, Ferrarius *cedo* substituit; nos tamen priorem lectionem tuemur, delentes distinctionem post *jubebitis*, et pro *hoc enim*, emendantes *hoccine* ex auctoritate antiqui libri: ut totus locus ita legatur: « Quid tum, quod ita gestum erit, id lex erit, et in æs incidi jubebitis, credo, illa legitima: Consvles. popvlvm. ivre. rogavervnt. hoccine a majoribus accepimus jus rogandi? popvlvsqve. ivre. scivit. qui populus? » ut illa verba, *quid tum?* Ciceronis sint, seipsum interrogantis; quæ vero sequuntur, ejusdem sibi ipsi respondentis, ad Antonium tamen et Dolabellam sermone directo; cujus quidem sermonis prima pars ironia est, usque ad eum locum, *hoccine a majoribus*; nam inde non jam ironia, sed aperta reprehensio est: quod leges per vim contraque jus rogandi acceptum a majoribus ferri parentur. Faer. — *Quod erit ita gestum, id lex erit; et in æs incidi videbitis.* Sequutus sum Guilielmium, qui istud repererat in fragmento Coloniensi atque libro S. Victoris : neque aliter Pal. sec. vulgo erat *jubebitis*, minus recte: non enim senatus id jussurus erat; neque exspectaturus Antonius jussum senatus; quod ipsum omnino produnt et præcedentia et sequentia. Grut. — Vehementer miror, a sua consuetudine Grævium hic abiisse, qua solet Vaticano codici adhærere. Non dubito, quin optima et lon-

ge præstantissima Faerni tota lectio attendenti cuique videatur. Lumen orationi maximum adfert ille codex voce illa *hoccine*, quam solus habet : neque ferri jam vulgata potest, quum comparaveris. Vide Manut. cui vocem istam in commentario probanti et explicanti filius non paruit. Eamdem Muret. quoque male contempsit. Cetera item egregia firmantur a libris plurimis. Nam *jubebitis* habent omnes Ferrarii, et ipsius Grævii codices, et Barb. sec. atque omnes ante Grut. editi. Ex solita permutatione in MSS Grut. et Barb. pr. factum est perperam *videbitis :* erravitque Gruterus, dum hæc ad senatum, in quo Cicero loquebatur, censuit referenda : spectant enim ad consules, ut ea, de quibus diximus ad cap. 9. Denique *credo* exhibent Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. et Hervag. et Gryph. quum Naug. P. Man. Car. Steph. Mur. repet. Lamb. et Grut. *cedo* male præbuerint, omnes ex Ferrario, si Naug. excipias. Aliis locis sollicitatum verbum *credo* defendit Wopkens. Lect. Tull. II, 2, p. 127. Tantum *quæ* jam inde a P. Man. jure deletum fuit, Ferr. MSS, Vatic. et aliis auctoribus, quod Barb. uterque pessime retinet. Recentiores maluerunt Gruterum sequi, quam cum Faerno et Lambino recte sentire. Gar.— Grævius habet : « videbitis, cedo illa legitima c. p. i. r. hoc enim, etc.» Ern. Græv. lect. sequutus est, item Schützius, qui *cedo* tantum mutat in *credo*. At facio cum Garatonio, qui præoptavit veram lectionem.

Credo illa legitima : quæ consules populum jure rogaverunt. Ita sine controversia corrigendum est : « Cedo illa legitima : coss. populum jure rogaverunt (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi) populusque jure scivit ». Hoc autem principium erat legum latarum : id apparet apud Frontinum de aquæ ductibus, cujusdam legis verba subscribentem : « T. (inquit) Quintius Crispinus cos. populum jure rogavit, populusque jure scivit ». Probus quoque has legum notas, p. i. r. p. q. i. s. sic interpretatur, *populum jure rogavit, populusque jure scivit*. Eodem accedit auctoritas anti-

quorum librorum, qui ad unum omnes sententiæ nostræ suffragantur. Ferr.

EXCURSUS XIII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 10, pag. 49:

Quod est amicorum, ante dicere ea, quæ vitari possunt: quæ si facta non erunt, refelletur oratio mea.

Quod est augurum : ante dicere ea, quæ vitari possunt. Amicorum, pro *augurum*, o. l. v. cætera eodem modo. Quid hic augures, aut amici, aut omnino omnia hæc verba sibi velint, non dispicio: ut valde suspicer, vel dicam pro certo putem, totum hunc locum, quem supra scripsi, interpretationem esse eorum hominum, qui glossas sub omnibus verbis subscribunt : nam quod dixerat, *de futuris*, suggesserunt (credo) elegantes illi interpretes, «quod est amicorum ante dicere ea, quæ vitari possunt», quæ verba librariorum imperitia in omnes postea libros irrepserunt. Ferr. — *Quod est augurum, ante dicere ea quæ vitari possunt.* In antiquo libro pro *possunt*, *possint* legitur: quod parvi refert: pro *augurum* vero, *amicorum ;* quam veram lectionem putamus; hoc sensu, si ego vos de re jam facta accusarem, diceremque, aliquam vos legem per vim tulisse, forte possetis de me queri, quod non benivolo erga vos animo ea dicerem, quæ jam infecta esse non possent : nunc vero hæc dico de futuris : deque iis, quæ vobis integrum est, vel facere, vel non ; in quo vos ut amicos tracto : amicorum enim est, de iis, ante admonere amicos, quæ vitari ab iis possunt: in vestra ergo potestate est, hæc vitando quæ dixi, refellere orationem meam, et inanem ostendere metum, quem de vobis concepi; quod ita assequemini, non per arma, nec vim, ut ego nunc prædico vos esse facturos. Faern.

— Recte *amicorum* cum Ferrarii MSS et Vatic. etiam cod. Car. Stephani, et cum Grut. Græv. et Lamb. etiam Verb. et Lallem. Redierat Olivet. ad ceterorum editorum lectionem *augurum*, quam Barb. ambo servant, et Barbadorius quoque improbaverat, nullum hic ei locum esse intelligens. Etiam Barb. uterque *possint*, quod unus ex meis editis Lamb. recepit. GAR. — Etiam Ern. et Schütz. habent lectionem illam.

Denuntio : vim, arma removete. Nos post *denuntio* tollendam distinctionem putamus, ut vox *vim* passive accipiatur, id est, quæ nobis illatum itur : ut par pari reddatur, demonstro vitia, denuntio vim : quod non ea ratione dictum volumus, quia vis non nisi per arma inferatur, sed quia per arma plerumque. FABRNUS. — *Denuntio vim, arma : removete.* Ita a me est editum septem abhinc annos, in prima jam editione Ciceronis, itaque distinctum atque interpunctum : quod eo scripsi, quia, quum Petrus Victorius, in posterioribus libris Var. lectionum, qui nuper in Galliam perlati sunt, c. 13, l. XXXII, ex hac sola tam levi observatione concinnasset : hoc ipsum, quod, qualecumque est, sive laude dignum est, sive secus, meum est : id tamen mihi ademptum alteri tribuit. Quod miratus sum : neque putaram, in P. Victorio tantam inesse, κακοήθειαν non dicam, non enim convenit hujus nominis vis in virum optime moratum : εὐήθειαν multo minus : non quadrat hoc nomen in virum cordatissimum ac prudentissimum : ῥᾳδιουργίαν nihilo magis, qui sit homo diligentissimus et vigilantissimus : sed tamen non putaram, P. Victorium talem esse, ut et, quos laudare vellet, alienis laudibus ornaret, et, quod præclare factum confiteretur, suis auctoribus eriperet. Quid enim aliud fecit Petrus Victorius, quum hujus loci interpunctionem in illa mea editione, quam a se visam negare non potest, plane exstantem : quam interpunctionem laudat, et vulgatæ anteponit, ut debet: cuidam homini injustissimo, qui alieni laboris fructum

præcerpere conatus est, adscribit, quod non debet, quum mea editio aliquot annis ante editionem illam prodierit? Quid ergo? Illine hanc Petri Victorii laudatiunculam, præsertim falsam, invideo? Nihil minus. Sed Petri Victorii ἦθος considero : injuriam mihi ab utroque factam queror : ab illo, quod opus alienum tractare et interpolare ausus sit, invito domino, nihil ipse novi afferens, præter nugas, nullisque adjumentis instructus, nullis codicibus antiquis fretus, quibus videri alicui posset novum aliquod opus fecisse: de Victorio, quod rei, judicio ipsius, laude et sermone dignæ, meo, levis et nugatoriæ: quæ tamen mea, et domi meæ nata, et a me profecta est, gratiam, quæ mihi debetur, alteri adjudicat. Sed quid hoc leve queror : quod gravius est, taceo? Idem lib. XXXVIII, cap. 15, dissentiens a me in eo, quod apud Aristotelem lib. VI de moribus ad Nicom. locum illum in omnibus codicibus unius literæ adjectione corruptum, ejus detractione sic emendarim, ὥστ' εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴ, ἔχουσα, ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων, etc. et lectionem vulgatam defendens, ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, quæ lectio ineptissima est, neque ullo modo ferri potest, nisi forte scientia aliqua est ἀκέφαλος, quod dictu ridiculum est : mea autem emendatio recta : volens enim ostendere Aristoteles, sapientiam esse scientiam rerum honoratissimarum, et scientiam omnibus aliis scientiis anteponendam, dicit, illam esse tamquam caput aliarum scientiarum, et capitis rationem ad alias scientias obtinere : quemadmodum igitur caput omnium partium corporis animati pars est præstantissima : ita sapientia omnium scientiarum est præstantissima et honoratissima. Hæc Aristotelis sententia est : quod si diceret, ut vult Victorius, sapientiam esse scientiam caput habentem, sive potius, capite præditam : quam ei laudem tribueret? aut qua eam re ceteris scientiis præstare diceret? si enim hoc significaret, sapientiam scientiam perfectam esse, alias vero imperfectas : quid esset, quod eam tantopere laudaret, si scientiis

imperfectis præstaret? sin eam cum scientiis perfectis comparare vellet, et eam diceret caput habere: quo modo ostenderet, eam aliis esse præstantiorem, si aliæ quoque perfectæ sunt, id est, caput habent? Vides, lector, quam inepta atque absurda sit lectio vulgata, quem vir ille alioqui doctissimus tuetur. In eo igitur loco, ubi hanc scripturam tam ineptam defendit ille, meam autem emendationem oppugnat, ita dormitavit, ita oscitatus est, ita denique aliud egit, ut scripserit, me sententiam meam Mureti auctoritate confirmasse, quum Mureti in ea disputatione nullam mentionem fecerim, sed Eustratium, auctorem, quod concedat ipse Muretus, aliquanto meliorem (poteram etiam D. Thomam ei adjungere, quem quomodo præterierim, nescio), meæ sententiæ adstipulatorem et confirmatorem produxerim. Tanta fuit hominis in iis libris conscribendis, ne quid gravius dicam, ὀλιγωρία καὶ ῥᾳθυμία. LAMB.—*Denuntio vim, arma: removete.* De hac distinctione optimus virorum P. Victorius lib. XXXII, c. 13, in quem dum hic invehitur Lambinus Lycambeis armis, ostendit, quam sit animi pusilli, immo nullius. GRUT. —*Irasci quidem mihi, Dolabella.* Sic Gad. « Irasci te quidem mihi, Dolabella ». Lang. et cum eo multi alii, « Irasci vos quidem », quod magis placet, subjungit enim, « Quamquam quidem te id facturum non arbitror. FERR. — *Irasci te quidem.* Hic locus in antiquo libro recte, ut puto, ita totus legitur: « Irasci quidem vos mihi, Dolabella, pro rep. dicenti non oportebat: quamquam te quidem id facturum non arbitror, novi facilitatem tuam ». FAERN. — *Non oportebat* restituerunt ex Vaticano Faernum sequuti Muretus et Lambinus, quos et sequor. Vulgati *oportebit.* GRÆV. — Sequutus est cum Faerno, Mureto et Lamb. in omnibus his Vatican. codicem Cl. Lallem. et probo, quod etiam v. *enim* detraxerit, quamvis recte adsit: sed nollem *oportebat.* Incipit enim Tullius hac primum oratione de rep. dicere adversus consules: et quæ hic sequuntur, omnia de futuro dicuntur. Itaque restituendum censeo,

vos quidem... oportebit. Sic plane cod. Car. Stephan. ambo Barb. et plerique Ferrarii, sic Ven. Naug. Camer. Gruter. Verb. et Oliv. Gryph. Male Gad. P. Man. C. Steph. et rep. Lamb. *te* pro *vos*, idemque *te* superscriptum vidi in Barb. sec. ex alio certe codice. Neutrum est in Rom. et Ald. ut editum Ferrar. invenit. Immerito etiam Barbadorio placuit, *te quidem... oportebat.* Solus Vatic. *oportebat*, et ab eo solo abest *enim;* ex eodem solo infra Faern. Muret. Lambin. Græv. Olivet. et Lallem. « iracundum audio esse factum », quum in cæteris omnibus *esse* desit, quod ego verius omitti dicerem, nisi meliorem numerum reddere videretur. Nam quod in Græviana omittatur *audio*, id culpa operarum factum emendavi. Gar. — Consentiunt cum Garatonio Ern. et Schütz. Iidem in textu omiserunt *esse* ante *factum*.

EXCURSUS XIV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 12, pag. 51:

Ea est autem gloria, laus recte factorum, magnorumque in rempublicam fama meritorum, etc.

Ea autem est gloria, et laus. Ea a nonnullis v. l. abest : quam probem, hinc poteris existimare, quod id conjectura sustuleram. Ferr. — *Ea autem est gloria.* Antiquus liber, « est autem gloria ». Faern. — *Gloria.* Vide dicta pro Marcello : « Gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum ». Abram. — Pronomen *ea* nemo ante Lamb. sustulit, ne Muretus quidem, et merito. Non modo id in utroque Barb. exstat, qui vulgatam veterem a Ferrario relatam præbent, verum etiam in Vaticano ita reperi : « Ea est autem gloria, laus, etc. » quod restituo. Est ibi quidem conscriptum *ea* literis exilioribus ad initium

versiculi, sed eodem plane, quo omnia, atramento, et manu: nec vero id se deletum velle indicat ipse Faernus. Vocem *autem* retraxerant, qui tertio loco poni nolebant, quod refutavimus ad cap. 2 pro Cœl. Sic pronomen adhibetur a Plauto, Trin. III, 2, 71, et alibi ab ipso Tullio, sive pleonasmum dicas, cujus trita est observatio, sive adpositionem, sive demonstrationem. E converso Sallust. Catil. XXXVII, 4: «Sed urbana plebes, ea vero præceps ierat multis de causis». Cortium ibi consule. Nec facere possum, quin ad eam rationem revocandum moneam varietatibus et glossis insignem locum in Læl. 19: quem ex optimo codice Pithœano ita constituo: «maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo». Hunc ἰδιωτισμὸν et per se nitidum atque urbanum, et ab analogia firmum atque rectum non perspexit Grævius, qui ex antiquissima illa lectione ab se prolata emendabat, «quin in ipso equo». Editur magno consensu, «atqui in ipso equo», Rogerio et Langio tacentibus, ut etiam in cod Barb. n. 2507. In sex Man. quatuor Palat. et Barb. n. 1412: «ut in ipso equo»; in alio Barb. n. 861: «quod patet in ipso equo». Quartus vero Barb. n. 1413: «quomodo in ipso equo», et, «Nemo enim est». Emendatorum tentamina, eorumque causa, ipsa denique Tullii manus manifesto se prodit, ut fert mea quidem opinio. Gar. — Ern. et Schütz. «Est autem gloria»: at accurate defendit Garat. Vat. lectionem: «ea autem est gloria». Teeg. et Erlang. sequuntur Vat.

Magnorumque in remp. meritorum. Ita quidem habet et antiquus liber; sed lectio, quæ est in quodam meo sane vetusto, una voce locupletior, pleniorem et sonantiorem numerum efficit, *fama meritorum*. Faern.— Sequitur hunc codicem Lambinus et Manutius, et merito. Græv. — Firmat vocem *fama* in illo uno Faerni cod. inventam similis locus pro Marc. 8, quem attulit modo Abramius: item II de In-

vent. 55 : « gloria est frequens de aliquo fama cum laude »; et III Tuscul. 2 : « est enim gloria... consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute ». Incorruptæ illi voci fama subest. Accedit locus pro Sext. 66 : « qui autem bonam famam bonorum, quæ sola vere gloria nominari potest, expetunt, etc. » Accedit denique imitatio Boethii Consol. II, pr. 7 : « optimorum in rempublicam fama meritorum ». Isidorus Orig. II, 30, citat ex h. l. « gloria est laus recte factorum », quod jam notavit Schottus I Nod. Cic. 14. Gar.

Expertum videremus. Viderem o. l. v. Ferrar. — *Nisi te paullisper esse expertum viderem.* Interpone ex antiquo libro duas has voces, *præter ceteros*, in hunc modum, « nisi te præter ceteros paullisper esse expertum viderem ». Faern. — *Nisi te paullisper esse expertum viderem.* Lambinus et Manutius alia interponunt : sed ita nulli MSS nostri, ita nulli venustius impressi. Grut. — Si Gruterus vidisset animadversiones Faerni, non hæc effudisset. Cognosset enim, *præter ceteros* inveniri in Vaticano codice, qui antiquitate et bonitate ceteros omnes superat, in quibus hæ orationes leguntur : quem merito Faernus et Lambinus sunt sequuti. Græv. — *Viderem* jam inde a Naug. recipitur : quæ lectio vincit numero et pondere suffragiorum. Rectum tamen erat, *videremus*, ut est in Romana, Ven. Ald. et utroque Barb. In horum secundo Politianus emendavit, « nisi te paullo ante expertum esse videremus ». Omiserant *præter ceteros* post Græv. denuo Verb. et Olivet. revocavit Lallem. et a solo Vatic. est, ipso contemnente Mureto. Mox autem Vat. *inluxisse tibi*, ut Muret. et cum nota MSS Lambinus, nuper etiam Oliv. ac Lallem. quem ordinem ego quoque præfero. Gar. — Ernest. et Schütz. omiserunt ante verba *esse expertum*, vocem *paullisper*, quod in Vatic. desideretur, et Muret. Manut. denique Grævius eam omiserint, quum tamen et sit in Vat. teste Faerno, et reliqui editores, ipse Grævius eam vocem servaverint. Teeg. et Erlang. omittunt *paullisper.*

EXCURSUS XV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 13, pag. 52:

Quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est?

Quanto metu veterani. Qui metuebant, ne iterum abriperentur in nova bella civilia. ABRAM. — Nihil ad hunc locum veteranorum metus, si quis umquam fuit. Nam illi optabant potius bellum, et desiderabant vindictam cædis Cæsaris. Itaque Manutius censet hanc vocem delendam. In Francii et meo MS est, « quanto metu veteri, quanta sollicitudine civitas ». In Amsterd. *metu vetere.* Sed non antepono vulgatæ hanc scripturam. Nam cur vetus dicatur, quo correpti tenebantur Romani post tyrannicidium, non video. Forte *quanto metu ceteri*, scilicet qui non erant cives romani, sed socii et fœderati. Aut, si retinendum *veterani*, subaudiendum *militis*, pro quanto metu veteranorum, qui cædem civium et direptionem Urbis propter Cæsaris necem credebantur moliri, est liberata civitas. *Veteranus* pro *veterani*, ut eques, pedes, miles, sæpe pro equestribus, pedestribus copiis, militibus : at est hoc durius. Cogitent de his acutiores. GRÆV. — Etiam uterque Barb. *veteri;* sed recte in eorum secundo emendatum est *veterani*, ut habent MSS meliores et omnes editi. Distinguenda sunt tempora. Post kalend. junias id contigit, quod narratur cap. 2 : « Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum prædarum incitabantur ». Tunc veterani ad remp. evertendam sollicitari cœpti sunt maxime. Sed ex eo loco, quid antea eorum causa factum fuerit, intelligitur. Senatus omni cautione bona et præmia muniverat,

quæ veterani erant consequuti. Hæc ne amitterent, quum Cæsaris nece conversus orbis reip. videretur, tunc metuebant; eoque metu per Antonium cos. a senatu liberati sunt. Horum autem ipsorum metus civitatem sollicitam efficiebat, ne quid novi molirentur, seseque cum perditis hominibus, qui turbas non mediocres dabant, irati armatique conjungerent. Id senatus decrevit in æde Telluris paullo post idus martias, quum acta etiam Cæsaris omnia confirmata sunt, eodem die, qui cap. 1, et ad Att. XVI, 14, et hic, tamquam insignis, commemoratur, etiam denique II Phil. 35, ubi tertius ab idibus martiis fuisse dicitur, in quem Liberalia incidebant. Jam XIV ad Att. 14, hæc leguntur : « Nam Liberalibus quis potuit in senatum non venire? fac id potuisse aliquo modo : num etiam, quum venissemus, libere potuimus sententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, quum præsidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? » Quamvis igitur sic se res habuit : tamen, quia veterani potentissimi erant, et in plura dispertiti genera, ut ex XI Phil. 14 et 15 cognoscimus, inter quos quieti plurimi, et mentis erant egregiæ; tum quia cauta ista est de Antonio, et non inimica oratio; idcirco metu liberati veterani dicuntur, quem pars eorum etiam intulerat, eaque laus Antonio tribuitur, qui eos complectebatur, et defendebat, concordiæque causa eorum commodis a senatu consulendum curaverat. Metum veteranorum confirmat ipsius Antonii metus, de quo II, 35 et 36, quem jam kal. juniis exuerat : neque dubito, quin exstiterit. Gar. — Ern. scripsit quidem in textu *veterani*, at temere suspicatur *senatus* esse legendum. Schütz. omisit eam vocem. Male. Teeg. *veterani*. Erl. *vetere*. φ. *cetera*.

Quum tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitis auspiciorum, auguria te ipso augure nuntiante illo primo die, etc. *Quum* ab o. l. v. abest: cetera sic, « Tuum collegam depositis inimicitiis, oblitus auspicia te ipso augure nuntiante illo primo die, etc. » Ego sic arbitror emendandum, « Obli-

tus auspicia a te ipso augure nuntiata, etc. » Id enim hoc loco mihi significare videtur, quod in sequenti oratione declarat, « Confecto negotio bonus augur, Lælium diceres, alio die inquit ». Et paullo infra, «Augur auguri, consul consuli nuntiavisti ». Et alio loco, « Quamdiu tu voles, vitiosus cos. Dolabella : rursus, quum voles, salvis auspiciis creatus ». Et ibidem, « Si nihil est, quum augur his verbis nuntiat, quibus nuntiasti ». Et in V orat. « Quid, quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum ? » Quum igitur sentiat Cicero, M. Antonium, depositis simultatibus, oblitum auspicia, quæ augur ipse nuntiarat, quorum nuntiatione Dolabellam cos. vitiosum fecerat, illo primo die, quo senatus in æde Telluris fuit, suum collegam pro collega habuisse : hanc rem librorum verba mihi declarare non videntur : sed nihil affirmo : tantum sententiam meam testificor, quam tum affirmabo, quum unum aliquem librum hujus adstipulatorem nactus ero : illud quidem pro certo dixerim, non post mortem Cæsaris Antonium Dolabellæ nuntiasse, sed tum, quum Dolabella jussu Cæsaris consul renuntiatus est : id quod Appianus et Dion apertissime ostendunt, qui quidem memoriæ prodant, Dolabellam, simul ac de interitu Cæsaris certior factus sit, statim sua sponte susceptis consulatus insignibus in publicum prodiisse, habitaque ad populum oratione temporibus non aliena, in Capitolium ad conjuratos ascendisse. Hæc autem de auspiciis disputatio me loci illius pro Cluentio commonuit, « Nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus ». In quo tu vide ne pro *auspiciis auspicibus* sit reponendum : siquidem non auspicia in nuptiis, sed auspices adhibebantur : hic ipse declarat lib. I de Divin. «Nihil fere inquit, quondam majoris rei nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur : quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant : qui re omissa nomen tantum tenent ». Idem Valer. Maxim. tradit. De iis Plaut. « Ultro ibit nuptum : non manebit auspices ». Ferr. — *Oblitus auspicia te ipso augure nuntiante.*

Antiquus liber ita habet, « oblitus auspiciorum a te ipso augure pronuntiate »: nos pro *pronuntiate* ita legimus, *P. Ro. nuntiatorum*, ut hæ duæ notæ sint vel genitivi casus, et pendeant a voce augure, ut sit, a te ipso augure populi romani, vel dativi, et regantur a dictione nuntiatorum, ut sit populo romano nuntiatorum. Si quis tamen vellet legere *pronuntiatorum*, non repugnarem. Faernus. — Cur Gruterus retinuerit ex editionibus prioribus *auguria*, eumque qui post Ciceronem ediderunt sequantur, sic enim legit, « depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum, auguria te ipso augure nuntiante », causam nullam video, quum id nec in Manutii, Lambini, Faerni et Mureti editionibus, nec in Colon. Franc. Græv. Amsterdam. MSS compareat. Quum præcesserit *auspicia*, sic enim legitur in plerisque libris melioribus, inepte adderetur *auguria*, quam vocem credo interpretationem esse τοῦ *auspicia*, et ex margine irrepsisse in contextum, quam male retinuerunt Gruterus et alii. Longe melius etiam Coloniensis : « Tu collegam, depositis ». Scripsisse Ciceronem existimo : « Tu tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspicia, te ipso augure nuntiante »: immemor auspiciorum, quæ tu ipse, quum augur illa captasses, populo romano nuntiasti. Græv. — *Oblitus auspicia, te ipso augure nuntiante*. Ita sex Regii codices, et sic edidere Faern. Muret. et Græv. Vide II Phil. 32. Inepte Grut. « oblitus auspiciorum auguria, etc. » Lallem. — Fuit una vox lecta tripliciter: alii *auguria* legerunt, alii *auspicia*, alii *auspiciorum*. Nam Barb. ambo, « auguria, te ipso, etc. » in eorum sec. supra syllabas *guria* ponuntur aliæ *spicia*, ex cod. *auspicia* cum plerisque habente : Rom. et Ven. « auspiciorum, te ipso ». Ad illud exemplum forte in alio cod. pro literis *orum* una notabatur *a* reponenda, quæ in Vatic. fuit subjuncta delendis. Atque is fuit omnino mos optimi codicis, quem observavimus, ut aut integram vocem, in qua variatur, utroque modo exhiberet, aut literis, ut hic, continenter adjunctis, dupliciter legi significaret: quo de more

vide Cort. ad Sallust. Catil. XLII, 2. Postremo in edd. Ald. Naug. Cam. et in utraque Gryph. quas Grut. et Verb. sequuntur, duæ lectiones perperam conjunctæ fuerunt, *auspiciorum auguria*. Utrum igitur cum Grævio legas, an cum Oliveto, qui retinuit *auspiciorum*, delevit *auguria*, ut edd. vetustissimæ fecerant, nihil interest. Utramque lectionem continet Vaticanus : cujus quidem voci *pronuntiate* manus recentior *n* superposuit, quam literam Faernus neglexit : in eaque voce omnino latet *P. Ro. nuntiante*, Faernumque literas dividentem tuentur veteres inscriptiones, veluti quæ a Brissonio de Form. I, 210 adfertur, AVGVRI. PVBLICO. POPVLI. ROM. QVIRITIVM. Confer etiam notas ad II, 17. Requirit autem *nuntiante* formula notissima, de qua etiam Menckenius in Observ. L. L. p. 665, et seqq. Male porro Lamb. hoc membrum sic adtexuit superiori, «liberata est : quum collegam tuum, etc.» Quæ lectio a Vaticano est, et sic fere cod. in V. L. *quum coll. tu*, et Ald. Naug. Cam. *quum tuum coll.* quomodo in Barb. sec. emendatur : nam ipse cod. *tum coll.* eoque refer illud Colon. *tu coll.* Rom. et Ven. *tum tuum coll.* Barb. prim. cum MSS Ferrar. et vulgatis jam inde a P. Man. consentit, a quibus non discedo. Muret. «quum collegam tuum depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum, te ipso augure pronuntiante» : in illa vero interpunctione Lambino præivit. GARAT. — Ernest. conjecit : «auspicia a te augure nuntiata», atque sic imprimi curavit; eamdem lectionem Schütz. recepit; at ea conjectura non opus est. Teeg. «oblitus auspicia te ipso augure nuntiante».



EXCURSUS XVI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 13, pag. 53:

Proximo, altero, tertio, reliquis consequutis diebus, etc.

Proximo, *altero*, *tertio*. Tollendus est (meo quidem judicio) librarii interductus is, qui *proximo* distinguit ab *altero*, scribendumque *proximo altero*, pro *postero die*: dixit autem *alterum diem proximum*, ut Terentius, *proximum vicinum*: et Cicero, « pedem superiorem proximum »; ut Varro, « proxima superiora loca ». Nam siquis alterum esse tertium diceret, id quod interpres Terentianus docet (ego, quid sentiam, videro), ejus interpretatio esset indigna responsione: sequitur enim *tertio*. Et quoniam agitur de *altero*: illud in l. II, de Or. pag. 132, « Alterum minime est liberale » depravatum est. *Aliter* enim pro *alterum* reponendum est: supra enim dicit, « Alterum genus est imitatione admodum ridiculum: sed nobis tantum licet furtim, siquando et cursim ». Deinde subjicit rationem, « Aliter enim minime est liberale »; sed ad rem, quod sequitur, « Denique reliquis consequutis diebus », *denique* in l. v. non est. Ferr. — Non audiendus Ferrarius. *Proximus alter* nemo dixit. Tullius hoc expressisset aut sola voce *proximus* aut τῷ *alter*. Proximus dies est, qui pridianum, alter, qui proximum, tertius, qui alterum excipit, et a proximo est tertius, a primo quartus. Idem est loquendi genus, quod apud Virgilium in Ecloga VIII legimus:

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus.

Hoc est, tertius decimus. *Alter* enim est secundus: vide ad orationis pro Cæcina cap. 9. Græv. — Dies ille, qui supra dicitur tam gloriosus Antonio fuisse, xvi kalend. aprilis

fuit, quo die Liberalia celebrabantur. Posterus Liberalium dies est, qui *proximus* hic vocatur. Sequitur *alter*, in quo mihi Grævius non satisfacit. Si enim ita ponitur, ut apud Virgil. cum Servio et Donato positum is existimat, *tertius*, qui adjungitur, rem conturbabit. Quum etenim *alter* eo modo unum diem interjici postulet ab eo die, ad quem refertur, et cujus respectu *alter* dicitur, ut unus est medius annus inter XI et XIII, idem hic erit dies, qui etiam romano more *tertius* appellatur, si diem eumdem, ut æquum est, ex præteritis uterque respiciat, ne in errorem incidamus, quem refellit in aliis Heusing. ad II, 35. Quod si a diverso die hos computemus, ut nempe *alter* dicatur a Liberalibus, *tertius* a proximo, qui fuit postridie Liberalia, neminem hoc arbitror esse laturum. Restat igitur, ut *alterum* existimemus, qui proximum continuo sequitur, *tertium*, qui continuo alterum, initio computandi non jam a Liberalibus, sed a postero die facto. Ita plane removetur Virgilii locus, ad quem Muson. vers. 39, aliique plurimi in criticis operibus contra veteres Grammaticos, eorumque asseclas profecto stant, deque anno XII Virgilium loqui putant. Præcipue Perizonius Anim. Hist. cap. 7, pag. 283, locum Terentii Andr. I, 1, 50, contra Donatum explicavit egregie. Nihilominus de Virgiliano lis magna remanet, quæ nulla certa ratione dirimi potest : neque is locus, si de XII anno explicetur, huic nostro quidquam commodat, ubi sequitur *tertio*. Burmannus ad Petron. cap. 108, a Grævio hic ostendi putat, locutionem *unus et alter* indefinitam esse, eaque plures significari. Res ipsa vera est, quam deinceps bonis exemplis ipse confirmat, et in eodem loco Terentii, quem ibi tractat, Perizon. loco citato perspexerat. Sed nihil hic simile. Formula est accuratior, qua certorum dierum summa per partes exprimitur, ut apud Plinium, Epist. I, 12, 9 : « jam dies alter, tertius, quartus : abstinebat cibo ». Sic pro Cluent. 64 : « unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat ». Quum autem alii dies superessent, ne putida

et molesta longitudine fieret numeratio, indefiniti relinquuntur, ut loco eo, quem imitatus est Plinius, in Verr. IV, 29 : «dies unus, alter, plures : non referri ». Simillime in Verr. II, 76, ubi, litura nominum in tabulis publicanorum commemorata, quam in uno primum inspectam oportuit, subditur, « alterum, tertium, quartum, plura erant ejusdemmodi nomina ». Nullum est dubium, quin alter dies unum antecessisse supponat : quum autem hic duo antecesserint, Grævius a proximo initium facit, superiorem illum, in quo rei caput est, plane secludit. Sed tum ipse parum sibi constat, ut vidimus, tum mihi parum est verisimile, non omnia hic, ut in Verr. II, 76, ad unum rei principium referri debere, quod erat tum numerationis ordine, tum præstantia sua, quæ pluribus fuit modo commendata verbis, maxime respiciendum. Differt locus Plinii Ep. IX, 33, 5, ubi, « Postero die obsident litus » ; deinde, multis interjectis, sequitur, « Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus ». Magis profecto Tullianum fuerit vel *proximo*, vel *altero* prætermittere : utrumvis facile potuit addi ab interpretibus. Sed commodior est ratio Ferrarii, qua MSS defenduntur : neque pleonasmus ille, quo unus dies postridie Liberalia designaretur, *proximo altero*, etiamsi novi aliquid verba præ se ferant, alienus est ab eo genere, quod sæpe in Latinis agnoscitur et probatur. Vatic. Barb. ambo, Rom. et Ven. *proximo altero tertio* sine ullo interductu exhibent. Hervag. anno 1540 jam distinxerat, ut voluit Ferrarius, deinde P. Manut. anno seq. et Car. Stephan. ei sunt obsequuti. In utroque Barb. omittitur *denique*, ut in Ferrarii MSS : verum non modo adest in edd. veteribus, sed etiam in cod. Vaticano. Gar. — Ernestius putat temere *proximo* de genere capi, *altero* de postridiano sumendum esse, quod vix defendi possit. Recte Garatonius.

EXCURSUS XVII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 15, pag. 55:

Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium?

Quid enim gladiatoriis clamores innumerabilium civium? *Gladiatoribus* sine controversia corrigendum est: nam primum in libris antiquis ita *gladiatorii* scriptum est, ut in multis extrema pars sit in litura: in nonnullis etiam *b* sic interlitum sit, ut perspici possit. Deinde quid est *gladiatorius clamor?* an qui edebatur a gladiatoribus? At erant cives romani qui clamabant: an pro *ingentibus gladiatorios* dixit? quis umquam scriptor sic loquutus est? quis porro literis tradidit, gladiatores ita magna voce fuisse, ut gladiatorius clamor veniret in proverbium? Clamores autem innumerabilium civium gladiatoribus, id est, muneribus gladiatoriis, profecto convenit: sensus enim judiciumque populi et gladiatoribus, et ludis maxime perspiciebatur. *Gladiatores* autem non modo servi homines dicuntur, quos lanistæ armorum artem edocebant, quiqui in foro seu quo alio in loco depugnabant populi delectandi gratia: sed eodem etiam vocabulo appellantur ipsa gladiatorum spectacula. Cic. Phil. IX: « Circumque eam statuam locum gladiatoribus ludisque liberos posterosque ejus quaque versus pedes quinque habere »; et lib. II epist. ad Attic. « Gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi »; et pro Sext. « Tribus locis significari maxime populi romani judicium ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu »; pro Muren. « Nec plebi romanæ eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum ». Quin etiam locum illum in eadem oratione mendosum

puto, «Nec si virgo Vestalis hujus propinqua et necessaria locum suum gladiatorium concessit huic» : non enim *gladiatorium*, sed *gladiatoribus* rectum arbitror : ut sit illi geminum, quod est in eadem oratione : « Si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item si prandia vulgo essent data »; et in lib. V Epist. ad Attic. « Is quærit ex me, num consuevissem Siculis locum gladiatoribus dare ». Quod autem ætas Ciceronis gladiatores appellavit, id posterior modo *gladiatorium*, modo *gladiatorum munus* dixit. Livius, « Munus gladiatorium datum ab iis ». Suet. in Cæsar. Dictat. « edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones, item circenses, athletas, naumachiam, munere in foro depugnavit Furius »: quod *munere* Suetonius, Cicero *gladiatoribus* profecto dixisset : quamquam hic etiam *munera gladiatoria* in oratione de Harusp. responsis usurpat. Illud quoque annotatione non indignum est, semper gladiatores a ludis separari, ob eam causam, opinor, quod, licet hujusmodi munera delectationis causa darentur, visum est tamen absurdissimum, rem tam duram, spectacula tam crudelia tam molli tamque clementi verbo notare. Ferr. — *Gladiatoribus*. Per *gladiatores* ipsos gladiatorios ludos, sive munus ipsum intelligit. Vide quæ diximus pro Sextio : « Dicit, se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare, et totam ædilitatem in munus hoc transtulisse ». Innumerabiles autem cives dicit, quia, ut eadem oratione dicitur, gladiatorium munus « id spectaculi genus est, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, et quo multitudo maxime delectatur ». Abram. — Firmatur *gladiatoribus* a cod. Vatic. quamvis non moneatur. Recipiebatur jam inde a P. Manut. egregia hæc Ferrarii restitutio. Antea editi cum utroque Barb. mendose, *gladiatorii*. Silent etiam, dum Ferrarium sequuntur, Car. Stephan. et Lamb. ᴀʀᴀᴛ.

Quid populi versus? Nonnulli veteres libri *concursus*, quod

rectius existimo. FERR.—*Quid populi versus?* Nimis profecto audacter corruperant hunc locum, qui pro *versus* scripserant *concursus:* neque enim cuiquam paullum modo versato in veteribus historiis obscurum esse potest, quemadmodum olim populus subitis et fusis ex tempore versibus animum erga magnos viros suum testari soleret. MURET. — *Quid populi concursus?* Ita e suis Ferrarius: sed non displicet mihi reliquorum MSS, item editorum lectio, *versus.* Pal. quidem sec. agnoscit *cursus*, sed id depravari potius potuit e *versus*, quam ut mutari debuerit in *concursus.* GRUT. — *Quid populi versus?* Quos populus romanus identidem cantitabat in eorum laudem, qui nece Cæsaris a reipublicæ cervicibus jugum servile dejecerant, aut in eorum contumeliam, qui publicam libertatem rursus opprimere cupiebant. ABRAM. — *Versus* etiam retinuit Faernus, Manutius, Lambinus, Muretus. Amsterdam. firmat *versus.* Propius abest a vera lectione Franc. et Colon. in quibus scribitur *cursus*, non *concursus*, ut est in meo codice et multis editis. GRÆV. — Male receperant *concursus* P. Manut. 1541, Ferret. Car. Steph. repet. Lamb. et Grut. probavitque Barbadorius. Pejus dubitatione Gruteri et his adnotationibus nihil permotus id retinuit Verburgius. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. Lamb. Olivet. Lallem. recte *versus*, et ita cum Vatic. uterque Barb. sed in secundo ita superadditur *concursus*, ut non delendum *versus*, at conjungendum potius cum vocabulo addito significetur. GAR. — Ernest. et Schütz. *concursus:* ille damnat *versus*, quod nil simile uspiam repererit. Ego adsentior Garatonio ob causas ab eo allatas. Teeg. *versus?*

Quid Pompeii statuæ? Adeo populus romanus amore pristinæ libertatis exarserat, ut videns Pompeii statuam applauderet, et ipse Pompeio gratularetur. ABRAM.

Quid ii tribuni plebis, qui vobis adversantur? Non *ii*, sed *iis*, omnes fere l. v. et recte, opinor: hoc enim membrum aptum ex superiori pendet, « Quid Pompeii statuæ plausus

infiniti? quid iis tribunis plebis? » Quod autem populus romanus plausum impartiri soleret tribunis, ceterisque magistratibus, iis qui gratas ipsi causas complecterentur, atque agerent, ita notum est, ut testimonio scriptorum non indigeat. Ferr. — *Quid iis tribunis plebis?* Hic liber habet, *quid II*, quod nos interpretamur, *quid duobus*, ut sit, « quid duobus trib. pl. qui vobis adversantur? » qui autem fuerint hi duo, Cicero non dicit. Ego fuisse credo Epidium Marullum, et Cæsetium Flavum: quos ob detractum per eos statuæ Cæsaris diadema ab eo potestate privatos, probabile est, resumpta eo mortuo potestate, Cæsarianis adversatos fuisse. Fabrn. — *Quid duobus tribunis plebis.* Duo tribuni plebis Antonii et Dolabellæ conatibus obstiterunt : quum enim Dolabella sibi Syriam et bellum Parthicum mandari a populo peteret, ὁ Ἀσπρήνας ἔφη διοσημείαν ἀπαίσιον γεγονέναι, *obnuntiavit Asprenas*, ut ait Appianus lib. III. Is autem fuisse videtur Asprenas ille Nonius arctius Octaviano Cæsari junctus, de quo Tranquillus in Augusto, 56, et Seneca rhetor non semel. Alter fuit Tiberius Canutius, qui Octavianum Cæsarem primus omnium produxit in concionem, et πρότερον ἐδημηγόρει κατὰ τοῦ Ἀντωνίου, « prior pro concione invectus est in Antonium », ut scribit Appianus libro III; de quo etiam Dio, 45. Octavius tribunatum plebis petebat. « Prohibitus ab Antonio, ne sic quidem quievit, sed Tiberio Canutio persuasit, ut se in concionem produceret ». Unde sequuta est tanta offensio, ut « in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos sibi locum quærere, quibus se salvo locus in civitate esse non posset ». Verba sunt Ciceronis ad Cornificium, lib. XII ad Famil. epist. 23. Immemor tamen fuit beneficii Cæsar : siquidem, capta Perusia, ut scribit Dio lib. XLVIII, « CD equites senatoresque, quum alii, tum T. etiam Canutius, etc. ad aram superiori Cæsari sacratam adducti et mactati sunt ». Velleius lib. II : « Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas : sed hic fulgentissimo

et cælesti ore, at tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium ». Abram. — Quum de duobus tribunis mera sit conjectura Faerni, noluit eam recipere Muretus, et ipse Faernus non *duobus* edidit, sed, ut in MSS invenit, « quid II tribunis plebis ». Græv. — Optima tamen est conjectura. Quoties enim his notis II duo designantur? Fallax quidem judicium est. Nam punctum non habet *i* in majoribus codicum antiquissimorum perpetuis literis : in illis literæ II tam valent *duo*, quam *ii*. Postea in minore scriptura puncta vidi nonnullis in libris imposita etiam notis numerorum. Contra in plerisque, præsertim iis, qui non adeo recentes sunt, eadem illa vetustissima scribendi ratio servatur, ut ne litera quidem *i* sub puncto jaceat. Ita nihil hujusmodi punctorum habet Vaticanus, in quo ita hic est, *quidn T. R. P.* nihil Romana editio 1471, quæ hic dat, II *tr. pl.* cum MSS Colon. et Franc. Fallax igitur, ut dixi judicium. Et factum sane aliquando est, ut non modo nota II verum etiam vox *duo* ex hac ambiguitate, ubi vera lectio erat *ii*, interpretando resideret. Vide Gronov. et Drak. ad Liv. IX, 17. Sed conjecturam Faerni confirmant etiam Ven. Ald. Naug. Cam. utraque Gryph. Barb. ambo, et alii codices, in quibus *ii*, aut *hi*, aut *hii;* quomodo MSS complures veram lectionem corruperant cap. 4, post red. in Sen. « sed fuerunt duo consules ». Mendosa plane sunt ista, quæ libri plerique offerunt. Ferrarii codices mendo carent: eosque id maxime commendat, quod Phil. III, 9, tribuni hujus anni tres Antonio inimici nominentur. Sed ea Vaticani præstantia est, ut conjectura mendum illi detrahens vana existimari non debeat: quæ quidem non in ejus immutanda scriptura, sed in latente verbo eruendo versetur. Quod verbum et in aliis eodem modo latere potest, et varietatum facile omnium fons existimari. Nec mirum, si duo tantum tribuni plausum istum habuerint, haud illi quidem, quos putat Faernus, sed Canutius ille, de quo Abram. et L. Cassius C. Cassii prætoris ac τυραννοκτόνου frater, de cujus hoc ipso plausu ad Div. XII, 2. Nam hi duo laudantur multo copiosius. Grævium

tamen laudo, quod in re incerta conjecturam excluserit quam incertiorem Vaticani fecit inspectio. Gar.

EXCURSUS XVIII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. I, cap. 15, pag. 55:

Plausu et clamore leniret.

Lenierit, non *leniret*, tres l. v. quod probo: ut tempori tempus respondeat: est enim supra *tribuerit*. Ferr. — *Studium P. R. tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore lenierit.* In antiquo libro est *leniret*, quemadmodum prius in vulgata erat. Sed hoc amplius is liber habet, « tribuerit ut absenti »; quæ duæ postremæ voces si ordine præpostero collocentur, bene habere hunc locum puto : turbat me tamen illa vox *studium :* quæ si detraheretur, multum gratiæ huic loco accederet : quem, ut a te statim æstimari possit, subjecimus, « qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo populus romanus tribuerit absenti, ut desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret ». Antonius Augustinus episcopus Ilerdensis retinet vocem *studium*, sed addit particulam *id*, ut sit, *id studium.* Faern. — *Tribueret absenti.* Ita in illo omnium optimo libro scriptum reperi, et postea, *leniret:* non, ut in aliis *tribuerit*, et *lenierit:* qui autem habent aures oratoriis numeris assuetas, non ambigent, utro modo mollius ac suavius cadat oratio. Muret. — *Studium populus rom. tribuerit absenti, desiderium*, etc. Diu multumque dubitavi, quo pacto hunc locum edendum curarem, quia Faernum et Muretum, quibus antiquæ scripturæ Vatic. testibus utimur, hic pugnantia loqui video. Faernus enim ait, scriptum esse in optimo libro illo, « ut in illo app. spectaculo studium populus romanus tribuerit absenti, ut, etc. leniret »; Muretus autem sic, « ut in illo app. spectaculo studium populus romanus tribueret absenti, desiderium... leniret ». Utri credam, quum alterum necesse sit falsum dicere? utri-

que non possum, quum duo contraria non possint simul esse vera. Neutri igitur potius. Nam *tribuerit* reperitur in libris vulgatis: hos igitur olim in hoc sequutus sum, non antiquum illum, quamvis hi eo ipso cum illo consentiant, si Faerno credimus: addideram tamen particulam *ut*, quam Faernus etiam in illo libro reperiri confirmat: de qua Muretus nullum verbum. Non displicet mihi porro Faerni sententia existimantis, vocem *studium* delendam esse, ut alienam: verumtamen nihil muto. Assentior autem Mureto, mollius et suavius casuram orationem, si ita legamus, *clamore leniret;* qua lectione probata, supra legendum erit, *tribueret*; quam nunc scripturam sequor. Lambin. — *Ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.* Ita hic quoque locus legitur in libro Vaticano, in quo est *tribueret*, non, ut Faernus edidit, *tribuerit*. F. Ursin.—*Leniret* est etiam in Coloniensi et aliis libris quum editis, tum scriptis calamo. Vaticanum vero codicem quum inspexerit etiam Ursinus, non est diutius de Mureti fide dubitandum cum Lambino. Græv. — Hanc dissensionem ab Ursino putabam esse compositam. Sed, Vaticano consulto, ejus diligentiam desideravi. Optimum librum interpolatum esse vidi: eaque res omnibus fraudi fuit. Facile tamen fuit animadvertere, hoc ei contigisse, ut manus recentior ex *tribuerit absenti* fecerit *tribueret absenti.* Facinus imperitum. Hæc temporum varietas, *tribuerit*, *leniret*, absurda est visa Vaticani emendatori, et Mureto: item Ferrario, qui ex tribus MSS similem imperitorum audaciam passis *lenierit* arripiens, alia ratione tempora æquabat. Ferrarium P. Manutius et Car. Stephanus audiverant, ejusque postea lectio per Lambini repetitores, Grut. et recentiores invaluit. Mureti saltem, Lambini et Grævii judicium non contempsissent. Sed ejusmodi temporum varietates et latinas, et Tullianas esse, nunc jam viri docti fatentur. Sic Velleius, I, 9, 1: «Nam biennio adeo varia fortuna cum consulibus conflixerat, ut plerumque superior fuerit, magnamque partem Græciæ in socie-

tatem suam perduceret ». Lipsius conjiciebat, *perduxerit;* sed MSS defendit Wopkensius Lect. Tull. III, 7, p. 279. Itaque non est dubitandum, quin Vaticani scriptor, uterque Barb. cod. Gronov. aliique plurimi, et mei omnes ante Man. editi optime dederint, *tribuerit*, *leniret.* Etiam Ferrettus male, *lenierit.* Est porro utique in Vat. *ut absenti*, quo ex mendo Faernus ansam conjiciendi arripuerat, sed particula *ut* punctis fuit ab ipso scriptore subnotata : quam ex marginibus intrusam puto, quum ad sequentia aut subaudiri, aut addi debere aliquis adnotasset. Nemo vero admonuit in Vatic. esse, *studium suim :* sic tamen, ut *suum* eadem illa manus recentior addiderit : quod, quamvis hoc loco gratum esse possit, infirmum est admodum, atque suspectum. Vide supra ad c. 4. Sed Mur. et Ursin. qui hunc emendatorem magni fecerunt, id præterire non debuerant. Gar.—Suo more dicit Ernestius latinitatem hic requirere imperfecta. Teeg. Ien. φ. et ψ. habent *tribuerit...leniret;* item codd. ab Ern. collati, Guelf. et Huydecoop.

Equidem is sum. Legunt alii, et fortasse melius : « Equidem is sum, qui istos plausus, quum popularibus tribuerentur, semper contempserim ». Id est, numquam plausus, quum hominibus populares auras et gratiam aucupantibus tribuuntur, magnifaciendos putavi. Abram. — *A popularibus civibus.* Delenda videtur præpositio, quam ignorat unus e Regiis codicibus. Lallem. — Hanc præpositionem ab aliis omitti Lambinus, a MSS nonnullis Grævius etiam notaverat. Eam vero Vaticanus ignorat : sed recte adest in ceteris, quos vidi, libris. Opponuntur hæc, « a popularibus civibus, ab universis ». Sequentia sic explico : « Quumque ii (Vatic. *hi*), qui ante sequi populi consensum solebant », quum populares, non quibus plausus tribuebatur, sed qui duces erant, et principes hujusmodi plausus dandi, et multitudinis non recte sentientis consensum adulabantur, nunc populi optima probantis consensum *fugiunt*, seque ab eo distrahunt et segregant. Mendose cod. Gronov. « Equidem istum, qui, etc. contempserit ». Gar.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA SECUNDA

ARGUMENTUM.

Antonius, valde iratus quod Cicero orationem secunda septembris die habuisset, senatum ad decimam nonam ejusdem mensis diem convocavit. Ibi adesse Tullius statuit, sed ab amicis suis prohibitus est (Phil. V, 7, ad Div. XII, 25). Qua in concione Antonius cum probris gravissimis eum affecit, literasque revocando Sexto Clodio scriptas recitavit (ad Att. XIV, 13), et Ciceronem fuisse Bruti consiliorum participem jactitavit. Hæc ei mens erat, ut in eum Cæsaris veteranos concitaret: et ita bellum inter utrumque exarsit. Cicero, qui mortem servitio anteponebat, has injurias secunda Philippica refellit, quam Juvenalis Sat. X sic laudat:

........Conspicuæ divina Philippica famæ
Volveris a prima quæ proxima.

Quamvis autem videatur hæc oratio derepente habita in senatu, uti dicta Antonii refellerentur, numquam tamen eam Cicero coram Patribus aut populo recitavit. Eam enim scripsit in una e villis, quam prope Neapolim possidebat. Bruto Cassioque misit legendam; idque consilium ejus erat, ut tantum in extremis proferret, quum reipublicæ status exposcere videretur. Conjici tamen potest eam fuisse per populum circumlatam post tertiam vel quartam Philippicam, quum senatus palam latius grassanti Antonio viam præclusit: ita autem ille iratus fuit, ut odium ejus nullo modo, nisi Ciceronis nece, exsaturaretur.

Paucissimis verbis ad rem tendit orator: ad quædam sibi peculiaria præfatur; sed illud necesse erat, quum de se uno ageret. Non de se modeste ac diffidenter loquitur, sicuti in causis communibus est oratoribus usitatum, sed uti foro a juventute vir assuetus, uti honoribus a populo civis ornatus, injurias sibi a populo allatas ulciscitur. Certe nullo modo peccat, quod quid sit ipse sentiat, præsertim quum hoc in senatu verba facit, qui tantum e bonis civibus est conflatus.

Duas in partes est divisa oratio: priori Cicero, quidquid in eum jactitavit Antonius, refellit, et manifestis impudentissimum hominem mendaciis arguit: sæpissime etiam ipsius arma in eum

convertit, et in propriis, ut dicitur, castris cædit. Posterior autem tota ex indignatione, odio, contemptu fluit. Ibi exponuntur oculis contrectanda, omnia Antonii flagitia ac scelera, vividissimis depicta coloribus. A prima juventute ostendit, tamquam libidines suas rapinis, incendiis, furtisque perpetuo pavisset. Omni modo in eum invehitur : omnia recolligit, ex quibus apparet eum omni odio esse prosequendum.

Fatendum est tamen oratorem indignatione raptum, ea proferre, quæ melius silentio fuissent prætermissa. Mores nostri multo magis modesti, frena exsultanti animo injiciunt; neque oratorem sinunt ea oculis exponere, quæ optimo cuique nauseam movent. Non tamen est in hac re obliviscendum, apud Græcos Romanosque licitum esse omni odio in aliquem invehi.

Quanta vero dignitas, quæ fortitudo his verbis apparet, quibus orator infestissimum hostem ad finem urget: « Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest ». Non vana hæc verba profatur, sed quæ veros animi sensus explicent.

Senserat orator, nihil aliud Romanis superesse, nisi servitium vivente Antonio, totiusque reipublicæ ruinam tali viro superstite; neque aliquid in vita erat quod servare vellet, si libertas e medio tolleretur.

Hæc oratio prolata est ad finem anni 709, quo tempore Cicero sexagesimum tertium ætatis annum absolvebat.



ALIUD ARGUMENTUM.

Habita a Cicerone IV non. sept. oratio prima in Antonium, ille se in villam Tiburtinam contulit, ibique dies septemdecim, quod Ciceroni responderet, commentatus est. XIII kal. oct. habito senatu in absentem Ciceronem, qui se tuto adesse non posse intelligebat, quæ cogitaverat, evomuit: ei Cicero hac oratione respondit; quo die, si quæritur; eo, dicam, qui quartum diem ludorum Romanorum in Circo proximus est consequutus: id Cicero ipse docet his verbis: «Nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati?» Is igitur dies, ut ex romano vetere kalendario liquet, XIII kal. oct. fuit: quo ipso die in Ciceronem Antonius est invectus: ita videtur præsens præsenti Cicero respondisse, quod ipse negat Philipp. III: «Hunc ego, inquit, diem exspectans M. Antonii scelerata arma vitavi, quum ille in me absentem invehens non intelligebat, quod ad tempus me et meas vires reservarem: si enim tum illi, cædis a me initium quærenti, respondere voluissem; nunc reip. consulere non possem». Et Phil. II: «Adesse, inquit, in senatu jussit ad XIII kal. oct. ipse interea septemdecim dies de me in Tiburtino Scipionis declamitavit: quum is dies, quo me adesse jusserat, venisset; tum vero agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me absentem orationem ex ore impurissimo evomuit: quo die si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, cædis initium fecisset a me: sic enim statuerat». Et epist. 2, lib. XII, ad Cassium: «Cædem gladiator quærit, ejusque initium ad XIII kal. oct. a me se facturum putavit: ad quam paratus venerat, quum in villa Metelli complures dies commentatus esset»: quum igitur et affuisse in senatu XIII kal. oct. et idem non affuisse videatur, quærenda ratio est, quomodo pugnantes inter se loci conciliari possint. Quum se non affuisse dicit, vere dicit: saluti enim consulendum censuit. Rursus, quum affuisse videtur, imago quædam veritatis, non ipsa veritas quæritur; ut, quæ oratio domi per otium scripta est, non in senatu habita, in ea

legantur illa ipsa, quæ Cicero, si in senatum venisset, Antonio respondens loquutus esset. Putemus igitur, id quod res est, fictam esse hanc orationem, sed ita legatur tamquam vera: ita omnis dubitatio de die, quo sit habita, quum habita numquam sit, auferetur. Genus idem est, quod superioris. Purgat se primum adversus Antonii calumniam, et ita purgat, ut omni eum loco non leviter pungat; deinde singulas ejus vitæ partes, a puerili prætexta exorsus, vehementer exagitat: nam illa brevis adhortatio, ut resipiscat, postremo loco reservata, diffidentis est, ab officio boni civis erga rempublicam profecta, minima tamen, vel nulla potius cum spe conjuncta. P. Man.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA SECUNDA.

ORATIO QUARTA ET QUADRAGESIMA.

I. Quonam meo fato[1], patres conscripti, fieri dicam, ut nemo his annis viginti[2] reipublicæ fuerit hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero necesse est a me quemquam nominari vobis, quum ipsi recordamini[3]: mihi pœnarum illi plus[4], quam optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar: nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius; omnes a me reipublicæ causa lacessiti[5]. Tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam L. Catilina, furiosior, quam

I. 1. *Quonam meo fato.* Paucissimis et solemnibus iisdem utitur verbis orator, quibus rem ipsam aggrediatur; ostendit autem suam fato quodam nobili conditionem ita arcte cum republica communicatam, ut eosdem et amicos et inimicos semper habuerit.

2. *His annis viginti.* Qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Cæsaris cædem. Consul Cicero fuerat ann. 690.

3. *Vobis, quum ipsi recordamini.* Gruter. et al. « vobiscum ipsi rec. » Al. malunt *recordemini*. J. V. L.

4. *Mihi pœnarum illi plus.* Cæsus enim fuit Catilina cum plerisque sociis, et Clodius in Appia via a servis occisus est.

5. *Reipublicæ causa lacessiti.* Id oratorie magis quam vere dictum videtur ad cumulandam Antonio invidiam. Prius enim Catilina, conjuratis

P. Clodius, viderere, ultro maledictis me lacessisti; tuamque a me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putavisti. Quid putem[6]? contemptumne me? non video[7] nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in[8] senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestæ reipublicæ testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit? An decertare mecum[9] voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium est: quid enim plenius, quid uberius, quam mihi et pro me, et contra Antonium dicere? Illud profecto est[10]: non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus. Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicam.

in domum M. Porcii Leccæ convocatis, Ciceronem statuerat interficere, quam in eum Cicero inveheretur in senatu. Clodii autem odium in Ciceronem exortum est dumtaxat, quum Cicero in eum de pollutis religionibus testis productus est — *Alienationem.* De lectionum h. l. varietate adi notas ad calcem hujus orationis I.

6. *Quid putem?* Dubitatio rhetorica, et subjectio, qua singulas causas inquirit, ut a confutatione reliquarum possit ad veram devenire.

7. *Non video.* Primam causam confutat petitam a contemptu; confutat autem inductione et remotione causarum quæ ipsum Antonio despicabilem facere potuissent — *In vita.* In privata ratione vivendi et domesticis officiis. — *In gratia.* Auctoritate et benivolentia civium, quam sibi labore, industria, officiis, etc. comparaverat. — *Nec in rebus gestis.* In administratione reipublicæ, rebusque præclare gestis in quæstura Siciliensi, in ædilitate curuli, prætura urbana, consulatu, proconsulatu Ciliciæ provinciæ.—*Mediocritate ingenii.* Cujus modestissime facit mentionem, ut conciliatis animis paullo post liberius, et cum minore invidia demonstret eloquentiæ fiduciam.

8. *An in senatu facillime de me detrahi posse credidit?* Secundam causam proponit, et refellit ab honoribus, quos senatus ipsi decreverat. Vide Epist. ad Famil. lib. XV, epist. 4.

9. *An decertare mecum voluit contentione dicendi?* Tertia causa proponitur et removetur.

10. *Illud profecto est.* Remotis aliis, subdit rationem, cur Antonius ipsi bellum indixerit.

II. Contra rem suam[1] me, nescio quando, venisse questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario meo? non venirem contra gratiam, non virtutis spe, sed ætatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam iste intercessoris iniquissimi[2] beneficio obtinuit, non jure[3] prætorio? Sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini commendares, quum te omnes recordarentur libertini generum[4], et liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse.

At enim[5] te in disciplinam meam tradideras (nam

II. 1. *Contra rem suam*. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis, hominis libertini, sed admodum opulenti, filia, de qua tertia Philippica: « tuæ conjugis bonæ feminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit».Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio quum suæ causæ, si ex formula et edicto prætoris ageretur, diffideret, a quodam tribuno plebis per M. Antonium, generum suum, impetravit, ut is illi judicio intercederet, juberetque diem proferri, quoad alii judices Bambalioni amiciores constituerentur; vel totius judicii mutari rationem. Cicero familiarem suum defendit contra hanc intercessionis injuriam, ejusque causam egit, etiam illa formula, qua tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato judicio et iniquis conditionibus, ille jus suum obtineret. Vide plura in Excursu II ad calcem hujus orationis.

2. *Intercessoris iniquissimi*. Quod tribunus plebis intercedere non posset, quo minus causam reus diceret. In Vatiniana: « Edixeritne C. Memmius prætor, ut adesses dies trigesimo? Quum is dies venisset, fecerisne, quod in hac republica non modo factum ante numquam est, sed in omni memoria sit inauditum? Appellarisne tribunos plebis, ne causam diceres: levius dixi (quamquam id esset et novum et non ferendum), sed appellaris nominatim pestem illius anni, furiam patriæ, tempestatem reip. Clodium? Qui tamen quum jure, quum more, quum potestate judicium impedire non posset, redit ad furorem suum ».

3. *Non jure prætorio*. Quod a prætore non poterat obtineri, ut judicium impediretur.

4. *Libertini generum*. Libertini dicebantur, qui in libertatem asserti fuerant e servitute; liberti autem, quum patroni nomen adderetur.

5. *At enim*. Antonius, ut violatæ amicitiæ crimen exaggeraret, dixerat se Ciceroni in disciplinam tradidisse, ac proinde a Cicerone oppugnari minime omnium debuisse. Negat Tullius et obiter impudicitiæ crimen impingit.

ita dixisti); domum meam ventitaras[6]. Næ tu, si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses; sed nec fecisti; nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem[7] facere licuisset.

Auguratus petitionem mihi te concessisse[8] dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem[9] a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat a pluribus nominari), tu nec solvendo eras[10], nec te ullo modo, nisi eversa republica, incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, quum in Italia Curio non esset[11]? aut tum[12], quum es factus, unam tribum sine Curione ferre[13] potuisses? cujus etiam familiares

6. *Domum meam ventitaras.* Auctor de causis corruptæ eloquentiæ : « Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus, assuescebat ». Vide Plinium Juniorem lib. VIII Epist.

7. *C. Curionem.* De Curione plura dabit cap. 18 infra, et Plutarchus in Anton.

8. *Auguratus petitionem mihi te concessisse.* Id est, te mea causa non petiisse auguratum, ut mihi petenti locum dares.

9. *Me augurem.* Initio tres tantum augures fuerunt, post sex, deinde novem, post quindecim. Quum augur in defuncti locum subrogandus esset, duo ex collegio duos designabant candidatos, qui si accepti essent, populo proponebantur. Tum septemdecim tribus quibus sors dederat, suffragia ferebant, et probatiorem in collegium cooptabant.

10. *Nec solvendo eras.* Subaud. par; (?) non poteras igitur ad sacerdotium promoveri, lege jam inde a Romulo repetita ; sacerdotes enim eligi volebat, qui sufficientes facultates possiderent.

11. *In Italia Curio non esset.* Erat in Asia quæstor, ut ex lib. II, epist. 5, Ciceronis videtur.

12. *Aut tum.* A consequenti probat, eum auguratus candidatum fieri non potuisse absente Curione, quia postea, quum augur factus est, id sacerdotium adeptus est per Curionem, qui tantopere studuit Antonio auguratum petenti, ut ejus familiares de vi damnati fuerint, quod seditionem in comitiis concitassent.

13. *Unam tribum sine Curione ferre.* Id est, unius tribus suffragiis creari. — *Sine Curione.* Qui tum tribunus plebis erat. Vide Plutarch. in Antonio.

de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

III. At beneficio sum usus tuo[1]. Quo[2]? quamquam illud ipsum[3], quod commemoras, semper præ me tuli. Malui me tibi debere[4] confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio[5]? quod me Brundisii non occideris? Quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset[6], eum tu occideres? Fac potuisse[7]: quod est aliud, patres conscripti, beneficium latronum[8], nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, numquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos ap-

III. 1. *At beneficio sum usus tuo.* Objectio Antonii.

2. *Quo?* Subaud. beneficio. Interrogatio per dissimulationem, quasi beneficium illud ignoret, vel potius ut hac sustentatione suspendat animos auditorum.

3. *Quamquam illud ipsum.* Correctio ad temperandam dissimulationem, ne, si absolute beneficium acceptum dissimulet, ingratus esse videatur.

4. *Malui me tibi debere.* Subjicit facti sui rationem, et quia negaturus erat esse beneficium, periculumque erat, ne ingratus videretur, se ad futuram orationem præmunit, ostenditque se tam gratum fuisse, ut illi etiam se obligatum esse fateretur, a quo re vera beneficium non acceperat.

5. *Sed quo beneficio?* Redit ad propositam interrogationem. Sequitur subjectio. Illud videlicet est beneficium, quod commemoras, quod me, devicto Pompeio, redeuntem non occideris.

6. *In Italiam ire jussisset.* Cæsar Dolabellæ, Ciceronis genero, suaserat ad eum scribere, ut in Italiam quam primum veniret. Lib. XI, epist. 7, ad Atticum.

7. *Fac potuisse.* Ex abundanti concedit Antonium sibi necem inferre potuisse, et nihilominus beneficium extenuat odiosa latronum comparatione.

8. *Beneficium latronum, nisi ut commemorare possint*, etc. Salvianus, lib. VIII de Gubernatione Dei: « Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut, quibus non auferant vitam, dedisse se dicant ». Xenophon, lib. II de Expeditione Cyri Junioris: « Menon Thessalus beneficii loco numerabat, si quis ab ipso discederet, quod eum in potestate habens non occidisset ». Seneca, lib. II de Beneficiis, cap. 12: « Cæsar dedit vitam Pompeio Penno, si dat, qui non aufert ». Et cap. 20: « Non servavit is, qui non

pellare soles, tantam essent gloriam consequuti[9]. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere! qua in re[10] non tam jucundum videri mihi debuit, me non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse.

Sed sit beneficium[11], quandoquidem majus accipi a latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? An de interitu reipublicæ queri non debui, ne in te ingratus viderer? At in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus populusque romanus collocavit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Quod quidem[12] cujus temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem[13], abstinere maledicto? præsertim quum tu reliquias reipublicæ dissipavisses? quum domi tuæ turpissimo mercatu[14] omnia essent venalia? quum leges eas[15], quæ numquam promulgatæ essent, et de te, et a te latas

interfecit, nec beneficium dedit, sed missionem ».

9. *Gloriam consequuti*. Quia ingrati habiti forent.

10. *Qua in re*. Concludit per indignationem et miserationem, tantum Antonio, homini nequissimo, licentiæ fuisse, ut cives præstantissimos impune potuerit occidere.

11. *Sed sit beneficium*. Concessio longe contumeliosior, quam si omnino fuisse beneficium negavisset.

12. *Quod quidem*. Sic Grævius, Heusinger. ex MSS. Sed vulg. *et quidem*, quod Ernest. retinuit.

13. *De M. Antonio querentem*. Hic adverte aculeum orationis, quum suam ipsius temperantiam quasi miratur, quod de Antonio querens, abstinuerit maledicto.

14. *Turpissimo mercatu*. Inferius videbis et Philip. VII.

15. *Quum leges eas*. Ut taceam privilegia de singulis exsulibus revocandis, prima lex sit de Siculis civitate donandis. De qua lib. XIV, epist. 12, ad Atticum: « Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem... qua Siculi cives romani, cujus rei vivo dictatore mentio nulla ». Secunda de Armenia Dejotaro reddenda; de qua infra et epistola proxime laudata: « Dignus (Dejotarus) ille quidem omni regno, sed non per Fulviam ». Tertia fuit Agraria, de qua Philipp. V: « Hic omnem Italiam modesto homini L. Antonio (fratri suo) dividendam dedit ». Vide Dionem, lib. XLV. Quarta fuit de provinciis. Philipp. V: « Legem tulit de provinciis contra acta Cæsaris, ille

confiterere? quum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses? quum esses fœdissime stipatus armatis? quum omnes impuritates pudica in domo[16] quotidie susciperes, vino lustrisque confectus? At ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio[17] esset, quocum multæ et magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum a me beneficium tum acceperit.

IV. At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitavit, homo et humanitatis expers, et vitæ communis ignarus. Quis enim umquam, qui paullulum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid est aliud tollere e vita vitæ societatem, tollere[1] amicorum colloquia absentium? Quam multa joca solent esse in epistolis, quæ, prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda?

Sit hoc inhumanitatis tuæ: stultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustellæ[2] Tamisio et Tironi Numisio vide-

biennium, hic sexennium». Quinta fuit judiciaria, quæ ut dicitur prima Philipp. promulgata est de tertia decuria judicum, vt videlicet, quicumque ordinem (militarem) duxerat, judicaret (quamquam sine censu). De qua fusissime Philipp. V. Sexta fuit de actis Cæsaris servandis. Phil. V. Septima de nomine dictaturæ tollendo. Prima Phil. Ex his autem legibus quædam ne promulgatæ quidem fuerunt. Philipp. prima et quinta: « Ubi promulgatio trinundinum? Ubi pæne recenti lege Junia et Licinia? »

16. *Pudica in domo.* Non Antonii, sed Pompeii.

17. *Cum M. Crasso contentio.* Quem sæpius lacessivit Cicero; timebat enim ne divitiis suis et ambitione abreptus, rempublicam corrumpendo labefactaret. Vide Ciceronis in eum dicteria, quæ a Plutarcho referuntur.

IV. 1. *Tollere amicorum.* Al. male addunt *quam.* J. V. L.

2. *Mustellæ.* Infra principem vocat gladiatorum; utrumque nominat. Vide Philip. V, cap. 6; Philip. VIII, cap. 9, et ad Attic. lib. XVI, epist. 2.

ris? qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus[3], ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus. Sed quid opponas[4] tandem, si negem, me umquam istas literas ad te misisse? Quo me teste convincas? An chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam[5]. Qui possis? sunt enim librarii manu. Jam invideo magistro tuo[6], qui te tanta mercede, quantam jam proferam, nihil sapere doceat. Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quam id objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui objecerit?

At ego non nego; teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiæ. Quod enim verbum in istis literis est non plenum humanitatis, officii, benivolentiæ? Omne autem crimen tuum[7] est, quod de te in his literis non male existimem, quod scribam tamquam ad civem, tamquam ad bonum virum, non tamquam ad sceleratum et latronem. At ego tuas[8] literas, etsi jure poteram a te lacessitus, tamen

3. *Cum gladiis in conspectu senatus.* Quod leges vetant. — *Hoc ipso.* Olim «hoc isto». Vid. Excurs. III ad calcem hujus orationis.

4. *Sed quid opponas.* Particula *sed* vim habet præcipuam; nempe priora repetit, et his reliqua adnectit.

5. *Scientiam quæstuosam.* Infra fusius exponit: «Domus quæstuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimæ nundinæ». Vide c. 14, 38, 39, 42.

6. *Jam inv. mag. tuo.* Epiphonema, quo superioris argumentationis conclusio repetita continetur, et egregio lepore exhilaratur oratio. Infra: «At quanta merces rhetori data est?... Audite, audite, P. C. reipublicæ vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres». De hoc Sexto Clodio rhetore infra c. 17, 35, 39; Philip. III, 9; ad Attic. lib. IV, epist. 15.

7. *Omne autem crimen tuum est.* Expositio planior Antonianæ dementiæ. Omnis autem criminatio tua est, sive illud unum in his literis criminaris, etc.

8. *At ego tuas.* Concludit mentione literarum, quas de Sexti Clodii resti-

non proferam : quibus petis, ut tibi per me liceat quemdam de exsilio reducere[9], adjurasque, id te, invito me, non esse facturum; idque a me impetras. Quid enim me interponerem audaciæ tuæ; quam neque auctoritas hujus ordinis, neque existimatio populi romani, neque leges ullæ possent coercere? Verumtamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Cæsaris lege reductus? Sed videlicet meam gratiam voluit esse, in quo ne ipsius[10] quidem ulla poterat esse, lege lata.

V. Sed quum mihi[1], patres conscripti, et pro me aliquid, et in M. Antonium multa dicenda sint; alterum peto a vobis, ut me, pro me dicentem, benigne; alterum ipse efficiam, ut, contra illum quum dicam, attente audiatis. Simul illud oro : si meam quum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, quum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem[2] : ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rempublicam gerit, vel quod ita factus est[3]; ego sine ulla controversia consularis.

Ut igitur intelligeretis[4], qualem ipse se consulem

tatione ad Ciceronem scripserat Antonius. Referuntur lib. XIV ad Atticum.

9. *Quemdam de exsilio reducere.* Sex. Clodium, quo auctore P. Clodii a Milone interfecti corpus crematum est, sed curia incensa; damnatus usque ad Cæsaris necem in exsilio fuerat. Alius est Sex. Clodius rhetor, de quo paullo ante. — *Adjurasque.* Sic sæpe *adjurare* pro simplici *jurare* legitur apud Terentium aliosque scriptores antiquos.

10. *Ne ipsius quidem.* Antonii gratia.

V. 1. *Sed quum mihi.* Orationis divisio. Dicet pro se ad cap. 12; contra Antonium reliqua oratione.

2. *Non tractabo ut consulem.* Ne petulantius quam par erat, in consulem populi romani invectus fuisse videatur. Immo Antonium consulem fuisse negat tres ob causas.

3. *Vel quod ita factus est.* Non suffragio populi, sed beneficio Cæsaris. Vide infra cap. 30 et 32.

4. *Ut igitur intelligeretis.* Arrepta

profiteretur, objecit mihi consulatum meum[5]. Qui consulatus, verbo meus, patres conscripti, re vester fuit. Quid enim ego constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex hujus ordinis consilio[6], auctoritate, sententia? Hæc tu homo sapiens[7], non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem meum consulatum, præter te et P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cujus quidem te[8] fatum, sicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique[9] fatale. Non placet M. Antonio[10] consulatus meus. At placuit P. Servilio[11], ut eum primum nominem ex illius tem-

occasione ad suum consulatum commode delabitur.

5. *Objecit mihi*, etc. Pisoni idem objicienti idem prope respondit.

6. *Ex hujus ordinis consilio*. Ne sui ipsius importuna sit laudatio, maximam suæ laudis partem senatoribus impertit, et efficit ut ipsi e judicibus partes fiant, et omnia sibi propria putent, quæ in suo gessit consulatu.

7. *Hæc tu homo sapiens*. Ironice et majore contemptu, quam si stultissimum diceret, et aptius ad invidiam concitandam. — *Apud eos*. Cavendum imprimis ne, apud quos dicimus, eos nostra offendat oratio. Nobile exemplum est II de Or. « Pusillus testis processit. Licet, inquit Philippus, rogare? tum quæsitor properans, modo breviter. Hic ille: non accusabis, perpusillum rogabo. Ridicule. Sed sedebat judex L. Aurifex brevior etiam quam ipse testis. Omnis est risus in judicem conversus, visum est totum scurrile judicium ».

8. *Te... Curionem*. Al. *tibi... Curioni*. Sed hoc ipso exemplo utitur Facciol. Lexicon, ut accusativum confirmet.

9. *Quod fuit utrique fatale*. Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: « Nuptiis animum adjecit, ducens Fulviam, quæ olim Clodio, populari concionatori, nupserat ». Ipsa in proscriptione triumvirali multos suo nomine proscripsit, ut referunt Dio et Appianus. Ipsa, post victos Brutum et Cassium, absente Antonio, bellum contra Cæsarem Octavium, qui in Italiam redierat, excitavit. Quo bello, ut auctor est Dio, lib. XLVIII: « Fulvia et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat ». Hæc illa est Fulvia, quæ tam fœde insultavit abscisso capiti Ciceronis. Vide Excursum IV ad calcem hujus orationis.

10. *Non placet M. Antonio*. Postquam Antonium in invidiam et contemptum adduxit, eum cum viris clarissimis et consularibus componit.

11. *At placuit P. Servilio*. P. Servilius Vatia Isauricus hoc ipso anno diem obierat extrema senectute confectus, quo anno Cæsar est interemptus, ut narrat Dio. Cum Appio Claudio Pulchro consul fuerat anno 675, sedecim annis ante Ciceronem,

poris consularibus, qui proxime mortuus est; placuit Q. Catulo[12], cujus semper in hac republica vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis[13], M. Crasso[14], Q. Hortensio[15], C. Curioni[16], M. Lepido[17], C. Pisoni[18], M'. Glabrioni, L. Volcatio[19], C. Figulo[20], D. Silano, L. Murenæ, qui tum erant consules designati; placuit

eo ipso anno, quo Sulla dictatura se abdicavit.

12. *Placuit Q. Catulo.* Consul fuit anno proxime sequente Servilii consulatum. Ei Ciceronis consulatus ita placuit, ut eum parentem patriæ nominarit.

13. *Placuit duobus Lucullis.* Lucius consul fuerat anno 680; Marcus ann. 681. Mortui sunt paullo ante bellum civile, ut ait Velleius, lib. II. Lucius et Marcus fratres fuerunt, ut ex Plutarcho constat et Cicerone.

14. *M. Crasso.* M. Licinius Crassus consul fuerat cum Pompeio ann. 684, quo anno Cicero Verrem judicio postulavit, septem annis ante suum consulatum. Crassus in suspicionem conjurationis vocatus est, ut ait Dio; sed is rumor brevi intercidit. Eum probasse gesta Ciceronis ex eo constat, quod quum fasciculum literarum ab ignoto quodam accepisset, et a quopiam conjurato sine nominis subscriptione missas aperuisset, eas detulit ad Ciceronem. A Parthis occisus est Cn. Domitio Calvino et M. Valerio Messala coss. uno anno ante quam orator Milonem defenderet. Vide ad Attic. lib. I, epist. 13.

15. *Q. Hortensio.* Consul fuerat proxime post Crassum et Pompeium, sex annis ante Ciceronem. Diem obiit extremo anno, qui proxime bellum civile antecessit. Vide præfationem libri de claris Oratoribus.

16. *C. Curioni.* C. Scribonius Curio cum Cn. Octavio consul fuerat tredecim annis ante Ciceronem, cujus amantissimus. Obiit eodem anno quo Crassus. Vide epist. 2 ad Curionem filium, et ad Attic. lib. I, epist. 15.

17. *M. Lepido.* Tres fuerunt M. Æmilii Lepidi consules sedecim annorum decursu ante M. Tullii consulatum; unus Q. Lutatii Catuli collega; alter anno proxime sequente cum D. Junio Bruto; tertius cum L. Volcatio Tullo tribus annis ante Ciceronem. Primus Bruto et Lepido consulibus, dum patriæ bellum infert, a Catulo et Pompeio victus, in Sardiniam fugit, ibique morbo exstinctus est. De duobus aliis non constat uter superstes fuerit, et approbaverit Tullii consulatum.

18. *C. Pisoni.* Calpurnius Piso consul fuit cum M'. Acilio Glabrione, quatuor annis ante Ciceronem, quibus consulibus Pompeius bellum Piraticum extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

19. *L. Volcatio.* Superstes fuit initio belli civilis, et Cæsari se adjunxit. Vide ad Atticum lib. VIII, epist. 1, et lib. IX, epist. 12, et eodem libro, epist. 22.

20. *C. Figulo.* C. Marcius Figulus cum L. Julio Cæsare consul fuit eo ipso anno, quo Cicero consul est designatus. De obitu non constat. De Decio Junio Silano et Luc. Licinio Murena consulibus designatis, eorumque in Ciceronem studio nota res est;

idem, quod consularibus, M. Catoni[21] : qui quum multa, vita excedens[22], providit, tum quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit[23]: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui non mihi, ut parenti, gratias ageret; qui non mihi vitam suam, fortunas, liberos, rempublicam referret acceptam.

VI. Sed quoniam illis[1], quos nominavi, tot et talibus viris respublica orbata est, veniamus ad vivos, qui duo e consularium numero reliqui sunt. L. Cotta[2], vir summo ingenio summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis[3]; eique illi ipsi, quos modo

de obitu nobis nihil est compertum. Mirari quis possit, præteritum fuisse L. Gellium Publicolam, qui consul fuerat cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano, et qui, ut dicitur in Pisonem, senatoribus audientibus dixit : « Civicam coronam a republica Tullio deberi ».

21. *M. Catoni*. Peculiarem M. Porcii Catonis facit mentionem, etiamsi consularis non esset, sed dumtaxat quæstorius et designatus tribunus plebis; tum quia propter morum sanctitatem præcipua fuit ejus auctoritas, tum quia præcipuus auctor fuit illius senatusconsulti de conjuratis in carcere jugulandis. Vide Plutarchum in Cicerone.

22. *Vita excedens*. Victis a Cæsare in Africa Jubæ et Scipionis exercitibus, eorumque castris uno die expugnatis, Cato Uticæ sibi manus intulit violentas, vitamque finivit, ne in victoris manus caderet, et rempublicam servitute oppressam videret.

23. *Cn. Pompeius probavit*. De Offic. lib. III : « Mihi quidem vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus ».

VI. 1. *Sed quoniam illis*. Transitio ad viros cum deploratione publicæ calamitatis ad augendam invidiam, quia scelere Antonii bellum civile excitatum fuerat. — *E consularium numero*. De varietate lectionum adi Excursum V ad calcem hujus orationis.

2. *L. Cotta*. L. Aurelius Cotta consul fuit cum Torquato duobus annis ante Ciceronem. Hujus etiam prudentiam celebrat orator pro Domo sua, et pro Sextio.

3. *Verbis amplissimis*. « Quod Urbem

nominavi, consulares, senatusque cunctus assensus est: qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar[4], avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suæ virum, vitricum[5] tuum? Hunc tu quum auctorem et præceptorem omnium consiliorum totiusque vitæ debuisses habere, vitrici te similem[6], quam avunculi esse maluisti. Hujus ego alienus[7] consiliis consul usus sum: tu sororis filius, ecquid ad eum umquam de republica retulisti? At ad quos refert? dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies[8] natales audiendi sunt.

Hodie non descendit Antonius[9]. Cur? Dat natalitia in hortis. Cui? Neminem nominabo. Putate tum Phormioni alicui[10], tum Gnathoni, tum Ballioni[11]. O fœditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequi-

incendiis, cæde cives, Italiam bello liberasset». Vide tertiam et quartam Catilinariam, et in Pisonem.

4. *L. Cæsar.* Duo Lucii Cæsares eodem tempore floruerunt, quorum alter bello civili Cæsari adhæsit, alter Pompeio. Priorem Dio, lib. XLII, Urbi præfectum fuisse scribit post seditionem Trebellii et Dolabellæ, quæ pugnam Pharsalicam sequuta est. Alter post victoriam Africanam jussu Cæsaris occisus est. Dio, lib. XLIII. Hic de priore agitur, qui paullo post a triumviris proscriptus, sorore sua, matre Antonii, annitente incolumis evasit. Vide orationem quartam in Catilinam.

5. *Vitricum tuum.* Virum matris tuæ Juliæ, quam post mortem Antonii patris P. Lentulus Sura duxit uxorem. Ille Lentulus inter Catilinæ conjuratos, jussu Ciceronis, in carcere jugulatus est.

6. *Te similem.* Digressio ad insectationem Antonii, ne, dum se defendit Cicero, adversarium interim respirare patiatur.

7. *Hujus ego alienus.* Ex comparatione sui cum Antonio per opposita invidiam magis inflammat.

8. *Nobis etiam dies.* Per indignationem, quod eorum dies natales tanto strepitu celebrantur, ut etiam senatus aures obtundantur.

9. *Hodie non descendit Antonius.* Id est, non venit in senatum. Adverte dialogismum. De toto hoc loco vide Excursum VI ad calcem hujus orationis.

10. *Phormioni alicui.* Parasitis, quales sunt Phormio et Gnatho apud Terentium.

11. *Tum Ballioni.* Vatic. MSS *tum etiam Ballio.* Leno apud Plautum in Pseudolo, de quo Tullius pro Roscio comœdo.

tiam, libidinem non ferendam! Tu quum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de republica nihil referas; ad eos referas, qui rem suam[12] nullam habent, tuam exhauriunt? Tuus videlicet[13] salutaris consulatus, perniciosus meus.

VII. Adeone[1] pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo[2] dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præsidebat[3], consulebam; tu homines perditissimos cum gladiis collocasti? At etiam ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum[4] fuisse. Ut illa, credo[5], nefaria senatusconsulta fierent, vim afferebam senatui. O miser[6], sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nosti), sive sunt, qui apud tales viros[7] tam impudenter loquare! Quis enim[8] eques

12. *Rem suam.* Al. *domum suam*, quod Ernest. prætulit. J. V. L.

13. *Tuus videlicet.* Objectio Antonii.

VII. 1. *Adeone pudorem.* Hujus objectionis impudentiam et indignitatem demonstrat a contrario et comparatione sui rerumque gestarum cum Antonio.

2. *In eo templo dicere ausus sis.* In templo Concordiæ, in quod, detecta conjuratione Catilinaria, Cicero senatum vocaverat.

3. *Orbi terrarum præsidebat.* Penes senatum erat decernere provincias, imperatores et legatos eligere, dispensare pecunias ex ærario, sociorum et regum controversias dirimere, audire legatos, ipsos magistratus in officio continere, etc. Vide pro Sextio, cap. 65; in Vatinium, cap. 15; pro Milone, cap. 33.

4. *Servorum armatorum.* Ratio cur Antonius diceret, perniciosum fuisse Tullii consulatum. — *Clivum Capitolinum.* Vide infra cap. 8. Arma servis non sunt permittenda. Notum illud ex quinta in Verrem. Prætoris jussu Domitii pastor Siculus in crucem sublatus est, quod aprum venabulo percussisset.

5. *Credo.* Ironice. Frequenter apud oratorem.

6. *O miser.* Al. *o miserum.* Seria refutatio per dilemma.

7. *Tales viros tam impudenter loquare!* Senatores omni honore et reverentia dignos.

8. *Quis enim eques.* Ab enumeratione eorum, qui, quum senatus in Concordiæ haberetur, præsidii causa convenerant, ostendit Antonii impudentiam, qui objecerat Capitolinum clivum armatis plenum servis fuisse.

romanus, quis, præter te, adolescens nobilis, quis[9] ullius ordinis, qui se civem esse meminisset, quum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quamquam nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim quum homines nefarii de patriæ parricidio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce pæne literarum coacti, se urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse; quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? præsertim quum senatus populusque romanus haberet ducem, qualis si qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat[10] a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit umquam; quem, quia jure ei fui inimicus, doleo a te jam[11] omnibus vitiis esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli[12] esse educatum? An verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina?

VIII. Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares, nec modo non cohærentia inter se diceres, sed maxime disjuncta atque contraria, ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio? Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, pœna affectum querebare: ita, quod proprie meum

9. *Quis*. Vulg. *qui*. Habent *quis* aliquot MSS et edd. J. V. L.

10. *Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum*. Plutarchus in Antonio: « Hoc autem manifeste falsum; nemo enim eorum, qui tum a Cicerone morte multati sunt, prohibitus est sepultura ».

11. *Doleo a te jam omnibus vitiis esse superatum*. *Jam* tacite omisit Græv. Male. J. V. L.

12. *Te domi P. Lentuli esse educatum?* Plutarchus in vita Ciceronis: « Lentulus, Sura cognomine, vitæ flagitiis et sordibus infamis, jam ante senatu motus, etc. »

est[1], laudasti; quod totum senatus est[2], reprehendisti. Nam comprehensio sontium, mea; animadversio, senatus fuit[3]. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra[4] dicit, laudari a se; eos, apud quos dicit, vituperari.

Jam illud[5] cujus est, non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici), sed, quod minime vult, stultitiæ, qua vincit omnes, clivi Capitolini[6] mentionem facere, quum inter subsellia nostra versentur armati? quum in hac cella Concordiæ, o dii immortales! in qua, me consule, salutares sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent[7]? Accusa senatum; accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines, omnes cives[8], dum confiteare, hunc ordinem

VIII. 1. *Quod proprie meum est.* Scilicet, detectionem conjurationis occultæ, comprehensionem, indicium, et prolationem literarum.

2. *Quod totum senatus est.* Supplicium conjuratis irrogatum.

3. *Nam comprehensio sontium, mea; animadversio, senatus fuit.* Al. « nam quum comprehensio sontium mea fuerit, animadversio s. f. » Minus eleganter. J. V. L.

4. *Quem contra.* Anastrophe pro *contra quem*. Æneid. V : « Solus, qui Paridem solitus contendere contra ».

5. *Jam illud.* Quoniam alia sunt scelera, de quibus etiam frequenter improbi gloriantur, alia de quibus erubescunt, posterius vitiorum genus adscribit orator M. Antonio. Audacia, crudelitas, ultio, latrocinia, cetera hujusmodi, quæ vim aliquam et potestatem desiderant, hominibus nefariis gloriandi segetem præbent. Stultitia, invidia, et alia, quæ vel a stupore mentis, vel ab animi pravitate manant, sunt pudori, et eam ob rem orator Antonio non audaciæ, sed stultitiæ labem adspergit.

6. *Clivi Capitolini.* Clivum Capitolinum vocabant antiqui locum et viam, qua in Capitolium ex foro adscendebatur; silice straverant censores.

7. *Collocati stent.* Animadverte quemadmodum una syllaba periodum terminet; quæ clausula est de industria durior ad exprimendam sententiam. Sic pro Milone: « Insidiatori vero et latroni quæ potest afferri injusta nex? » Pro Ligario : « Ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te ». Ibidem : « Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis ».

8. *Accusa omnes ordines, omnes cives*, etc. A comparatione hominum qui tum in utriusque consulatu arma sumpserunt, stultitiam objectionis ostendit.

hoc ipso tempore ab Ithyreis[9] circumsederi. Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis[10]. Quid est enim dementius, quam, quum ipse reipublicæ perniciosa arma ceperis, objicere alteri salutaria?

At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id, dii boni! non decebat? in quo est tua culpa nonnulla[11]: aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti[12]. CEDANT ARMA TOGÆ[13]. Quid? tum nonne cesserunt? At postea tuis armis cessit toga. Quæramus igitur, utrum melius fuerit libertati populi romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus[14] plura respondebo:

9. *Ab Ithyreis.* Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. Videntur optimi jaculatores fuisse. Virgil. Georg. II, vers. 448: « Ithyreos taxi torquentur in arcus ». Quos quasi satellites Syria adduxerat Antonius, quum sub Gabinio ibi militaret. Vide subjectas orationi notas in Excursu VII.

10. *Sed qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis.* Ernest. scribendum judicat, *sed quia... vides*, et sic edidit. Vulgo, *non videas. Nihil pr. sapis.* Nos Lambini optimam interpunctionem sequimur. J. V. L.

11. *Nonnulla.* Al. *nulla.* — *Ab uxore mima.* Cytheride, sive Volumnia.

12. *Trahere potuisti.* Id est, aliquid facetiarum, leporis et festivitatis discere potuisti. Qui scripserunt, *tua culpa nulla*, intellexerunt sane: Jocus ille non e tuo sacco venit; nempe facetiis impar est animus tuus; sed illum ab uxore trahere potuisti.

13. *Cedant arma togæ.* Hunc et alios hujusmodi versiculos, ut ait Fabius, lib. II, cap. 1: « Non desierunt carpere maligni ». Vide in Pisonem, cap. 29 et 30. Ille invectivæ auctor Sallustio tributæ: « Etiamne aures nostras onerabis tuo odio? Etiamne molestissimis verbis insectabere? Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Quasi vero togatus et non armatus ea quæ gloriaris, confeceris ». Plutarch. « At Ciceronis immoderata de se loquendi consuetudo intemperantem in eo gloriæ cupiditatem arguebat, quum exclamaret: Cedant arma togæ, etc. »

14. *De versibus.* M. Tullius, ut ait Plutarchus, jam inde a pueritia erat aliquo modo ad poesim propensior. Procedens ætate et majore varietate hujusmodi musas exercens, visus est non solum orator, sed etiam omnium Romanorum optimus poeta. Sed statim ut Horatius, Virgilius et alii floruerunt, Tulliana poesis in oblivionem occidit. Arati poema de Phænomen. latinis versibus adumbravit; Marium cecinit perpetuo carmine, de quo Scævola (de Leg. I, 1) præclare loquitur.

tantum dicam breviter, neque te illos, neque ullas omnino literas nosse; me nec reipublicæ, nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum[15] meorum profecisse operis subsecivis[16], ut meæ vigiliæ, meæque literæ, et juventuti utilitatis, et nomini romano laudis[17] aliquid afferrent. Sed hæc non hujus temporis; majora videamus[18].

IX. P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, quum tu illum in foro, inspectante populo romano, gladio stricto insequutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se in scalas tabernæ librariæ conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum[1] compressisset? Sed[2] quid? ego favisse me tibi fateor; suasisse ne tu quidem dicis[3]. At Miloni ne favere quidem potui: prius enim

Hujus est fragmentum (de Divinat. I, 47): « Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles, Arboris e trunco, serpentis saucia morsu, Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem Semianimum, et varia graviter cervice micantem. Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans, Jam satiata animos, jam duros ulta dolores, Abjicit efflantem, et laceratum affligit in undas; Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus ». Voltarius hoc fragmentum non imparibus expressit versibus: « Tel on voit cet oiseau qui porte le tonnerre, etc. »

15. *Et tamen omni genere monumentorum meorum profecisse*, etc. Calenus invehitur contra Tullium apud Dionem, lib. XLVI: « Et sophistam, et poetam, et philosophum, et oratorem, et historicum esse se simulat ». Plutarchus contra: « Sic erat ab ipsa natura comparatus, ut Plato indolem doctrinæ sapientiæque cupidam requirit, adeo ut omnem doctrinam amplecteretur, neque ullum eruditionis genus posthaberet ».

16. *Operis subsecivis*. Operæ, horæ, tempora, quæ amicorum, fori, reipublicæ necessitatibus quodammodo supersunt, et quasi subsecantur, quæque nobis reservamus, nec perire sinimus, sed in legendo, commentando, scribendo consumimus, subseciva nuncupantur.

17. *Nomini romano laudis*. Velleius, lib. II: « Ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur ». Vid. Excurs. VIII.

18. *Majora videamus*. Al. « ad majora veniamus ».

IX. 1. *Impetum tuum*. Vide pro Milone, cap. 15.

2. *Sed quid?* MS Vat. *Quod quidem* e. J. V. L.

3. *Ne tu quidem dicis*. Prudenter hujus rei meminit, ut crimen in Antonium retorqueat, qui ea fuerit impudentia, ut consilium facinoris ob-

rem transegit, quam eum quisquam facturum id suspicaretur. At ego suasi[4]. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicæ sine suasore non posset. At lætatus sum[5]. Quid? ergo in tanta lætitia cunctæ civitatis me unum tristem esse oportebat?

Quamquam de morte[6] P. Clodii fuit quæstio, non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quæri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quæstio constituta? Quæsitum est tamen. Quod ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit[7], id tot annis post[8] tu es inventus qui diceres? Quod vero[9] dicere ausus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium a Cæsaris amicitia esse disjunctum, ob eamque causam mea culpa civile bellum esse natum: in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti.

X. Ego M. Bibulo[1], præstantissimo cive, consule,

jiceret alteri, quod ipse sua manu patrare voluisset.

4. *At ego suasi.* Alio argumento probat, se necandi Clodii consilium non dedisse; quod petit a persona Milonis, qui suasoribus haudquaquam indigebat; idque, honoris causa, tribuit ejus amori in rempublicam, quod tribui poterat ejus audaciæ.

5. *At lætatus sum.* Argumentabatur Antonius a consequenti. Refutat orator tamquam commune. Sic maligne magis ac inimice Æschines objecit Demostheni quod in publica lætitia civitatis post necem Philippi, « septimo die post filiæ mortem, priusquam ei justa solvisset, coronatus et albam vestem assumens boves immolasset ». Quod retorquet Demosthenes mire in oratione contra Ctesiphontem.

6. *Quamquam de morte.* Occurrit tacitæ objectioni : si omnes Clodii morte lætati sunt, cur igitur Milo damnatus est? Id acceptum refert non causæ Milonis, quæ fuit optima, sed institutioni novæ quæstionis; de qua multis queritur pro Milone. De quæstionibus vide Milonianam, cap. 5, et de quæsitoribus, cap. 8, et ad calcem primi voluminis.

7. *Nemo in me dixit.* Tamen ipse pro Milone dixerat : « Scitis judices fuisse qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu cædem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Me videlicet latronem ac sicarium abjecti homines et perditi describebant ». Confer Excursum IX ad calcem hujus orationis.

8. *Id tot annis post.* Id est, octavo post Clodii necem anno.

9. *Quod vero.* Quarta objectio M. Antonii.

X. 1. *M. Bibulo.* Qui cum Cæsare

nihil prætermisi, quantum facere nitique potui, quin Pompeium a Cæsaris[2] conjunctione avocarem. In quo Cæsar fuit felicior. Ipse enim Pompeium a mea familiaritate disjunxit. Postea vero, quam se totum Pompeius Cæsari tradidit[3], quid ego illum ab eo distrahere conarer? Stulti erat sperare, suadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim. Ea velim reprehendas, si potes : unum, ne quinquennii[4] imperium Cæsari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri[5], ut absentis ejus ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias numquam incidissemus. Atque idem ego, quum jam omnes opes, et suas, et populi romani Pompeius ad Cæsarem detulisset; seroque ea sentire cœpisset, quæ ego ante multo provideram[6], inferrique patriæ bellum nefarium viderem,

consulatum gerens e foro armis a Cæsare ipso expulsus est. Suetonius in Julio, cap. 20 : «Unus (Cæsar) ex eo tempore omnia in republica, et ad arbitrium administravit; ut nonnulli urbanorum, quum quid per jocum testandi gratia signarent, non Cæsare et Bibulo, sed Julio et Cæsare actum scriberent, bis eumdem præponentes nomine atque cognomine; utque vulgo mox ferrentur hi versus : Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est. Nam Bibulo fieri consule nil memini».

2. *Quin Pompeium a Cæsaris*. Neminem latebat Cæsaris ambitio; cui nullus fuisset modus, si Pompeii fuisset fultus gratia. Illos igitur tum disjungere referebat.

3. *Tradidit*. Ernestius dat *tradiderat*. J.V.L.

4. *Ne quinquennii imperium*. Jamjam in senatu lege Sempronia de Cæsaris provinciis actum erat, Philippo et Marcellino consulibus, et Cicero ipse auctor fuerat ut successor Cæsari non mitteretur; qua de re exstat oratio de provinciis consularibus. Rursus actum est de provinciis Cæsaris, et lex a Trebonio lata de prorogatione quinquennii, sed actum in concione, non in senatu, neque eodem anno, sed sequenti, Pompeio et Crasso consulibus, neque legis hujus auctor fuit Cicero, sed potius dissuasor.

5. *Ne pateretur ferri*. Id est, legem, ut absenti Cæsari petitio secundi consulatus daretur. Quod ut adeptus est Cæsar, altiora jam meditans, et spei plenus, nullum largitionis aut officiorum in quemquam genus publice privatimque omisit. Vide Tranquillum.

6. *Provideram*. Vaticanus liber, *prævideram*, quam lectionem Ern. recepit et Heus. quod *providere* est vulgo, prævidendo cavere, mederi; *prævidere* autem simpliciter præsentire denotat.

pacis, concordiæ[7], compositionis auctor esse non destiti; meaque illa vox est nota multis[8] : « Utinam, Pompei, cum Cæsare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses! fuit alterum gravitatis, alterum prudentiæ tuæ ». Hæc mea, M. Antoni, semper et de Pompeio, et de republica consilia fuerunt : quæ si valuissent, respublica staret; tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses.

XI. Sed hæc vetera[1] : illud vero recens[2], Cæsarem meo consilio interfectum. Jam vereor[3], patres con-

7. *Pacis, concordiæ.* Vide orationem pro Marcello, *de pace agendum.* Epist. 10 ad Tironem : « Incidi in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potius belli; cui quum cuperem mederi, et, ut arbitror, possem; cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt ».

8. *Meaque illa vox est nota multis.* Epist. 6 ad Cæcinam, lib. VI ad Diversos : « Plurimi sunt testes, me et initio, ne conjungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, et postea, ne sejungeret. Conjunctione frangi senatus opes, disjunctione civile bellum excitari videbam; atque utebar familiarissime Cæsare, Pompeium faciebam plurimi; sed erat meum consilium quum fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quæ præterea præviderim prætereo ». Quid autem præviderit, præterit veritus Cæsaris offensionem, qui tum rempublicam obtinebat; sed aperte lib. VII ad Atticum, epist. 6 : « Pace opus est. Ex victoria quum multa mala, tum certe tyrannis exsistet ».

XI, 1. *Sed hæc vetera.* Ordo rerum exigebat ut prius de castris Pompeii, quam de Cæsaris nece loqueretur; sed respondendo sequutus est eum ordinem quem Antonius objiciendo servaverat; qui ut ostenderet Ciceronem natura turbulentum esse, et seditionibus delectari, crimina per quinque personas digesserat : « 1° Ipsum Antonium, cujus ille amicitiam violaverat; 2° Lentulum, quem prætextu conjurationis consul in carcere jugularat; 3° P. Clodium, quem suis consiliis manu Milonis occiderat; 4° Cæsarem, quem et a Pompeii conjunctione primo distraxerat, unde civile bellum exarsit, deinde suo consilio interfecerat, Brutum et Cassium, suos necessarios ad ejus necem impellens; 5° ipsum denique Pompeium, cujus animum bello civili partim mœstitia, partim jocis alienarat. Ex quibus omnibus colligebat Ciceronem omnibus odio esse. Hoc igitur fuit causa, cur, ordine et tempore intermisso, omnia quæ ad personam Cæsaris pertinebant, oratione conjunxerit.

2. *Illud vero recens.* Objectio Antonii. — *Consilio meo interfectum.* Eam esse falsam criminationem patet e libro X epist. Ciceronis 28, et lib. XII, epist. 2, 3, 4.

3. *Jam vereor.* Objectionis irrisio. Ceterum de hoc crimine Antonii ita ad Diversos, lib. XII, epist. 2 ad Cassium : « Nullamque aliam ob causam me auctorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me vete-

scripti, ne, quod turpissimum est, prævaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret[4] alienis. Quis enim meum in istius gloriosissimi facti conscientia[5] nomen audivit? Cujus autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico[6]? cujus non statim divulgatum? Citius dixerim, jactasse se aliquos[7], ut fuisse in ea societate viderentur, quum conscii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset. Quam verisimile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus[8], Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem[9] quotidie videret, alter etiam Aha-

rani incitentur, etc. » et epistola sequenti.

4. *Oneraret.* Abest ab optimo libro Vaticano, et omisit Muretus.

5. *Facti conscientia.* Male al. *societate.* Non objiciebat Antonius Ciceroni, quod socius, sed quod conscius fuisset, ut ostendit oratio M. Antonii, ex qua locum ipsum Cicero transtulit: « M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem nominatim exclamavit; ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse ». Vide Excursum X ad calcem hujus orationis.

6. *Occultatum dico?* Ciceronem consilii sui participem non fecerunt, quia illum aut timidiorem aut parum aptum crediderunt.

7. *Jactasse se aliquos.* Scilicet C. Octavium et P. Lentulum Spintherem. Eos tamen non appellat, quia nec necesse fuit, nec voluit Lentulum amicissimi quondam sui filium offendere. Dio, lib. XLIII, et Plutarchus in Cæsare: posterioris verba sunt, « nonnulli vero et cum ipsis (Cæsaris percussoribus) simul ascenderunt (in Capitolium), seque cum illis miscuerunt, tamquam facti participes, eamque sibi gloriam arrogarunt ».

8. *Illis auctoribus.* Ea verba Ernest. et Schütz. ejecerunt. Nuspiam tamen ullum varietatis lectionis vestigium deprehendi.

9. *L. Bruti imaginem.* Hic locus non de statua L. Bruti inter reges in Capitolio posita, sed de ejus effigie cerea in privatis Brutorum atriis servata intelligendus. Statuas non in atrio, sed foris aut in ipso vestibulo collocabant. Ea porro fuisse videtur statuas inter et imagines distinctio, quod statuæ e ligno, marmore, ære, auro, argento, aliave solida materia fierent; imagines essent aut expressi e cera vultus, aut etiam picturæ in tabulis delineatæ. Statuæ non omnibus passim, sed vel ipsi patrifamilias viventi, vel iis qui sua virtute præcipuam fa-

læ[10]? His igitur majoribus orti ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo? Quid? C. Cassius[11], in ea familia natus, quæ non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cujusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris, hanc rem in Cilicia, ad ostium fluminis Cydni, confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam, navi appulisset. Cn. Domitium[12] non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio[13] ego persuasi? cui ne suadere quidem ausus essem. Quo etiam

miliæ claritudinem attulissent; imagines non solum defunctis, sed quibusvis majoribus, qui curulem gessissent magistratum ponerentur. Ubi quis enim diem obierat, ejus effigies exprimebatur e cera, quam post laudationem funebrem referebant in atrium, et inter gentilitias imagines collocabant.

10. *Ahalæ*. Plutarchus in Bruto: « Servilia mater genus suum ad Ahalam Servilium referebat ». Liv. lib. IV: « Quum fame populus romanus laboraret, Spurius Melius, eques romanus, frumentum populo sua impensa largitus est, et ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans, a C. Servilio Ahala magistro equitum occisus est ». Hinc illud etiam constat, mulieres, quum matrimonio transirent in alias familias, secum majorum suorum imagines ad mariti domum detulisse.

11. *C. Cassius, in ea familia natus*, etc. Dionys. Halicarnasseus, lib. VIII: « Dicunt Cassium patrem primum omnium rem subodoratum (affectationem regni), habita diligentissima quæstione, venisse in senatum, et vocato filio crimen indicasse, eumque accusasse. Quumque eum pariter damnasset senatus, Cassius domum reductum interemit. — *In Cilicia*. Vide Excursum XI ad calcem hujus orationis.

12. *Cn. Domitium*. Hic est Cn. Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone, cap. 3, ait: « Omnibus gentis suæ præferendum ». Pater ejus Luc. Domitius pugna Pharsalica occubuerat (vide Lucanum, lib. VII), et avunculus M. Cato Uticensis, qui frater erat Porciæ, matris Domitii, Uticæ mortem sibi ipse consciverat, ne in Cæsaris victoris manus deveniret. Cn. Domitius, post Cassii et Bruti interitum, classem retinuit, auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte et ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis, qui Pedia lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimis honoribus defunctus est.

13. *An C. Trebonio*. Cæsaris fuerat familiarissimus, et legem tulerat de prorogando ejus in Galliis imperio. Vide Plutarchum in Pompeio, Cæsare, Catone; Dionem et Appianum.

majorem ei respublica gratiam debet, qui libertatem populi romani unius amicitiæ præposuit, depulsorque dominatus, quam particeps esse maluit. An L. Tillius Cimber[14] me est auctorem sequutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi. Admiratus sum autem ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriæ fuisset. Quid duos Servilios[15], Cascas dicam, an Ahalas? et hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate reipublicæ? Longum est persequi ceteros[16]: idque reipublicæ præclarum, tam multos fuisse[17]; ipsis gloriosum.

XII. At quemadmodum me coarguerit homo acutus[1], recordamini. Cæsare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim[2] exclamavit, atque ei recuperatam

14. *An L. Tillius Cimber.* Vinosus erat, et mirum fuit hujusmodi hominem, a Bruto et Cassio in societatem conspirationis advocatum fuisse. Vide Senecam de Ira, lib. III, cap. 30, et epist. 83.

15. *Quid duos Servilios.* Servilia gens nobilissima fuit, et in plures familias distributa. In ea fuerunt Cæpiones, ad quos Marcus Brutus maternam originem referebat, erant etiam Cascæ et Ahalæ, ut Geminos et alias Serviliorum familias omittam, quæ minus videntur ad cædem Cæsaris pertinere. Vide ad calcem huj. orationis Garatonii Excurs. XII.

16. *Longum est persequi ceteros.* Ut Cæcilium, Bucolianum, Rubrium Regem, Q. Ligarium, M. Spurium, Sextum Nasonem, Pontium Aquilam, qui ab Appiano numerantur. Addit Plutarchus in Bruto Labeonem, Suetonius Sergium Galbam, Dio Cornelium Cinnam.

17. *Tam multos fuisse.* Qui reipublicæ salutem, dignitatem et libertatem assererent contra Cæsaris impotentem dominatum, ipsis autem tot libertatis vindicibus fuit gloriosum. Conf. Excurs. XIII ad calcem orationis hujus.

XII. 1. *Homo acutus.* Ironice, nempe paullo post stultissimum, immo pecudem appellat.

2. *Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam.* Non unus Brutus, si Dionem audiamus, sed etiam reliqui Cæsaris percussores. Unam causam affert orator, alteram tacet, quæ poterat ipsum in invidiam adducere. Quia nimirum, ut ait Plutarchus, Cæsare rempublicam obtinente, nihilominus Cicero «maximam in Urbe auctoritatem habebat». Appianus, Civilium IV: «Cicero, qui post C. Cæsarem eo potentiæ pervenerat, quo potest orator pervenire», et eam ob causam Ciceronem tamquam primarium civem, et, interfecto Cæsare, totius reipublicæ facile principem ap-

libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimum[3]? quod sciebam? Vide, ne illa causa fuerit appellandi mei, quod, quum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se æmulum mearum laudum exstitisse. Tu autem omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Cæsarem, crimen sit, etiam lætatum esse morte Cæsaris, crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti, et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est igitur, te excepto, et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit; voluntas nemini. Sed stuporem hominis, vel dicam[4] pecudis, attendite. Sic enim dixit: M. BRUTUS, QUEM EGO HONORIS CAUSA NOMINO, CRUENTUM PUGIONEM TENENS, CICERONEM EXCLAMAVIT; EX QUO INTELLIGI DEBET, EUM CONSCIUM FUISSE. Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris; ille, qui stillantem præ se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur[5]? Esto: sit in verbis tuis[6] hic stupor.

pellare potuerant, etiamsi conspirationis particeps non fuisset.

3. *Cur mihi potissimum? quod sciebam?* Al. *qui*, male. Supponit enim rationem, qua probabat Antonius, Ciceronem fuisse conscium. *Quod sciebas?* Ut illud pro Milone: « Quæ causa, cur Romam properaret?... quod hæres erat? » — *Te excepto, et iis*, etc. Vide Excurs. XIV ad calcem hujus orationis.

4. *Vel dicam pecudis, attendite.* Lambin. dat *ne dicam pecudis, attendite.* Colon. *vel ut ita dicam pecudis, attendite.*

5. *Honoris causa nominatur.* Hinc Antonii stupor, quod pugnantia loqueretur. Cæsarianæ necis auctores laudabat, et conscios vituperabat; tamen conscium fuisse Ciceronem non liquet.

6. *Esto: sit in verbis tuis hic stupor.* Transitio. Stupidum in verbis appellat, quod contraria diceret; stupidum autem in rebus atque sententiis etiam esse probat orator.

Quanto in rebus sententiisque major? Constitue hoc, consul, aliquando, Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis esse causam; edormi crapulam, inquam, et exhala. An faces admovendæ sunt, quæ te excitent tantæ causæ indormientem? Numquamne intelligis [7], statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidæ sint, an vindices libertatis?

XIII. Attende enim paullisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris [1], ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi romani conservatoresque reipublicæ sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse; si quidem est atrocius patriæ parentem, quam suum occidere. Tu homo sapiens et considerate, quid dicis? si parricidæ, cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine, et apud populum romanum semper appellati? Cur M. Brutus, te referente [2], legibus est solutus [3], si ab urbe plus, quam decem dies abfuisset? Cur ludi [4] Apol-

7. *Numquamne intelligis*. Muretus et Lambinus ex Vaticano, *intelliges*. — *Homicidæ*. Vide Excursum XV ad calcem hujus orationis.

XIII. 1. *Ut ipse fateor, familiaris*. In vitæ consuetudine. — *Socius*. In conspiratione.

2. *Te referente*. Te senatum consulente factum est senatusconsultum, ut M. Brutus prætor urbanus ea lege non teneretur, quæ vetat prætores urbanos plus quam decem dies abesse ab Urbe.

3. *Legibus est solutus*. *Legibus solvi* apud Romanos dicebantur, qui una tantum lege solvebantur, ut ex pluribus locis Livii et aliorum liquet. Nam nec Julius Cæsar, nec ejus successores, nisi posterioribus temporibus, quum nimis invalesceret adulatio et servitus, legibus omnibus umquam fuerunt soluti, ut patet ex Suetonio, Tacito, etc.

4. *Cur ludi Apollinares*. Vide de horum ludorum origine Livium, lib. XXV, cap. 12. Quo autem die celebrarentur, idem exponit lib. XXXVII. Jam ante dixerat lib. XXVII, cap. 23: « ludi Apollinares Q. Fulvio, Appio Claudio coss. a P. Cornelio Sulla prætore Urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps prætores urbani fe-

linares incredibili M. Bruti honore celebrati[5]? Cur provinciæ Bruto et Cassio datæ? Cur quæstores additi? Cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te[6]. Non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint: quandoquidem tertium[7] nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? Non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ : quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimi judicati sunt. Itaque jam retexo[8] orationem

cerant : sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant ». At aliquanto post, nimirum M. Marcello, Tito Quintio Crispino coss. « pestilentiæ causa et supplicatum per compita tota urbe est, et P. Licinius Varus prætor Urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ad tertium nonas quintiles. Is dies deinde solemnis servatus ». In illis fuisse duos choros, alterum virginum, alterum puerorum, qui alternis Dianam et Apollinem celebrarent ostendit Horatius, lib. I, Od. 21, 2 : « Dianam teneræ dicite virgines, Intonsum pueri dicite Cynthium, etc. » Quin et arbitrio prætoris actas fuisse comœdias indicio sunt tituli nonnullarum fabularum Terentii, gladiatores productos, exhibitas venationes, ut mox vel ex ipsa M. Bruti munificentia constabit.

5. *M. Bruti honore celebrati.* Id est, sumptibus Bruti. Nempe sentiens Brutus multos e veteranis, qui sub Cæsare meruerant, ab eoque agros et colonias acceperant, ad insidias ipsi struendas paullatim in Urbem confluere, non ausus est ad Urbem accedere; « sed, ut narrat Plutarchus, populus spectavit eo absente, ipso sumptus liberaliter et abunde subministrante; bestias enim plurimas quum coemisset, jussit nullam servari, sed omnes consumi; et ex scenicis artificibus plurimos Neapolim descendens ipse convenit ». Tradit Appianus, lib. III Civilium, his Bruti honoribus non parum obstitisse Octavianum Cæsarem. « Quum, inquit, ludi appropinquarent quos loco Bruti prætoris urbani editurus erat C. Antonius, frater Antonii, qui et alia, quæ ad Bruti præturam spectabant, administrabat; et magnificus esset horum ludorum apparatus, spesque affulgeret, fore ut plebs his spectaculis delinita Brutum in urbem revocaret; Cæsar ex alia parte populum demereri satagens, quidquid pecuniarum ex auctione bonorum corradere potuit, semper minutatim principibus tribuum dabat, ut iis dividerent, qui ad accipiendum priores accederent ».

6. *Hæc acta per te.* Antonius qui timebat, ne Brutus, Cassius et socii suæ ipsius obsisterent ambitioni, illis favere se simulabat; sed clam agebat, ut Romam numquam redirent.

7. *Tertium.* Id est, medium. Aut homicidæ sunt, aut liberatores.

8. *Jam retexo.* Retracto quæ dixeram, me videlicet conjurationis illius conscium non fuisse.

meam. Scribam ad illos[9], ut, si qui forte, quod a te mihi objectum est, quærent, sitne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me[10], ipsis illis non honestum; aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quæ enim res umquam, pro sancte Jupiter! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? quæ gloriosior? quæ commendatior erit[11] hominum memoriæ sempiternæ? In hujus me tu consilii societatem tamquam in equum[12] Trojanum cum principibus includis? non recuso. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te prædicas et relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari atque appetere[13] videatur? qui homines tam agrestes, qui se, quum eos adspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum[14] putent? quæ vero tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ lite-

9. *Scribam ad illos, ut*, etc. Ironia.

10. *Celatum me.* Quod sua mihi consilia non patefecerint. —*Refugisse.* Aut me refugisse esse eorum participem consiliorum. Plutarchus veram rationem adfert, cur Brutus et Cassius Ciceronem celaverint: « Et Ciceronem, quum plurimum et fidei et benivolentiæ apud eos obtineret, celaverunt, ne quod natura timidior esset, et ex ipsa ætate senilem omnia cavendi prudentiam traxisset, singula expendendo et summam exigens securitatem alacritatis ipsorum aciem, quæ celeritatem requirebat, hebetaret et obtunderet ».

11. *Erit.* Hoc verbum, *erit*, post Faernum e cod. Vatic. aliisque deleverunt Græv. Heusinger. Ernest. vero et Lallem. servavere. Rectius. J. V. L.

12. *In equum Trojanum cum principibus includis?* Hæc locutio proverbium videtur.

13. *Non affari atque appetere.* Ad varios motus adhibet hanc amplificandi rationem. Sic Verrina ultima ad miserationem: « Si hæc non ad cives romanos, etc. » Pro Archia poeta ad delectationem: « Saxa et solitudines voci respondent, etc. » Pro Cornelio Balbo ad admirationem indignationi mixtam: « Vos denique, mutæ regiones, imploro ... vos maria, portus, etc. » Pro Milone, ad obtestationem: « Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, etc. »

14. *Vitæ fructum.* Loquendi modus familiaris Ciceroni. Ut pro lege Manilia de Q. Catulo: « Cepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, etc. »

ræ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

XIV. Sed unam rem vereor, ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem [1], sed regnum etiam de republica sustulissem; et, si meus stylus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si interfici [2] Cæsarem voluisse crimen est, vide, quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et Narbone [3] hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, et ob ejus consilii societatem, quum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. Ego autem (vide, quam tecum agam non inimice), quod bene cogitasti aliquando, laudo; quod non indicasti [4], gratias ago; quod non fecisti, ignosco: virum res illa quærebat. Quod si te in judicium quis addu-

XIV. 1. *Non solum regem*. Ut epistola prima ad Cassium: « Non regno, sed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur, etc. » Et lib. XIV ad Atticum, epist. 8: « O dii boni! vivit tyrannus; tyrannus occiditur; ejus interfecti morte lætamur, cujus acta defendimus ». Et eodem libro, epist. 10 et 16; innuit autem cum Cæsare occidendum etiam Antonium. Plutarch. in Bruto et in Antonio: « Cæsaris percussores Antonium pariter interimere decreverant, nisi Brutus eorum consiliis obstitisset ». Dio, lib. XLIII, idem de Lepido consilium initum fuisse testatur. Alia translatione idem expressit Cicero, epist. 4 ad Cassium: « Vellem idibus martiis me ad cœnam invitasses; reliquiarum nihil fuisset; nunc me reliquiæ vestræ exercent, et quidem præter ceteros me ».

2. *Quamquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est*. Quum Antonius et C. Trebonius Cæsari ex Hispania, liberis Pompeii victis, redeunti obviam ivissent, et Narbone Trebonius Cæsaris necandi oblique mentionem fecisset, Antonius rem silentio oppressit, et cavit ne ad aures Cæsaris manaret. Cicero contendit Antonio non voluntatem, sed audaciam defuisse.

3. *Narbone hoc consilium*, etc. Narbo, urbs Galliæ; unde et Gallia Narbonensis, de qua Strabo, lib. II. Gallicus sinus expanditur, in quo sitæ sunt duæ illustrissimæ urbes, Massilia et Narbo.

4. *Quod non indicasti*, *gratias ago*. Faernus testatur in uno libro vet. legi, *quod indicasti*, idque Wernsdorf. olim prætulerat. Nunc addit *non*. J. V. L.

cat, usurpetque illud Cassianum : CUI BONO[5] FUERIT; vide, quæso, ne hæreas. Quamquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant: tibi tamen præcipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas; qui maximo te ære alieno ad ædem Opis[6] liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam[7] dissipasti; ad quem e domo[8] Cæsaris tam multa delata sunt; cujus domus quæstuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina; agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimæ nundinæ. Etenim quæ res egestati et æri alieno tuo, præter mortem Cæsaris, subvenire potuisset? Nescio quid[9] conturbatus esse mihi videris. Numquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu : nemo credet umquam; non est tuum de republica bene mereri; habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros respublica auctores : ego te tantum gaudere dico, fecisse non

5. *Cui bono fuerit.* Id est, cui nex illa utilitatem attulit. Vide orationem pro Milone.

6. *Ad ædem Opis.* Cæsar, paullo ante necem, ingentem pecuniæ vim, ex proscriptorum Pompeianorum bonis redactam, in æde Opis deposuerat. Hanc, eo interfecto, Antonius occupavit, eamque se ex Cæsaris commentariis distribuisse dixit, quos vero corrupit, usus ad id Faberii manu, qui Cæsaris scriba fuerat. Vide Appian. Civil. lib. III, pag. 858, et lib. XIV, epist. 18, ad Atticum.

7. *Dissipasti.* Vulgo, *dissipavisti*. J. V. L.

8. *Ad quem e domo Cæsaris tam multa delata sunt*, etc. Post Cæsaris necem Calpurnia Cæsaris conjux verita, ne vel Cæsaris percussores, vel etiam senatus invaderet, ingentem pecuniæ vim e domo Cæsaris prolatam, id est, tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium, et Cæsaris commentarios in quibus ipsius manu notata erant, quæ Cæsar facere decreverat. Interim quum senatus nihil de Cæsaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Cæsaris commentarios adulteravit, et agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit, cujus invenit emptorem.

9. *Nescio quid.* Festiva compellatio, et quasi quædam consolatio Antonii, quem fingit se omni metu liberare. Re vera tamen magis pungit, magisque in odium adducit, quam si manifeste eum illius facti conscium fuisse ostenderet.

arguo. Respondi maximis [10] criminibus : nunc etiam reliquis respondendum est.

XV. Castra mihi Pompeii [1], atque illud omne tempus objecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium auctoritasque valuisset, tu hodie egeres, nos liberi essemus; respublica non tot duces et exercitus amisisset [2]. Fateor enim, me, quum ea, quæ acciderunt, providerem futura [3], tanta in mœstitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, patres conscripti, rempublicam, vestris quondam meisque consiliis conservatam, brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus

10. *Respondi maximis criminibus.* Transitio, et separatio dictorum a dicendis.

XV. 1. *Castra m. Pompeii.* Objectio Antonii: quam quidem invidiose exponit orator de industria, quasi nihil aliud objecisset Antonius, quam castra Pompeii, ac proinde omnes alios Pompeianos eo crimine comprehenderet.

2. *Exercitus amisisset.* Primus populi romani exercitus deletus a Cæsare et interfectus est ad Philippos et Pharsalum in Thessalia, cui præerat ipse Cn. Pompeius; secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione, socero Pompeii; tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneo et Sexto Pompeii filiis. Multas et ipse Cæsar clades per suos legatos accepit, « quorum C. Curio, inquit Tranquillus, cap. 36, in Africa periit (cum duabus legionibus et equitibus quingentis, ex Cæsare), C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem; P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt ». Ipse duo circiter millia militum prælio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat.

3. *Providerem futura.* Lib. VIII ad Atticum, epist. 1 : « Invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita est umquam; semper flagitiosæ et calamitosæ fugæ ». Lib. XI, epist. 7 : « De Pompeii exitu mihi dubium numquam fuit; tanta enim desperatio rerum ejus omnium regum populorumque animos occuparat, ut quocumque venisset, hoc putarem futurum ». Quin immo Cæsaris exitum longe ante prospexit, lib. X, epist. 7 : « Nullo enim modo posse video stare istum (Cæsarem) diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, etc.» Item : « Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore, etc. »

liberaret. Illos ego præstantissimos[4] viros, lumina reipublicæ, vivere volebam, tot consulares, tot prætorios, tot honestissimos senatores, omnem præterea florem nobilitatis[5] ac juventutis, tum optimorum civium exercitus : qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur), rempublicam hodie teneremus. Quæ sententia[6] mea si valuisset, ac non ii maxime[7] mihi, quorum ego vitæ consulebam, spe victoriæ elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe numquam in hoc ordine, vel potius numquam in hac urbe mansisses. At vero[8] Cn. Pompeii voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum, de summa republica dissentientes, in eadem consuetudine amicitiæ permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium[9] primum, et postea dignitati; ille præsenti

4. *Illos ego præstantissimos.* Ab enumeratione omnium ordinum ostendit, quantùm ex eorum interitu respublica vulnus acceperit.

5. *Florem nobilitatis.* Omnes propemodum nobiles adolescentes in castris Pompeii fuerant, quoniam hic tota erat respublica.

6. *Quæ sententia.* Si admissæ fuissent conditiones, quas Cæsar proponebat, si Pompeius ivisset in Hispaniam, et uterque dimisisset exercitum. Vide epist. undecimam ad Tironem.

7. *Ac non ii maxime.* Cn. Domitius, Scipio, Lentulus Spinther et alii principes civitatis.

8. *At vero.* Subaudi, inquit Antonius. Macrobius, Saturnal. lib. II, cap. 3 : « Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit; cujus hæc de eo dicta ferebantur : ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo ». Paullo post : « Quum donasset Pompeius transfugam civitate romana; o hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quæ merito videbatur Pompeius dixisse : transeat ad hostes Cicero, nos timebit ».

9. *Ego incolumitati civium.* Id est, ego vel iniquis conditionibus cum Cæsare pacem fecissem, sperans quippe fore, ut respublica, præsens periculum si effugisset, postea pristinam dignitatem recuperaret; at Pompeius indignum esse censebat, in præsenti iniquas admittere conditiones.

dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quod sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille singularis vir ac pæne divinus de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica fuga Paphum [10] prosequuti sunt. Numquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, quum me vidisse plus [11] fateretur, se speravisse meliora. Et ejus viri nomine me insectari audes, cujus me amicum, te sectorem esse [12] fateare?

XVI. Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne jocis quidem [1] respondebo, quibus me

10. *Fuga Paphum.* Valerius Maximus, lib. I, cap. 5, omen sic narrat: « Pompeius vero Magnus in acie Pharsalica victus a Cæsare, fuga quærens salutem, cursu in insulam Cypron, ut aliquid in ea virium contraheret, classem direxit, appellensque ad oppidum Paphum, conspexit in litore speciosum ædificium, gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset : qui respondit, κακοβασιλέα vocari : quæ vox spem ejus, quantulacumque restabat, comminuit ».

11. *Me vidisse plus.* Me prudentiorem fuisse in prævidendis malis belli civilis.

12. *Te sectorem esse.* Quia, ut infra dicetur : « Bona Cn. Pompeii Magni voci acerbissimæ subjecta præconis, exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud sceleris sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium ».

XVI. 1. *Ne jocis quidem.* Plutarchus in Cicerone : « Ipse quidem mœstus obibat exercitum, aliis autem quum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat ». Macrobius : « Quum ad Pompeium venisset, dicentibus sero venisse, respondit : Minime sero veni; nam nihil hic paratum video. In eo jocus fuit, quod tamquam ad epulas invitatus responderit, et orationem a bello ad convivia traduxerit ». Deinde interroganti Pompeio ubi gener ejus Dolabella esset, respondit : « cum socero tuo ». Elegans jocus. Obscure crimini dabat Pompeius, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero et socero non bene conveniret; ipse, quasi aliud agens, crimen retorsit, et Pompeium vituperavit, quod a Cæsare socero suo dissideret. Plutarchus : « Quum Domitius, quemdam usu militari non satis probatum, ad ordines militiæ promovere vellet, diceretque eum et probum esse et frugi; cur igitur, inquit Cicero, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? Quibusdam Theophanem Lesbium præfectum fabrum laudantibus, quod Rhodios amissa classe commode consolatus esset; quam bonum est, inquit, græcum habere præfectum! Murico autem quodam ex Italia veniente, dicenteque Romæ famam esse, Pompeium obsideri; deinde, inquit, huc navigasti, ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam, Nonnio dicente, bene sperandum esse, quod e Pompeii exer-

in castris usum esse dixisti. Erant illa quidem[2] castra plena curæ : verumtamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur[3]. Quod autem idem mœstitiam meam reprehendit, idem jocum[4], magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum.

Hereditates mihi negasti[5] venire. Utinam hoc tuum verum crimen esset! plures amici mei, et necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? ego enim amplius H-S ducenties[6] acceptum hereditatibus retuli. Quamquam[7] in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo, nisi amicus, fecit heredem, ut cum illo commodo[8], si quod erat, animi quidam dolor[9] jungeretur : te is, quem tu vidisti numquam, L. Rubrius Cassinas[10], fecit heredem. Et quidem

citu septem aquilæ superessent ; bene, inquit, hortareris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente, quasi in fatis esset, ut penes Pompeium esset totius belli victoria : videlicet, inquit, hoc usi stratagemate castra amisimus ».

2. *Illa quid. castra*. Cæsar Plutarchusque et alii tradunt Pompeianos in castris adeo victoriæ fuisse securos, ut non de bello gerendo, sed de disponenda victoria cogitarent ; alii, tamquam bello jam confecto, primo quoque tempore redituri, ædes in Urbe conducerent; alii de sacerdotiis et magistratibus inter se certarent, etc.

3. *Animis relaxantur*. Ne animus, tamquam arcus, assidua contentione frangatur. Aristoteles, Polit. lib. VIII, cap. 3 : « Potius in negotiis et occupationibus ludo et jocis utendum est; nam ei, qui in labore versatur, requie opus est; et quietis causa ludus interponitur, etc. »

4. *Jocum*. Al. *jocos*.

5. *Hereditates mihi negasti*. Ignominiosum fuit in amicorum testamentis præteriri. Plutarchus in Pompeio : « Ostendit vero maxime Sulla testamenti sui tabulis, se benivolum non esse Pompeio; aliis enim amicis dona legans, aliosque instituens filio suo tutores, Pompeium omnino præteriit.

6. *Ducenties*. Subaudi centena millia. Moneta gall. 4,100,00 fr. Jam autem, ut scribit Plutarchus, Ciceroni obvenerant, antequam rempublicam attingeret, nonaginta denariorum millia.

7. *Quamquam*. Non contentus refutatione criminis, hinc etiam occasionem arripit gravius invehendi in eum, qui vel vi, vel fraude, vel blanditiis, vel denique subjectis falsis testamentis in multorum etiam ignotorum hereditates invaserat.

8. *Cum illo commodo*. Hereditatis adeundæ.

9. *Animi quidam dolor*. Ex morte amici qui me heredem faciebat.

10. *Rubrius Cassinas*. E Cassino

vide, quam te amarit[11] is, qui, albus, aterne[12] fueris, ignorans, fratris filium præteriit, Q.[13] Fufii, honestissimi equitis romani, suique amicissimi; quem palam heredem semper factitarat, ne meminit quidem; te, quem numquam viderat, aut certe numquam salutaverat, fecit heredem[14]. Velim mihi dicas[15], nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu? Nihil scio, inquies, nisi quæ prædia habuerit. Igitur, fratrem exheredans, te faciebat heredem. In multas præterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris heredibus, tamquam heres esset, invasit[16]. Quamquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, quum ipse hereditatem patris non adisses.

XVII. Hæc ut colligeres[1], homo amentissime, tot dies in aliena villa[2] declamasti? quamquam[3] tu qui-

scilicet oppido, ut probant inscriptiones veterum monumentorum: «T. Cl. Cassinati conjugi bene merenti fecit Virginia». Sic Romæ in quodam sepulchro inscriptum est.

11. *Quam te amarit*. Ironia quæ gravius aliquid suspicandum relinquit.

12. *Albus, aterne*. Adagium. Catullus: «Non nimium cupio, Cæsar tibi velle placere, Nec scire utrum sis albus an ater homo». Quidam *albus aterne* interpretantur *bonus malusne*. Horatius: «Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto».

13. *Q. Fufii*. Al. ut passim, *Fusii*, Quod vitiosum esse jam notavimus. Al. inter quos Ern. *Furii*. In sequentibus magna est libr. varietas. J.V. L.

14. *Fecit heredem*. Quibus innuit testamentum illud, quod Antonium Fufii faciebat heredem, falsum et commentitium fuisse.

15. *Velim mihi dicas, nisi molestum*, etc. Familiaris compellatio et ironica. Sic Antonium in invidiam adducit.

16. *Tamquam heres esset, invasit*. Multi malunt, prævio Heumanno, *esses*, *invasisti*. Vide apud Dionem Cassium, XLV, 47, qua audacia Antonius hereditates invaderet. Anno Romæ 715, tribunus Falcidius legem proposuit, qua testatorum immoderata libertas repressa foret.

XVII. 1. *Hæc ut colligeres*. Crimina quæ mihi objecisti.

2. *In aliena villa*. Ad Diversos, lib. XII, epist. 2: «Cædem enim gladiator quærit, ejusque initium ad XIII kalend. octobr. a me se facturum putavit. Ad quam paratus venerat, quum in villa Metelli complures dies commentatus esset. Quæ autem in lustris et in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, suo more vomere, non dicere».

3. *Quamquam*. Solers et elegans correctio, quasi declamarit Antonius,

dem, ut tui familiarissimi dictitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas. Et vero adhibes joci causa magistrum[4], suffragio tuo[5] et compotorum tuorum rhetorem : cui concessisti, ut in te, quæ vellet, diceret[6]. Salsum omnino hominem! sed materia facilis est in te[7], et in tuos dicta dicere. Vide autem, inter te et avum tuum[8] quid intersit. Ille sensim dicebat, quod causæ prodesset, tu cursim dicis aliena. At quanta merces rhetori data est? Audite[9], audite, patres conscripti, et cognoscite reipublicæ vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini[10] Sext. Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia[11], ut[12] pro tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Cæsaris commentariis[13]? Sed

non ut crimina conquireret, aut se ad dicendum pararet, sed ut, exhalato vino, sitim quæreret ad bibendum denuo.

4. *Joci causa magistrum*. Ille erat Sextus Clodius e Sicilia, ut ait Tranquillus, lib. de claris Oratoribus, latinæ simul græcæque elegantiæ professor.

5. *Suffragio tuo*. Id est, quem tu et compotores tui rhetorem vocatis. Rhetor proprie dictus est latinæ eloquentiæ professor, quum, qui græce docebat, sophistes diceretur.

6. *Quæ vellet, diceret*. Antonius multos conviciis appetebat. « At, ait Plutarchus, jocorum et dicteriorum contumelia in se ipsa remedium habebat. Licebat enim vicissim dicteria et contumelias reponere; neque minus gaudebat derisus, quam alios deridendo ».

7. *Materia facilis est in te*. Qui vitiis ac sordibus abundatis, ut facile sit in vos jocandi materiam invenire. — *Dicta dicere*. Ernest. conjicit *dicenti*.

8. *Avum tuum*. M. illum Antonium oratorum clarissimum. — *Ille sensim dicebat*. Id est, caute et circumspecte.

9. *Audite, audite*. Renovat attentionem, ut in re magna; et modo ad Antonium, modo ad senatores convertit orationem, quasi dubius ad quos potissimum se convertat, ut in sollicitudine, vel etiam in indignatione fieri consuevit; et profusam hanc largitionem reipublicæ vulnus appellat, quod facta non fuerit sine magno reipublicæ dispendio.

10. *Campi Leontini*. In Sicilia; sic dictus est ab urbe Leontio, cujus meminerunt Plinius et Ptolemæus. Is autem ager fuit Siciliæ totius uberrimus. Vide M. Tull. Frumentaria in Verrem.

11. *Immunia*. Libera ab omni servitute; decumis et aliis ejusmodi vectigalibus non obnoxia.

12. *Ut pro tanta mercede*. Cod. Vatican. *populi romani tanta mercede*, probatum a Mureto et Heusingero, receptum ab editore Lipsiensi. Nollem factum. J. V. L.

13. *Ex Cæsaris commentariis*. Jus-

dicam alio loco et de Leontino agro, et de Campano: quos iste agros, ereptos reipublicæ [14], turpissimis possessoribus inquinavit.

Jam enim [15], quoniam criminibus ejus satis respondi, de ipso emendatore et correctore nostro quædam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam, ut, si sæpius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam [16]: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur. Visne igitur [17] te inspiciamus a puero? Sic opinor: a principio ordiamur [18].

XVIII. Tenesne memoria, prætextatum te decoxisse [1]? Patris [2], inquies, ista culpa est. Concedo. Etenim est pietatis plena [3] defensio. Illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, quum esset lege Roscia [4] decoctoribus certus locus constitutus,

sum fuit a Cæsare; scriptum fuit in ejus commentariis.

14. *Ereptos reipublicæ.* Quum antea in populi romani patrimonio censerentur.

15. *Jam enim.* Transitio ad insectationem M. Antonii. Superius dixerat: « et pro me aliquid, et in Antonium multa dicenda sunt ». Neque hic se multa negat esse dicturum, sed quædam ait, ut ostendat, sibi uberrimam dicendi materiam esse, ut, quum multa dixerit, plura supersint.

16. *Novus veniam.* Petrus Victor. variarum Lection. lib. XXI, cap. 17: « Novum oratorem Cicero quandoque appellavit eum, qui in simili vel potius eodem argumento nova quædam, anteaque inaudita afferret, non qui prius auditus non foret ». Idem in Bruto: « Novi veniebamus quotidie ».

17. *Visne igitur.* Communicatio rhetorica, qua ordinem orationis fingit se arbitrio adversarii committere.

18. *Sic opinor: a principio ordiamur.* Heusingero hæc interpunctio placebat, « Sic, opinor, a principio ordiamur ». J. V. L.

XVIII. 1. *Te decoxisse.* Hic adverte singulare artificium. Primo exprobrat illi, quod puer adhuc fortunam decoxerit. Inde a fortunæ malis ad animi mala, id est, ad impietatem et audaciam Antonii traducit orationem. *Decoquere* est omnia bona quasi succum perdidisse, arborum instar, quæ succo suo et vitali humore amissis, solis ardore decoquuntur.

2. *Patris.* Ille est M. Antonius Creticus, tam dissolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cretæ mortuus est: Sallustius ait « quem perdundæ pecuniæ genitum, et vacuum a curis nisi instantibus ».

3. *Pietatis plena.* Ironia.

4. *Lege Roscia.* Theatrali: a L. Roscio Othone tribuno plebis lata, ne quis spectaret in quatuordecim primis gradnum ordinibus, qui proxime ad orchestram et podium accedebant,

quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset. Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam[5] reddidisti. Primo vulgare scortum; certa flagitii merces, nec ea parva : sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit, et, tamquam stolam dedisset[6], in matrimonio[7] stabili et certo locavit. Nemo umquam puer, emptus libidinis causa, tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. Quoties te pater ejus domo sua ejecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? quum tu tamen, nocte socia[8], hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere[9]. Quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Scisne, me de rebus mihi notissimis[10] dicere? Recordare tempus illud, quum pater Curio mœrens[11] jacebat in lecto; filius se ad pedes meos prosternens, lacrymans, te mihi commendabat: orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies[12] peteret, defenderem; tantum enim se pro te intercessisse[13]. Ipse

nisi esset ingenuus ab ingenuo patre, et censum equestrem, id est, quadringenta sestertia possideret, subaudi millia (gallica moneta, 82,000 fr.). Iis autem ex senatorio vel equestri ordine natis, qui sive suo, sive fortunæ vitio decoxerant, neque jam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam violarit, et sederit in quatuordecim quum decoxisset.

5. *Togam*. Toga erat meretricum, matronarum stola. Male igitur alii, *stolam*. Totus hic locus ex Æschine contra Timarchum videtur expressus.

6. *Stolam dedisset*. Alludit ad morem nuptiarum. Novæ enim nuptæ, prætextis positis, stolas sumebant, maritis datas, ut videtur. Fuit enim, ut jam diximus, insigne matronarum. Tertullianus *stolam* custodem et indicem dignitatis vocat; erat enim stola ad talos usque demissa.

7. *In matrimonio*. Ironia. Honesto verbo rem turpem velavit.

8. *Nocte socia*. Quia libidines et flagitia suis tenebris involvit.

9. *Demitterere*. Edd. pr. male habent *dimitterere*. Ed. Græviana, operariorum incuria, *demittere*. J. V. L.

10. *Mihi notissimis*. Opportune ipsius Antonii conscientiam testatur, ut et ipse hac ratione majorem fidem inveniat, et adversarium graviore ictu percellat.

11. *Mœrens*. Quem filii dedecus mœrore afficiebat.

12. *Sestertium sexagies*. Subaudi centena millia (gall. moneta 1,230,000 fr.).

13. *Pro te intercessisse*. Intercedere

autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii[14] ferre non posset, se in exsilium esse iturum[15]. Quo ego tempore tanta[16] mala florentissimæ familiæ[17] sedavi, vel potius sustuli. Patri persuasi, ut æs alienum filii dissolveret; redimeret[18] adolescentem, summa spe et animi et ingenii præditum, rei familiaris facultatibus; eumque a tua non modo familiaritate, sed etiam congressione, patrio jure[19] et potestate prohiberet. Hæc tu quum per me acta meminisses, nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

XIX. Sed jam[1] stupra et flagitia omittamus; sunt

est alienam obligationem accipere, id est, se vel res suas obligare pro alio. Contra legem Lætoriam, ut videtur; nam, ut scribit Suetonius apud Priscianum, lib. VIII: « Lætoria vetat minorem annis viginti quinque stipulari ».

14. *Discidii.* Vulg. *dissidii.* J.V. L.

15. *Esse iturum.* Abest ab Ien. cod.

16. *Quo ego tempore quanta.* Cod. Vatic. *quo tempore ego quanta.* J.V. L.

17. *Florentissimæ familiæ.* Plinius Hist. Nat. lib. VII, cap. 41: « Una feminarum in omni ævo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis uxor, regis mater fuit. Una Pherenice, quæ filia, soror, mater Olympionicarum. Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores exstiterunt ». Horum trium Cicero mentionem facit in Bruto, sed patrem et avum parcius laudat.

18. *Redimeret adolescentem.* Mori antiquo allusum; debitores enim, si solvendo pares non erant, ipsi vinciebantur, et creditoribus addicebantur in servitutem, donec æs alienum solverent. Quæ consuetudo etiam duodecim tabulis firmata est. Qui igitur ære alieno liberabantur, *redimi* dicebantur, quasi libertatem amissam recuperarent. Ciceronis tempore antiquata erat lex illa; sub Augustis tamen recruduit ista sive legis severitas, sive creditorum crudelitas, ut pro ære alieno patrum liberi creditoribus addicerentur in servitutem. Ambrosius, de Tobia, cap. 8: « Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, et teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis, etc. » Neque vero solum in vivos, sed etiam in mortuos sæviebant. Idem, cap. 10: « Quoties vidi a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, et negari tumulum, dum fœnus exposcitur, etc. »

19. *Patrio jure et potestate.* Patria potestas duobus maxime continetur, quod pater jus et dominium in libertatem liberorum suorum haberet, et vitæ necisque potestatem. Pro Domo sua: « Credo... tamen te esse interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet, ut in filium ».

XIX. 1. *Sed jam*, etc. Transitio, qua se vitaturum testatur verborum ob-

quædam, quæ honeste non possum dicere : tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quæ a verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitæ cursum videte : quem quidem celeriter perstringam. Ad hæc enim, quæ in civili bello, in maximis reipublicæ miseriis fecit, et ad ea, quæ quotidie facit [2], festinat animus. Quæ peto, ut, quamquam multo notiora vobis, quam mihi sunt, tamen, ut facitis, attente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus oportet media [3], ne nimis sero ad extrema veniamus.

Intimus erat [4] in tribunatu Clodio, qui sui erga me beneficia commemorat; ejus omnium incendiorum fax [5] : cujus etiam domi quiddam jam tum molitus est [6]. Quid dicam, ipse optime intelligit. Inde iter Alexandriam contra senatus auctoritatem [7], contra rempublicam [8] et religiones [9]. Sed habebat ducem Ga-

scœnitatem, sine qua non posset ea stupra et flagitia describere. Fere eadem in tertia Verrina reperias.

2. *Et ad ea, quæ quotidie facit.* Jam dixit superius cap. 3.

3. *Oportet media.* Quæ inter tirocinium forense, sive togæ virilis sumptionem, et tribunatum plebis intercesserunt. — *Ad extrema.* Scilicet, ad tempus belli civilis.

4. *Intimus erat.* Antonius, ut ait Plutarchus, « paullisper Clodio audacissimo illius temporis popularium, *furoribusque rempublicam perturbanti* applicuit se ; sed cito Clodianæ pertæsus insaniæ, et ejus timens inimicos, in Græciam ex Italia navigavit ».

5. *Incendiorum fax.* Allegoria. Seditiones intelligit, quarum omnium Antonius fuit administer, et quibus quasi quidam incendiarius facem subjecit.

6. *Jam tum molitus est.* De conspiratione quadam intelligit, quumque probare nihil possit, suspicionem injicit et ipsam adversariorum testatur conscientiam. Manutius censet de stupranda Clodii uxore.

7. *Contra senatus auctoritatem.* Qui præscripserat, ne quis omnino Ptolemæum reduceret cum exercitu.

8. *Contra rempublicam.* Quæ hac reductione, Ægypti occupandi occasionem amittebat.

9. *Et religiones.* Id est, sibyllinum oraculum, quod romanas legiones Ægyptum ingredi prohibebat. Cicero ipse nullam oraculis fidem adhibebat. Cod. Vatican. et Ienens. *religiones ;* recte ; *religiones* enim dicuntur de auspiciis, prodigiis, etc. quæ dubitationem agendi afferunt, aut aliquid impediunt. Dom. 54 : « Quum ejus de-

binium [10], quicum quidvis rectissime facere posset. Qui tum inde reditus, aut qualis? prius in ultimam Galliam [11] ex Ægypto, quam domum. Quæ autem erat domus? suam[12] enim quisque domum tum[13] obtinebat, neque erat usquam tua. Domum dico [14]? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, præter unum Misenum, quod cum sociis, tamquam Sisaponem [15], tenebas?

dicationem fictis religionibus impedirent ». Roll. lib. II, cap. 6 : « Culpa quæ contrahitur, si religiones violantur ». Divin. II, 54 : « religiones suscipere ». Ibid. « religiones deponere ». Dom. 49 : « Homo religionibus deditus, etc » Ceterum orator quod invidiosum erat insectatur, reliqua tacet, et allegoria suam orationem obscurat, ne vel aperte damnet Gabinium, vel inimicum laudare videatur. Antonius a Gabinio missus in Judæam, hostium arcem primus invaserat, Aristobulum cum filio ceperat, et parva militum manu ingentes Judæorum copias conciderat. Quæ prudens et sciens Tullius omittit; res quoque præclare gestas in Ægypto dissimulat. Antonius enim cum equitatu præmissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, et intervenerat, ne Ptolemæus Ægyptiorum primores occideret, et ingenti prælio, circumiens hostes et a tergo invadens, victoriam iis qui ex adverso veniebant expediens, præmiis, ut par fuit, militaribus donatus est, et Archelai demortui caput inventum, et ornatum regia magnificentia sepelivit. Vide Plutarchum.

10. *Ducem Gabinium*. Gabinius is erat, qui consul cum Pisone Ciceronem patria expulerat. Eum Cicero ex summis inimicitiis in gratiam receptum summo studio defenderat. Ptolemæus Gabinio decem talentorum millia promiserat, si eum in suum regnum vellet restituere; quum autem Gabinium quædam formido teneret, impulit eum et adjuvit Antonius.

11. *In ultimam Galliam*. In quam eo tempore Cæsar ex Britannia rediisse videtur. — *Quam domum*. Timebat enim ne propter suam in Ægyptum expeditionem in jus vocaretur. — *Quæ autem erat domus*. Supervacaneum *erat* putant; correctio rhetorica, quasi lapsus fuerit verbo. Non enim domum habebat Antonius; in prætexta decoxerat, et paterna domo fuerat expulsus.

12. *Suam quisque domum tum obtinebat*. Schützius verba hæc *suam*... *tua* interpretis cujusdam esse suspicatur. Frustra. J. V. L.

12. *Quisque domum tum obtinebat*. Quibus verbis et memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulerat, refricatur, et invidia quæritur Antonio qui tot alienas domos invaserat.

14. *Domum dico?* Alia correctio ad augendam Antonii inopiam.

15. *Tamquam Sisaponem*. Refert ad miniaria metalla Sisaponensium, quæ societates publicanorum exercebant; dicit enim Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessionis socios habuisse multos. Sisapo oppidum in Hispania, olim in conventu Cordubensi. Videtur autem

XX. Venisti e Gallia ad quæsturam petendam. Aude dicere, te prius ad parentem tuam venisse, quam ad me. Acceperam jam ante Cæsaris literas, ut mihi satisfieri paterer a te : itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. Postea custoditus sum[1] a te, tu a me observatus[2] in petitione quæsturæ. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo romano, in foro es conatus occidere[3]; quumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo, tamen ita prædicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses, umquam mihi pro tuis in me injuriis satis esse facturum. In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse[4] dicas, quum te, ultro mihi idem illud deferentem, numquam sim adhortatus : quamquam, si in eo perseverasses[5], ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam.

Quæstor es factus; deinde continuo[6] sine senatus-

fuisse adagium ; non enim aliter M. Tullius hunc dicendi modum inde usque ab Hispania petiisset.

XX. 1. *Custoditus sum*. Duo Palatini et Ferrar. MS, *cultus*. Postea quam in Ciceronis gratiam receptus est Antonius, illum comitatus est per urbem, ejusque latus quasi stipavit ut illum contra vim et arma P. Clodii defenderet. Respicit enim tempus illud, quo Publius Clodius, restituto Cicerone, insidias ei struxit, ad vimque confugit. Vide ad. Atticum, lib. IV, epist. 3, ubi narrat domum Quinti fratris ante diem tertium non. novembris a Clodianis inflammatam, et seipsum ab iisdem pæne occisum fuisse.

2. *Observatus*. Al. *adjutus*. Al. *ornatus*. Cicero ad Diversos, lib. VII, epist. 27 : « Ego enim te in consulatu observaram ». Scribit autem ad Gallum, qui quæstor fuit consule Cicerone. Si igitur observatus est quæstor a consule, mirari non debeas, Antonium quæsturæ candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Observare* enim eleganter dicitur de iis, qui candidatorum petitionem sua suffragatione juvant.

3. *P. Clodium..... occidere*. Pro Milone : « Nuper vero quum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicæ partem fortissime suscepisset, atque illam belluam (Clodium) judicii laqueos declinantem jam irretitam teneret, etc. »

4. *Rem illam egisse*. Clodio necem intulisse.

5. *Perseverasses*. Sic Grævius e MS suo; sic Ienens. Vulg. *perseverares*. Male ; loquitur enim de præteritis.

6. *Deinde continuo*. Solebant patres,

consulto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi: id enim unum in terris egestatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium esse[7] ducebas. Ibi te quum et illius largitionibus, et tuis rapinis explevisses, si hoc est explere, quod statim[8] effundas, advolasti egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, vitrici tui[9] similis esses.

XXI. Accipite nunc, quæso, non ea, quæ ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, sed quæ in nos fortunasque nostras, id est, in universam rempublicam impie ac nefarie[1] fecerit: ab hujus enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam quum[2] L. Lentulo, C. Marcello consulibus, kalendis januariis labentem[3] et prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis, ipsique

quum in provincias proprætores aut proconsules annui mitterentur, quæstores suos inter se sortiri; aliquando tamen extra ordinem, non senatus aut sortis beneficio, sed populi suffragiis et lege perlata, provinciæ quæstoribus mandabantur. Antonius autem, ut primum factus est quæstor, contra jus et morem majorum, sine senatusconsulto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurrit.

7. *Perfugium esse*. Cicero ad Attic. lib. VII, epist. 3, ante bellum civile de Cæsare sic scripserat: « Video, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere; omnem fere juventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem... Omnes qui ære alieno premantur, etc. »

8. *Quod statim*. Ernest. legendum putat *quum statim*.

9. *Vitrici tui*. Male; nempe quum P. Lentulus Sura fuerit gentis patriciæ, non potuit gessisse tribunatum. Rectius, ut fere omnes, *viri tui*, id est, Curionis, qui superiore anno tribunus plebis fuerat, emptusque a Cæsare ab ejus causa pertinaciter steterat. Sic etiam loquutus est post reditum ad senatum: « Eaque dixit, quæ si ejus vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus ».

XXI. 1. *Impie ac nefarie*. Sic in Verrem de prætura urbana: « Multa enim et in deos, et in homines impie nefarieque commisit ».

2. *Nam quum*. De tribunatu plebis Antonii et initio bellorum civilium plura dicturus, jacit veluti narrationis suæ fundamentum, et chronologiam instituit, exposito non solum anno, sed etiam die, quo Antonius cœpit suis intercessionibus rempublicam turbare.

3. *Labentem*. Colon. Ien. Græv. Abraham. etc. *labantem*, i. e. nutantem, vacillantem, jamjam lapsuram.

C. Cæsari[4], si sana mente esset, consulere velletis, tum iste venditum[5] atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit, cervicesque suas ei subjecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te autem, M. Antoni, id decrevit senatus[6], et quidem incolumis, nondum tot luminibus[7] exstinctis, quod in hostem togatum[8] decerni est solitum more majorum. Et tu[9] apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, quum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis reipublicæ judicatus? Commemoratio[10] illius tui sceleris intermissa est, non memoria deleta: dum genus hominum, dum populi romani nomen[11] exstabit (quod quidem erit, si per te licebit, sempiternum), tua illa pestifera intercessio nominabitur. Quid cupide a senatu[12], quid temere fiebat,

4. *Ipsique Cæsari.* Quoniam potuit Antonius causari, se intercessisse senatusconsulto, quod Cæsari, cui fuerat quæstor anno superiore, injuriam fieri videret; idcirco prudenter orator huic occurrit objectioni, dicens, senatum C. Cæsari, etc.

5. *Venditum.* Cæsari. *Emancipatum.* Dicuntur emancipari, quæ venduntur et in alienam potestatem traduntur.

6. *Id decrevit senatus.* Videant consules, ne quid detrimenti respublica capiat.

7. *Tot luminibus exstinctis.* Tot summis viris bello civili necatis, scilicet Catonibus, Marcellis, Brutis, Lentulis, Domitiis ceterisque.

8. *In hostem togatum.* Senatus numquam decernebat, ut perturbatores reipublicæ in hostium numero haberentur.

9. *Et tu.* Secundum argumentum ab impudentia M. Antonii; qui quum sibi conscius esset hujus notæ a senatu ipsi inustæ, ita tamen omnem pudorem abjecerat, ut in ipso senatu contra Ciceronem invehi non vereretur, quem sciebat patrem et conservatorem reipublicæ a senatu fuisse judicatum.

10. *Commemoratio.* Tertium argumentum a consequenti ductum, ex infamia et judicio posteritatis: quia nimirum, etsi ad aliquod tempus intermissa fuerit illius sceleris commemoratio, tamen hoc factum literis mandabitur, literis prodetur, neque ulla umquam ætas de intercessione tam nefaria conticescet.

11. *Dum populi romani nomen.* Credebant imperii populique romani nomen fore sempiternum. Vide Liv. lib. I.

12. *Quid cupide a senatu.* Potuit Antonius hanc excusationem facto suo prætexere, quod non se opposuerit senatus voluntati, sed Cæsaris inimicis, quibus excusationibus occurrit Tullius.

quum tu unus adolescens[13] universum ordinem decernere de salute reipublicæ prohibuisti? neque id semel, sed sæpius? neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es? Quid autem agebatur[14], nisi ne delere et evertere rempublicam funditus velles[15]? Quum te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de vendita atque addicta sententia movere potuit: tum illud[16], multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te; quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisque imperiis, et potestatibus: quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsaris contulisses.

XXII. Tu, tu, inquam[1], M. Antoni, princeps C. Cæsari, omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim[2] aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunitium sublatum, circumscriptus a senatu esset Antonius? Omitto, quam hæc falsa[3], quam levia: præser-

13. *Unus adolescens.* Singulorum verborum momenta perpende, *unus adolescens*, *universum ordinem*, etc. quibus quædam antithesis continetur, *unus universo adolescens ordini*, id est, *senatui*.

14. *Quid autem agebatur.* A re ipsa, quæ agebatur, videlicet salute reipublicæ, facti indignationem ostendit, ad majorem acerbitatem orationem ad Antonium convertit.

15. *Velles.* Hoc verbum in legibus, senatusconsultis et edictis usitatum. Gellius, Noct. Attic. lib. XIII, cap. 14: « Ne quis magistratus minor de cælo servasse velit ». Valer. Maximus, de Spectaculis, lib. VII: « Senatusconsulto cautum est, ne quis in Urbe sedens ludos spectare vellet ».

16. *Tum illud*, *multis rebus*, etc. Redit ad notam senatus, qui in Antonium decrevit.

XXII. 1. *Tu*, *tu*, *inquam.* Verbi reduplicatione Antonium pungit, et quasi repetitis ictibus urget, quod C. Cæsari quasi quidam antesignanus fuerit ad bellum patriæ inferendum.

2. *Quid enim.* Cæsaris ipsius auctoritate probat, prætextum belli civilis in Antonii persona constitisse.

3. *Quam hæc falsa.* Non enim intercessio neglecta fuerat, aut jus tri-

tim quum omnino nulla causa justa cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Cæsare. Tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua[4] constitisse.

O miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum umquam immemorem fore, consules ex Italia excussos[5], cumque his Cn. Pompeium, quod imperii populi romani decus ac lumen fuit; omnes consulares, qui per valitudinem exsequi cladem illam[6] fugamque potuissent, prætores, prætorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo, rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus! Ut igitur in seminibus est causa arborum et stirpium : sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis, tres exercitus[7] populi romani interfectos : interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives : eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est : afflixit[8] An-

bunitium sublatum, sed repressa Antonii impotentia.

4. *In persona tua constitisse.* Adverte prudentiam oratoris : nondum dicit, belli causam fuisse Antonium, sed causam in ejus persona constitisse, quod videlicet Cæsar eam causam suo facto prætenderet : paullo post, quum animos hominum commemoratione cladis accenderit, aperte dicet, eum belli civilis causam fuisse. — *O miserum te.* Conscientiam ambitiosi parum curant; nec de remedio cogitant, qui mala sua virtutum loco numerant.

5. *Ex Italia excussos.* L. Lentulum, C. Marcellum. Ab enumeratione autem et plurium conglobatione belli civilis atrocitatem exaggerat, ne uno vel altero verbo rem tantam exponens auditorum suorum aures prætervolet.

6. *Exsequi cladem illam.* A funeribus et exsequiis videtur petita translatio, quasi consulibus et Pompeio fugientibus, funere elata fuerit respublica. Vide ad Atticum, lib. IX, epist. 14, de hac ipsa fuga Pompeii.

7. *Tres exercitus... interfectos.* Sed tres tantum clades enumerat orator, quasi Cæsariani non in civium, sed in hostium numero censeantur.

8. *Afflixit Antonius.* Totus hic locus e Demosthene de Corona videtur expressus.

tonius. Omnia denique[9], quæ postea vidimus (quid autem mali non vidimus?), si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena[10] Trojanis, sic iste huic reipublicæ causa belli, causa[11] pestis atque exitii fuit. Reliquæ partes tribunatus[12] principiis similes : omnia perfecit[13], quæ senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat. Cujus tamen scelus[14] in scelere cognoscite.

XXIII. Restituebat multos calamitosos: in his patrui nulla mentio[1]. Si severus, cur non in omnes? si misericors[2], cur non in suos? Sed omitto ceteros. Licinium Denticulam[3], de alea condemnatum, colluso-

9. *Omnia denique.* Post enumerationem partium, omnia velut in cumulum coacervat, et vehementi illa parenthesi (quid autem mali non vidimus), magis rem amplificat, quam si longam omnium calamitatum seriem contexerit.

10. *Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicæ*, etc. Plutarchus in Anton. « Quum Cicero in Philippicis scripsit, Helenam belli Trojani, civilis autem Antonium principium fuisse, aperte mentitus est. Neque enim tam prompte et facile C. Cæsar efferebatur iracundia, nec a mentis statu dejiciebatur, ut, nisi hæc longe ante facere decrevisset, ex tempore bellum patriæ fuerit illaturus, quia male vestitos videret Antonium et Cassium vehiculo meritorio ad se fugientes. Sed hæc ipsi jam pridem prætextum quærenti speciosum belli colorem præbuerunt ».

11. *Causa pestis.* Constat non causam, sed conscium fuisse.

12. *Reliquæ partes tribunatus.* Transitio, quemadmodum tribunatum suum a summo et nefario scelere fuerat auspicatus, et intercessione sua causam præbuerat bello civili, ita scelerate et impie reliquas magistratus sui partes exegit.

13. *Omnia perfecit.* Rescidit res judicatas, damnatos restituit, exsules revocavit, omnia denique jura turbavit, quæ adeo firme munierat senatus, ut stante republica labefactari non possent.

14. *Cujus tamen scelus.* Scelus in scelere dicit, quia scelus quidem fuit restituere damnatos, et res judicatas rescindere; hoc scelere posito, scelus aliud admisit, patruum suum C. Antonium, qui damnatus erat, beneficio suæ legis excludens. Vel enim nullum omnino restituere debuit, vel non debuit patruum suum excludere, cujus tamen nullam fecit mentionem.

XXIII. 1. *Patrui nulla mentio.* C. Antonii, Ciceronis collegæ in consulatu, qui accusatus a M. Cœlio fuit, a Cicerone defensus, a judicibus damnatus, quod Macedoniam expilavisset.

2. *Si misericors.* Dilemma, ubi, utrumvis dicat Antonius, manifesto scelere alligatur.

3. *Licinium Denticulam.* Edd. pr. et multi codd. *Lenticulam*, quod Heusinger. defendit. J. V. L.

rem suum, restituit: quasi vero[4] ludere cum condemnato non liceret; sed ut, quod [ille] in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret[5]. Quam attulisti rationem[6] populo romano, cur eum restitui oporteret? Absentem, credo[7], in reos relatum; rem indicta causa judicatam; nullum fuisse de alea lege judicium; vi oppressum, et armis; postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia judicium esse corruptum. Nihil horum. At vir bonus et republica dignus. Nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. Hominem vero omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quæ est de alea, condemnatum, qui in integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur? In eodem vero tribunatu, quum Cæsar in Hispaniam proficiscens huic conculcandam Italiam[8] tradidisset, quæ fuit ejus peragratio[9] itinerum? lustratio municipiorum? Scio me in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eaque, quæ dico, dicturusque sum, notiora esse omnibus, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui. Notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestræ scientiæ. Etenim quod um-

4. *Quasi vero ludere*, etc. Sic MSS et Græv. Ernest. Lallem. Sed Lambin. ut solet, nimis de suo largus, « non ut luderet cum restituto (quasi vero ludere cum condemnato non liceret), sed ut, quod, etc. » J. V. L.

5. *Beneficio legis dissolveret.* Id est, ut æs alienum dissolveret Antonius, quod cum Denticula ludendo contraxerat. Sic libertatem Antonius vendidit Denticulæ.

6. *Quam attulisti rationem.* Quum rogatio de restituendis damnatis ad populum ferebatur, subjici debebat ratio, propter quam populus judicia illa suo suffragio rescinderet; nullam autem subjecit M. Antonius.

7. *Absentem, credo.* Ironia, qua omnes causas, quibus res judicata rescindi potuerit, complectitur.

8. *Conculcandam Italiam.* Vexandam et quasi pedibus proterendam. Ad Attic. lib. VIII, epist. 11: « Conculcari miseram Italiam videbis proxima æstate, ab utriusque mancipiis ex omni genere collectis ».

9. *Ejus peragratio.* Quo fastu, qua superbia, quibus etiam flagitiis.

quam[10] in terris tantum flagitium exstitisse auditum est? tantam turpitudinem[11]? tantum dedecus?

XXIV. Vehebatur[1] in essedo tribunus plebis; lictores laureati antecedebant: inter quos, aperta lectica, mima portabatur; quam ex oppidis municipales, homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo[2] et mimico nomine, sed Volumniam[3] consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus[4], comites

10. *Etenim quod umquam.* Reddit rationem cur Antonii flagitia nemini sint ignota, propter magnitudinem scilicet.

11. *Tantam turpitudinem? tantum dedecus?* Ernestius uncis inclusit, ut male a librario quodam additum; Schütz. omnino ejecit. Uterque forte levius. J. V. L.

XXIV. 1. *Vehebatur.* Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiæ, ejusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur*, muliebri mollitie; *in essedo*, quod genus vehiculi in Italiam impetum faciens secum ex Gallia adduxerat. — *Tribunus plebis*, qui pedibus deberet incedere, ut se magis popularem et conventu facilem exhiberet. Sed Antonius non tribuni munere, sed Cæsaris legati tum fungebatur. — *Lictores laureati.* Quales habebant imperatores victoria parta. Cæsar enim potitus Italia iis, quos sibi legaverat, dedit lictores laureatos non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat Tullius, ad Atticum, lib. X, epist. 4, hoc ipso tempore, quo Cæsar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: « Quid isti, inquam, tui fasces? si ab senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex senatusconsulto surrepto; nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui; nam licebat ». Unde liquet in rerum omnium perturbatione Antonium Cæsaris factum legatum, a tyranno fasces accepisse, et Ciceronem immerito in Antonium hac de causa invehi.

2. *Non noto illo.* Notum illud et mimicum nomen fuit Cytheris, ut et Plutarchus testatur, et Cicero ad Atticum, lib. X, ep. 11: « Hic tamen Cytheridem secum lectica aperta portat ».

3. *Volumniam.* Liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius, Eclog. X, et eadem a Volumnio adamata, ut videre est ad Div. lib. IX, epist. ultim.

4. *Rheda cum lenonibus.* Nonnulli *cum leonibus.* Cicero ad Attic. lib. X, epist. 13: « Tu Antonii leones pertimescas, cave ». Plinius, lib. VIII, cap. 16: « Primus leones Romæ ad currum junxit M. Antonius, et quidem civili bello, quum dimicatum esset Pharsalicis campis, non sine ostento quodam tempore illo generosos spiritus jugum subire coactos prodigio significante; nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit ». Plutarch. eadem tradidit. Constat igitur Antonium currui subjunxisse leones. F. Ursinus non negat, sed post Pharsa-

nequissimi; rejecta mater[5] amicam impuri filii, tamquam nurum, sequebatur. O miseræ mulieris fœcunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.

Reliquorum factorum ejus, patres conscripti, difficilis est sane reprehensio et lubrica. Versatus in bello est; saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium; fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed quoniam veteranis cautum esse volumus, quamquam dissimilis est militum causa, et tua; illi sequuti sunt, tu quæsisti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam.

Victor e Thessalia[6] Brundisium cum legionibus[7] re-

licam pugnam dumtaxat. Potius credam Ciceroni, qui lib. X, epist. 13, Attico ait: « Tu Antonii leones pertimescas, cave ». Nondum tamen Pompeium convenerat. Hos leones ut subjugaret, sane exarmaverat, id est, ungues illis dentesque decusserat. Sic Heliogabalus apud Lampridium: « Habuit leones et pardos exarmatos in deliciis, quos edoctos permansuetarios subito ad secundam et tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis exarmatos illos, ad pavorem et ridiculum excitandum ». Potest credi ita scripsisse Ciceronem, præsertim ex sequentibus.

5. *Rejecta mater*. Id est, in extremo comitatu erat, pone sequebatur.

6. *Victor e Thessalia*. Antonius multa præclare gesserat bello civili, si meliorem causam amplexus esset; nam et exercitum in Macedoniam trajecerat, urbem Lisson ceperat, Cæsari cum paucis inter hostes deprehenso peropportune subvenerat, bis fugientem Cæsarianorum aciem restituerat, causamque præbuerat victoriæ; tandem pugna Pharsalica dextro cornu præfectus Cn. Domitium occiderat. Quare quæ in ejus laudem redundare poterant, Cicero prætermittit, et ad ejus in Italiam reditum delabitur.

7. *Cum legionibus revertisti*. Cæsar victo ad Pharsalum Pompeio, magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique M. Antonium præfecit; ipse cum reliquis copiis instituit fugientem Pompeium sequi. Cicero, qui invitus bellum susceperat, et nullam videbat Pompeianis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valitudinem non interfuit, statuit ab armis discedere, et Catoni, Cneioque Pompeii filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut præesset, bellique extrema persequeretur, acquiescere noluit; sed in Italiam navigavit appulsusque Brundisium incidit in Antonium cum exercitus parte victoris redeuntem. Quem quum Antonius jure belli posset occidere, incolumem dimisit.

vertisti. Ibi me non occidisti. Magnum[8] beneficium! potuisse enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tum[9] tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta est enim caritas patriæ, ut vestris etiam legionibus sanctus essem[10], quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac, id te dedisse mihi, quod non ademisti, meque a te habere vitam, quæ a te non sit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, ut tuebar, præsertim quum te hæc auditurum[11] videres?

XXV. Venisti Brundisium[1], in sinum quidem et in complexum tuæ mimulæ[2]. Quid est? num[3] mentior? Quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri? Si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? Quis enim miles fuit, qui Brundisii illam non viderit? quis, qui nescierit, venisse eam tibi tot dierum[4] viam gratulatum? quis, qui non indoluerit, tam sero se, quam nequam hominem[5] sequutus esset, cognoscere? Italiæ rursus percursatio, eadem comite mima; in oppida militum crudelis et misera deductio[6]; in urbe auri, argenti,

8. *Magnum beneficium*. Ironia. Supra dixit: « Quod est aliud beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint ».

9. *Quamquam nemo erat eorum, qui tum*. Sic MSS antiquiores. Vulgo *tunc*. Correctio qua ostenditur jure non potuisse occidi Ciceronem, quia, etiamsi esset hostis, omnium tamen judicio nefas erat patriæ conservatorem interficere.

10. *Sanctus essem*. Inviolabilis.

11. *Quum te hæc auditurum*. Quum tibi minime dubium esse posset, futurum certe ut facta tua patefacerem.

XXV. 1. *Venisti Brundisium*. Redit ad propositum ex brevi illa digressione de beneficio Antonii.

2. *Mimulæ*. Per contemptum.

3. *Num mentior?* Urget et vehementius insistit, quasi insultans inimico, quod tam aperte convincatur, ut negare non possit, nec ullo modo laqueis infamiæ sese expedire.

4. *Tibi tot dierum*. Heusinger. *tot tibi dierum*. J. V. L.

5. *Quam nequam hominem*. Sic, post Faernum Muretumque, Heusinger. Wernsdorf. al. Vulg. *quem hominem*, quod Ern. Lallem. servavere. J. V. L.

6. *Crudelis et misera deductio*. Ut

maximeque vini fœda direptio. Accessit, ut, Cæsare ignaro[7], quum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum ejus, magister equitum constitueretur. Tum existimavit, se suo jure cum Hippia vivere[8], et equos vectigales Sergio[9] mimo tradere. Tum[10] sibi non hanc, quam nunc male tuetur[11], sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas[12]: quo se verteret, non habebat. Nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat; nondum in Cn. Pompeii locum multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset.

Sed hæc[13], quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus; loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus[14], ista gladiatoria

rapinis et cædibus viverent. — *In Urbe*. Roma.

7. *Cæsare ignaro*. Nescio qua ratione egisset Antonius. Rem aliter narrat Plut. in Antonio: « Post victoriam vero ipse dictator dictus sequutus est Pompeium; Antonium autem magistrum equitum elegit ».

8. *Cum Hippia vivere*. Juvenalis, Satira sexta, vers. 82 et sqq. « Nupta senatori comitata est Hippia ludium, etc. » Nonnulli credunt Hippiam sic nominatam fuisse a græco nomine ἵππος, propter libidinem. Virgil. Georg. III: « Scilicet ante omnes furor est insignis equarum ». Hippia Sergio adhæserat, qui ludius erat et gladiator. Hic jocatur Cicero, quum dicit: « Antonius *magister equitum* (græco sermone ἵππαρχος) existimavit, se suo jure cum Hippia, id est, ἵππῳ, vivere ».

9. *Equos vectigales Sergio*. Hippiæ mœcho, ut ait Juvenalis. Equi vectigales, id est, tributi nomine provinciis a Romanis exacti.

10. *Tum..... legerat*. Verba hæc absunt a vett. editionibus. Sunt e cod. Vatic. J. V. L.

11. *Quam nunc male tuetur*. Domum Cn. Pompeii, cui turpitudinis notam inurit. — *Sed M. Pisonis*. Quia Antonius ipse propriam domum non habebat, pater enim ejus decoxerat.

12. *Cogebat egestas*. Inde opprobrium majus, quum ab ima egestate ad summum luxum furtis publicis elatus est.

13. *Sed hæc*. Transitio a rapinis ad nequitiam et ebrietatem.

14. *Tu istis faucibus, istis lateribus*. « Quid, ait Fabius, lib. VIII, cap. 4, quid, Cicero merum et vomitum objecturus Antonio, quid fauces et la-

totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero populi romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse [15] fatetur esse in suis sordibus : veniamus ad splendida.

XXVI. Cæsar Alexandria se recepit [1], felix, ut sibi quidem videbatur; mea autem sententia, si quis reipublicæ sit infelix [2], felix esse non potest [3]. Hasta posita [4] pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeii (miserum me! consumptis enim lacrymis, tamen infixus

tera ad ebrietatem? Minime sunt otiosa; nam respicientes ad hæc, possumus æstimare quantum ille vini hauserit, quod ferre et coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Augentur et insurgunt sententiæ. Quid, etc. » Vide Plinium, lib. XV, cap. ultimo; Macrobium, Saturnal. lib. II, cap. 2; Velleium, lib. II; Dionem, lib. XLVIII.

15. *Sed hoc ipse.* Transitio ad sectionem bonorum Cn. Pompeii.

XXVI. 1. *Alexandria se recepit.* Se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes evaserint; Cæsar autem Alexandriæ, ut Tranquilli verbis utar, « cum Ptolemæo rege a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit; neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, et intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium atque imparatus ». Neque refert quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit; tam celeriter enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit orator illius itineris mentionem facere. Pharnacem enim intra quintum quo adfuerat diem, quatuor, quibus in conspectum venerat, horis una profligavit acie; ut nihil aliud ad senatum de hac victoria rescripserit, quam celebre illud *veni*, *vidi*, *vici*.

2. *Si quis reipublicæ sit infelix.* Grævius et Lallem. e conjectura Ferrarii, « nisi qui reipublicæ sit felix ».

3. *Felix esse non potest.* Quia nulla in scelere potest esse felicitas.

4. *Hasta posita.* In auctionibus publicis hastam figebant eo loco, ubi res venales subjiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione prædæ armis et hasta partæ. Hasta signum fuit præcipuum; nam et Carthaginienses, quum bellum vellent, Romam hastam

animo hæret dolor), bona, inquam[5], Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit[6]; servientibusque animis, quum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi romani liber fuit. Exspectantibus[7] omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis[8] auderet accedere, inventus est nemo, præter Antonium; præsertim quum tot essent circum hastam illam, qui

mittebant, et Romani fortes viros sæpe hasta donarunt.

5. *Bona, inquam*. Hoc exemplum geminationis post aliquam interjectionem cum vehementia repetita profert Quintilianus, lib. IX, cap. 3. Advertenda vero singulorum verborum energia: miserum est bona cujusquam publicari; quanto miserius bona Cn. Pompeii, bona illius Pompeii, qui ob rempublicam bene gestam, ob propagatum imperium Magni cognomen fuerat consequutus? Bona hasta posita... quasi res bello partæ, quasi prædæ hostium venderentur. Subjici voci præconis in illa urbe ubi fuerat princeps! Quanta rerum mutatio! quantum dedecus nomini romano!

6. *Civitas ingemuit*. Non temerarium est, quod ait *una in illa re*, hinc enim mirum in modum exaggeratur proscriptionis illius atrocitas, quia, quum populus romanus in ceteris imperii ruinis, in bonorum direptione, in cæde tot civium a lacrymis et gemitu sibi temperasset; non potuit tamen lacrymas in auctione bonorum Pompeii continere, et in una illa re servitutis oblitus est, neque metu armorum Cæsaris inclusus animo dolor impediri potuit, quo minus per gemitus erumperet. Simile est illud Plutarchi in Bruto: « Oppressa triumvirorum factionibus republica, dies dicta fuerat Cæsaris percussoribus; præcone, ut moris erat Brutum e subsellio ad judicium citante, ferunt multitudinem manifeste ingemuisse, primores in terram respicientes quievisse; P. Silicium visum fuisse lacrymantem, et ea de causa paullo post esse proscriptum ».

7. *Exspectantibus omnibus*. Adverte præclarum ab antecedentibus et hominum exspectatione amplificandi modum. Tantum erat scelus in sectione bonorum Cn. Pompeii, ut, iis publicatis et hastæ subjectis, homines exspectatione suspensi tenerentur, vixque sibi persuaderent, ullum fore adeo sceleratum nefariumque, ut auderet quidquam emere, aut omnino attingere. Vicit tamen omnium exspectationem Antonius, et ad hastam publicam accedens, licitatus est bona Pompeii. Adverte vero conglobatam et coacervatam verborum congeriem, qua semper altius crescit ac velut cumulatur oratio.

8. *Sectionis*. Sectio est licitatio et emptio bonorum damnati atque proscripti. — *Accedere*. Hoc verbum in sectionibus usitatum. Cornelius Nepos, Attici vita: « Ad hastam publicam nunquam accessit; nullius rei neque præs, neque manceps, factus est ».

alia omnia auderent : unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, quum sector sis isto loco natus[9], deinde quum Pompeii sector, non te exsecrandum[10] populo romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines et esse inimicos, et futuros scias? At quam insolenter[11] statim helluo invasit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populus romanus exteris gentibus, justitia carior?

XXVII. In ejus igitur viri copias quum se subito ingurgitavisset, exsultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poetam nescio quem, « Male parta[1] male dilabuntur ». Incredibile, ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed[2] diebus effuderit. Maximus vini numerus[3] fuit, permagnum

9. *Isto loco natus*. Quum te gentis tuæ nobilitate clarum, bona fisco addicta auctionari non pudet; aut quum decoctoris tu ipse filius non damnati dico, sed Pompeii Magni bona audes licitari. *Isto loco* duplici sensu intelligi potest; nempe si nobilem non decet publicata bona licitari, quanto indignius est decoctorem, qui paterna bona non potuit redimere, non pudere immensa Pompeii bona emere.

10. *Non te exsecrandum*. A consequenti, et omnium odio hac sectione conflato amplificationem urget. Alii, *exsecratum*.

11. *At quam insolenter*. Cuique verbo inest suum pondus et momentum, et modus amplificandi pulcherrimus. Primo utitur interrogatione per admirationem, ut majorem orationi suæ vim incutiat, qua sublata plane langueret. Præter oppositionem illam virtutis et fortunæ, est etiam quædam antithesis inter terrorem et caritatem; incredibilis igitur fuit Cn. Pompeii virtus, qui res inter se dissidentes conjunxit, et a barbaris etiam gentibus expressit, ut quem metuebant, amarent.

XXVII. 1. *Male parta*. Poeta ille est Nevius, poematis auctor de bello Punico, tragœdiarum, comœdiarum et satirarum; quæ satiræ in causa fuerunt cur Roma pelleretur. Uticæ mortuus est ann. 620. Plautus etiam in Pœnulo, « male partum, male disperit ».

2. *Sed diebus*. Vulg. repetunt *paucis*, contra aliquot MSS et usum Ciceronianum. J. V. L.

3. *Maximus vini numerus fuit*, etc. Pro maxima vini copia. Loquendi modus primæ notæ scriptoribus usitatus.

optimi pondus argenti[4], pretiosa vestis, multa et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis: horum paucis diebus nihil erat.

Quæ Charybdis[5] tam vorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius[6] fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum[7], nihil obsignatum[8], nihil scriptum. Apo-

4. *Optimi pondus argenti.* Pro vasis argenteis. Horatius, Od. II: « Ridet argento domus ». Vide quemadmodum rem eamdem poliat, et enumeratione singulorum amplificet, prudenterque a Pompeio luxus opinionem amoliatur, et tandem inferat: « Horum paucis diebus nihil erat ». Majore cum emphasi, quam si dixisset: hæc omnia paucis diebus consumpta sunt.

5. *Quæ Charybdis.* Hyperbolica comparatione rem exaggerat. Jam fidem excesserat dicens, nullam Charybdin posse cum Antonii voracitate comparari. Non tamen eo contentus fuit, sed quasi pro rei magnitudine parum dixisset, se ipsum retexit, et verbum reprehendit, ut alia hyperbole majore suam orationem attollat. Vide Quintil. VIII, 61.

6. *Oceanus, medius fidius.* Ad majorem vim hyperbolen etiam jurejurando confirmat, ut pro Marcello: « Parietes, medius fidius, C. Cæsar, ut mihi videntur, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt ». Ne tamen inverecunde nimis supra fidem efferatur, et perjurio se obstringat, hic addita particula *vix* temperat orationem, eamque altius inculcat, et in auditorum animis velut ictu repetito, penitus infigit, et dissolvit, ut plura et plura dici et in acervum congeri, non in ordinem digeri videantur.

7. *Nihil erat clausum.* Antonius omnia acervatim et per aversionem licitatus erat; totque divitiis quas numquam solvit, perstrictus, finem illis non se facturum putabat; aut fortis alias sese comparaturum sperabat. Clavis recentiorum est inventio. Sic videntur antiquorum seræ fores occlusisse, ut exemptiles essent, et quoties fores reserarentur, seræ removerentur, exsolverenturque e catena pendentes, quum non ita ut nunc impagibus ostiorum uncis affixæ ferreis hærerent.

8. *Nihil obsignatum.* Plutarchus in Tiberio Graccho: « Ædem Saturni suo ipsius sigillo communivit, ne quæstores quidquam efferrent, aut inferrent in ærarium ». Obsignabant vero cellas, lagenas, et alia etiam, quæ tutius servari cupiebant. Sic Cleostrata domo egressura apud Plautum, Casina, act. II, scen. I: « Obsignate cellas, referte annulum ad me, Ego huc transeo in proximum ad meam vicinam ». De lagenis Quintus Cicero Ep. ad Tironem: « Sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ dicerentur exsiccatæ ». De aliis etiam vasis Plautus, Persa, act. I, scen. 6: « Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos, Bene

thecæ[9] totæ nequissimis hominibus condonabantur; alia mimi[10] rapiebant, alia mimæ; domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum; totos dies potabatur, atque id locis pluribus; suggerebantur[11] etiam sæpe (non enim semper ipse[12] felix) damna aleatoria. Conchyliatis[13] Cn. Pompeii peristromatis[14] servorum in cellis lectos[15] stratos videres. Quamobrem desinite

admordere, qui salinum servo obsignant cum sale ». Quamvis tamen omnia diligentissime caverent, sæpius probe tangebantur, ut Nero ipse ait de furace servo : « Solus est, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum ».

9. *Apothecæ*. Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. Cellæ vinariæ sub terra fuerunt, et vinum doliare continebant; apothecæ autem fuerunt in superiore tabulato, et vinum in testaceas amphoras defusum servabant, quas pice allinebant, et obturabant, consulumque nomine signatas reponebant in apothecis, ut fumo vaporatæ acerbitatem vina deponerent, fierentque mitiora. Tullius in Bruto: «Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quærat. Atqui eæ notæ sunt optimæ, credo; sed nimia vetustas nec habet eam quam quærimus, suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime; sed quamdam sequatur ætatem». E quibus intelligas, vinum proximis consulibus natum hauriri de dolio consuesse, vetustius ex amphoris et apothecis, ac proinde non aliud vinum in amphoras defusum fuisse quam generosum. Tullius non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia vetustiora et meliora vina continebant.

10. *Alia mimi*. Quibus constat, id genus hominum semper artem calluisse domum penitus evertendi, in quam semel ingressi sunt.

11. *Suggerebantur*. Addebantur, subjungebantur, accedebant subinde damna aleatoria.

12. *Ipse*. Al. malunt *iste*. Minus placet. J. V. L.

13. *Conchyliatis*. Dicta conchylis, sive conchyliata vestis, quod purpuræ sive murices sint quædam genera conchyliorum, id est, pisciculi concha vestiti, de quibus Plin. lib. IX, cap. 36 : «Purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus. Liquor is nimirum est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigricantis rosæ color sublucens».

14. *Peristromatis*. Plautus, Pseud. act. I, scen. 2 : « Ita ego vestra latera loris faciam, ut valide varia sint, Ut ne peristromata quidem æque picta sint Campanica, Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia ».

15. *In cellis lectos*. Vitruvius, de Architectura, lib. VI, cap. 10, cellas familiaricas appellat: «Circum autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam et cellæ familiaricæ constituuntur». Quintil. lib. VIII, cap. 4 : « Nihil dici potest ultra; et necesse

mirari, hæc tam celeriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.

At ejusdem ædes[16] etiam et hortos. O audaciam immanem[17]! Tu etiam ingredi[18] illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen[19] intrare? tu illarum ædium diis penatibus os impurissimum[20] ostendere? Quam domum aliquamdiu[21] nemo adspicere poterat, nemo sine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu deversari[22] non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum.

est tamen infinito plus in domino cogitare ».

16. *At ejusdem ædes.* Non solum in Cn. Pompeii fortunas invasit, sed etiam domum ejusdem, et hortos a Cæsare publicatos et hastæ subjectos emit. Plutarch. in Antonio: « Domum subhastatam emit Antonius, quumque ab eo pretium exigeretur, iniquo ferebat animo ».

17. *O audaciam immanem!* Ex gravi indignatione in exclamationem erumpit. In rebus valde atrocibus vim exclamatio majorem habet, si rei declarationem antecedat.

18. *Tu etiam ingredi.* Expolitione oratoria rem amplificat; et ab ejusdem vocis repetitione, *tu*, singula membra orditur, ut magis inculcet, et quasi repetitis ictibus in auditorum memoria defigat; a religione etiam deorum penatium, et liminis sanctitate magis exaggerat.

19. *Sanctissimum limen.* Divus Augustinus, de Civitate Dei, lib. IV, cap. 8: « Unusquisque domui suæ ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit. Tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardinibus, Limentinum limini ». Carnam, non Cardeam, vocat Ovidius, eamque kalendis juniis cultam fuisse testatur, Fast. V: « Prima dies tibi, Carna, datur, dea cardinis hæc est, Numine clausa aperit, claudit aperta, suo ». Non tamen hæc est causa cur sanctissimum limen vocetur, sed propter sanctitatem morum et disciplinæ, quæ vigebant in domo Pompeii viri probissimi.

20. *Os impurissimum.* Quod præferendum visum doctioribus. Vulgo, *importunissimum. Os* pro impudentia, temeritate, audacia. Pro Rabirio Postumo: « Quod habent os ». In Pisonem: « Nihil incolume domum præter os illud pristinum tuum retulisti ». Id. « os tuum ferreum ».

21. *Aliquamdiu.* Dum recentior esset dolor e Pompeii morte perceptus, nec dum ipsa vel consuetudo, vel diuturnitas civium animis callum obduxerat. Est autem amplificatio ab antecedentibus et contrariis. Populus sine lacrymis videre non poterat domum Pompeii; Antonius in eadem domo helluabatur.

22. *Deversari.* Sic ex Vatic. Vulg.

XXVIII. An tu illa [1] in vestibulo rostra [2], an [3] spolia quum adspexisti, domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te umquam, neque vigilantem, neque in somnis credo posse mente consistere. Necesse est, quamvis sis, ut

diversari. Sed habent veteres libri, *deversorium*, *devertere*, *deversari*. Non quidem tamquam in domo propria vivere, sed tamquam in aliena, et quasi diversorio quodam.

XXVIII. 1. *An tu illa*. Grævius feliciter hanc lectionem ex Vaticano elicuit. Vulg. minus recte, *vestibula, rostra*. Male servavit Lallem. Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa janua, vel arcus januæ præpositus, quasi πρεπύλαιον, aut etiam porticus ante januam, sed Aquilius Gallus apud Gellium in Noctibus Atticis, lib. XVI, cap. 5: « Vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque est ad ædes, quum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur, atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita ».

2. *Rostra*. Victis hostibus navali certamine, naves a victoribus mutilabantur. Herodotus in Thalia: « Et navium rostratarum proras amputantes, deposuerunt in templo Minervæ Æginetica ». Rostra autem in vestibulo Pompeii, quia mare a piratis purgaverat, unde et rostrata domus. Capitolinus in Gordianis: « Exstat silva ejus memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quæ ipsius et patris ejus, et proavi fuit ».

3. *An spolia quum adspexisti, domum tuam*, etc. De more ad quem Maro frequenter alludit, ut Æneidos lib. II, de regia Priami: « Barbarico postes auro spoliisque superbi ». Lib. V de domo Entelli: « ubi fama per omnem Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis ». Lib. VII de regia Latini: « Multaque præterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, curvæque secures, Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra, Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis ». Mutatis dominis eadem manebant spolia, nec loco mutabantur, ut scribit Plinius, lib. XXXV, cap. 2, postquam de cereis majorum imaginibus in atrio disponi solitis egit: « Aliæ foris, inquit, et circum limina animosorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret; triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, et erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum ». Ideo autem hæc spolia movere loco nefas erat, quod essent diis penatibus, aut vestibulorum, januarumque præsidibus consecrata. Ubi tamen delapsa fuerant, non restituebantur, ut ait Plutarchus, Quæstionibus Romanis 37: « Cur mos invaluit, ut ex omnibus quæ diis consecrata sunt, sola spolia vetustate fatiscentia negligantur, nec loco moveantur, aut resarciantur ». Eadem fuit veteribus Gallis consuetudo. Vide Diodorum Sic. lib. VI.

es, violentus[4] et furens, quum tibi objecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari[5], furere etiam sæpe vigilantem. Me quidem[6] miseret parietum ipsorum atque tectorum. Quid enim umquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, patres conscripti, sicut scitis, quum foris clarus, tum domi admirandus; neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis. Hujus in ædibus[7] pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinæ sunt. Etsi jam negat[8]: nolite, nolite quærere. Frugi factus est. Mimam suam[9] suas res sibi habere jussit ex duodecim tabulis. Claves ademit[10]; exegit. Quam porro spectatus civis! quam probatus! cujus ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium!

4. *Violentus*. Al. *vinolentus*. J.V.L.

5. *Te de somno excitari*. Rectius forte, ut Heusinger. maluit, *te e somno excitari*. J. V. L.

6. *Me quidem*. Ad majorem vim et orationis gravitatem sensum Pompeianis ædibus attribuit, quasi domus illa ex Pompeii et Antonii comparatione magnum acceperit dolorem. Hunc locum Plutarchus pæne verbatim expressit in Antonio: «Accessit ad communem infamiam non mediocre odium ex ea in qua habitabat domo, quæ fuerat Magni Pompeii, viri non minus ob temperantiam, modestamque et civilem vitam, quam ob tres triumphos mirabilis».

7. *Hujus in ædibus*. Al. *sedibus*.— *Stabula*. Id est, lupanaria.

8. *Etsi jam negat*. Elegans transitio. Nolite curiosius sciscitari et inquirere quid ante fecerit, nunc enim ita se collegit, et ad meliorem frugem recepit, ut superioris vitæ maculas præsenti frugalitate absterserit. Ironia est cum emphasi, qua significatur Antonium jamjam omne Pompeii patrimonium abliguriviase : non enim aliter frugi fieri potuisset. — *Nolite, nolite*. Semel tantum in Vatican. legitur. Sed hæc oratio ad irrisionem est composita, et Cicero ipse, de Orat. III, 54: «Geminatio verborum habet interdum vim, leporem, etc. »

9. *Mimam suam*. Cod. Vatican. *illam suam*. Ille jocus merus; non jure matrimonii Cytheris cum Antonio vivebat; illam dimisit et Fulviam duxit. Scripserat Cicero ad Atticum, X, 10, *alteram uxorem* Antonii; risus captandi gratia hic addidit e duodecim tabularum jure.

10. *Claves ademit*. Ut Romani significarent se rei familiaris dispensationem, domusque custodiam uxori credere, clavem ei donabant, ut primum ad mariti domum accesserat. — *Exegit*. Lambinus legendum putat: *foras exegit*, quod apud Nonium Marcellum exstat ad verbum *exigere*.

At quam crebro[11] usurpat, «et consul, et Antonius?» hoc est dicere, et consul, et impudicissimus; et consul, et homo nequissimus. Quid enim est aliud Antonius? Nam si dignitas significaretur in nomine, dixisset, credo, aliquando avus tuus[12], «se et consulem, et Antonium». Numquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus[13]. Nisi tu solus es Antonius. Sed omitto[14] ea peccata, quæ non sunt earum partium propria, quibus tu rempublicam vexavisti[15]: ad ipsas tuas partes redeo, id est, ad civile bellum, quod natum, conflatum, susceptum opera tua est.

XXIX. Cui bello[1] quum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti. Gustaras[2] civilem san-

11. *At quam crebro*. Postquam Antonii nequitiam ostendit, ad ejus superbiam et insolentiam delabitur; qua et originem suam et consularem dignitatem sæpius jactitabat. Cui arrogantiæ modestiam prioris Antonii opponit.

12. *Avus tuus*. M. Antonius orator duos filios habuit, M. Antonium Creticum, patrem Antonii triumviri, et C. Antonium. Fuit autem consul 645 cum A. Posthumio Albino.

13. *Patruus tuus*. C. Antonius Ciceronis collega in consulatu, an. 690.

14. *Sed omitto*. Transitio per præteritionem oratoriam.

15. *Vexavisti*. Ien. *vexasti*, quæ forma aliis locis placuit editoribus. Cum Ien. consentit codex a Barbadorio inspectus.

XXIX. 1. *Cui bello*. Legebatur olim *cur ei bello*, quod absurdum est; interrogat enim de causa, et causam interim exponeret ipse, dum interrogat. Emendavit Faernus a codice Vatican. Grævius, Lallem. Wernsdorf. et editores nuperrimi sequuti sunt. Cæsar, superato ad Pharsaliam Pompeio, confecto Alexandrino bello, victo Pharnace, Romam reversus est, nec in Italia diu moratus, in Africam enim profectus est contra Scipionem et Catonem, qui post cladem Pharsalicam, accito in belli societate Juba Numidiæ rege, magnis præsidiis occuparant. Ei bello defuit Antonius, sive propter timiditatem et libidines, sive quod iratus esset Cæsari, sive potius ut curaret ne quid novi, Cæsare absente, molirentur Romani; quod Ciceronem prorsus non latebat, sed Antonium interrogat, ut eum cavilletur.

2. *Gustaras*. Inductio, qua probatur assumptio de crudelitate Antonii. Quia autem *gustandi* verbo minus expresserat (gustat enim, qui cibum primoribus attingit, non ut se expleat, sed ut saporem cognoscat), retexit orationem graviusque *exsorbendi* verbum substituit, quo inaudita quædam ingluvies et crudelitas denotatur. Non minori verborum audacia in novis de Rep. Fragmentis, I, 42: «Si quando populus.... optimatium sanguinem gustavit».

guinem, vel potius exsorbueras[3]; fueras in acie Pharsalica antesignanus[4]; L. Domitium[5], nobilissimum et clarissimum virum, occideras; multos, qui e prælio effugerant, quos Cæsar, ut nonnullos, fortasse servasset, crudelissime persequutus trucidaras. Quibus rebus[6] tantis, talibus gestis, quid fuit causæ, cur in Africam Cæsarem non sequerere, quum præsertim belli pars tanta restaret? Itaque quem locum apud ipsum Cæsarem post ejus ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? Cujus tu imperatoris quæstor fueras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ socius, testamento[7], ut ipse dicebas, filius, appellatus es de pecunia[8], quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. Primo respondisti plane ferociter : et, ne omnia videar contra te, propemodum æqua et justa[9] dicebas. « A me

3. *Exsorbueras.* Hoc demum ingentis vel odii vel crudelitatis indicium. In Vatinium : « Quum per meum nomen fortunas locupletum diripere, sanguinem principum civitatis exsorbere cuperetis ».

4. *Antesignanus.* Plutarch. « Ostendit vero Cæsar quam de ipso (Antonio) opinionem haberet; quum enim postremam, qua summa rerum agebatur, pugnam in Pharsalia pugnaturus esset, ipse dextrum cornu duxit, sinistro vero præfecit Antonium, tamquam rei militaris peritissimum omnium, qui sub ipso erant ». Antesignani porro dicebantur, qui ante signa pugnabant.

5. *L. Domitium.* Ænobarbum, qui ante bellum civile jussus fuerat Cæsari Gallias contra senatus auctoritatem obtinenti succedere. Is, ut scribit Cæsar, de bello Civili, lib. III, « ex castris in montem refugiens, quum vires eum præ lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus ». De Ænobarbis Suetonius in Nerone, cap. 1 : « Functi autem consulatibus septem, censuraque duplici, et inter patricios allecti perseveraverunt omnes in eodem cognomine ».

6. *Quibus rebus tantis.* Schütz. e conjectura, *tantis ac talibus.* J. V. L.

7. *Testamento.* Male vett. edd. *testamenti.* J. V. L.

8. *Appellatus es de pecunia.* Jussus es apud judices eam solvere pecuniam quam debebas pro emptis ab hasta publica Cn. Pompeii bonis. Hanc loquendi formulam illustrabunt multa exempla ad Atticum, XV, 19; Martial. lib. VII, epigr. 91; Senec. de Benef. I, 2.

9. *Æqua et justa.* Quam singulari artificio totum hunc locum tractaverit orator non necesse moneamus videtur, qui, dum excusare inimicum simulat,

C. Cæsar pecuniam[10]? cur potius, quam ego ab illo? An ille sine me vicit? At ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis causam attuli; ego leges[11] perniciosas rogavi; ego arma contra consules, imperatoresque populi romani, contra senatum populumque romanum, contra deos patrios, arasque et focos, contra patriam tuli. Num sibi soli vicit? Quorum facinus est commune, cur non sit eorum præda communis? » Jus postulabas: sed quid ad rem? plus ille[12] poterat. Itaque excussis[13] tuis vocibus, et ad te, et ad prædes tuos[14] milites misit: quum repente a te præclara illa tabula[15] prolata. Qui risus hominum[16]? tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones, ex quibus, præter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur[17], posset suum dicere. Auctionis vero miserabilis adspectus: vestis Pompeii non multa, eaque maculosa; ejusdem quædam argentea vasa collisa; sordidata mancipia: ut doleremus, quidquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus. Hanc

multo graviori eum onerat invidia.

10. *A me C. Cæsar pecuniam?* Wernsdorf. una continuatione, « A me C. Cæsar pecuniam cur potius, quam ego ab illo? » quod jam Ernestio placebat. Id. nunc mutat nihil. J. V. L.

11. *Leges perniciosas.* Quæ fuerint leges illæ ignorare se fatetur Garatonius; verum idem valuit ac si leges ad reipublicæ perniciem fatales ferret, quum bonis intercessione sua nefaria obsisteret et belli civilis conflaret incendium.

12. *Plus ille poterat.* Ad illum potentia pertinebat.

13. *Excussis.* Heusing. magis probat, *exclusis.* J. V. L.—Recepit Sch. Excussit autem Antonii vociferationes Cæsar per vim ac potestatem, ut *excuti maledictum* pro Domo, cap. 28, dicitur. Quod multo significantius est quam si *exclusis* legas.

14. *Prædes tuos.* Eos qui in sectione bonorum Pompeii, tamquam fidejussores bona fidemque obstrinxerant Cæsari, pecuniam pro emptione debitam exsoluturum esse Antonium. Quod gallice dicimus *des cautions.*

15. *Præclara illa tabula.* Qua bona sua proscripsit Antonius, ut auctione facta solveret Cæsari.

16. *Qui risus hominum?* Olim « de te erant ». Quas ternas voces ex interprete fluxisse demonstravit Faern.

17. *Qui auctionaretur.* Ipse Antonius.

tamen auctionem heredes L. Rubrii[18] decreto Cæsaris prohibuerunt. Hærebat nebulo[19]: quo se verteret, non habebat. Quin his ipsis temporibus domi Cæsaris percussor, ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica: de quo Cæsar in senatu aperte in te invehens questus est. Proficiscitur in Hispaniam Cæsar, paucis tibi ad solvendum, propter inopiam tuam, prorogatis diebus. Ne tum quidem sequeris. Tam bonus gladiator[20] rudem tam cito accepisti[21]?

XXX. Hunc igitur[1] quisquam, qui in suis partibus, id est, in suis fortunis, tam timidus fuerit, pertimescat? Profectus est tandem[2] aliquando in Hispaniam: sed tuto[3], ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut non suscipienda fuit ista causa[4], Antoni; aut, quum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Cæsar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania: omnibus affuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit. Si de meo judicio quæris, nollem; sed tamen consilium a principio[5] reprehenden-

18. *Heredes L. Rubrii.* Antonius in possessiones L. Rubrii Cassinatis contra jus omne, subjecto testamento, exclusis veris heredibus, repentinus heres invaserat. Hi igitur bona Rubrii ab Antonio repetentes, apud Cæsarem de auctione illa questi sunt, quod Antonius nonnulla proscripsisset quæ ad ipsos ex hereditate pertinerent. Quo audito, Cæsar decretum fecit, quo illi muniti auctionem prohibuerunt.

19. *Hærebat nebulo.* Sic omni ex parte tenebatur Antonius, ut expedire se non posset, quum nec auctionem facere, nec ullam extricandæ pecuniæ rationem invenire posset.

20. *Tam bonus gladiator.* Tu qui toties te in arena spectandum exhibueras, qui crudelissimus in populum rom. gladiator exstiteras, tam cito cedis et vacationem accepisti? Eadem loquendi formula utitur Hor. Ep. I, 1.

21. *Accepisti.* Cod. Vatican. prætermittit h. v. Non male. J. V. L.

XXX. 1. *Hunc igitur.* Rem Antonii privatam Hispaniensi bello actam hoc sensu probat orator, quod Pompeii liberi paternam hereditatem repetentes debellandi et exturbandi erant.

2. *Tandem.* Al. *tamen.* J. V. L.

3. *Tuto.* Substitit in Galliis Antonius, causatus omnes Hispaniarum aditus a Pompeianis esse clausos.

4. *Ista causa.* Factio Cæsaris contra rempublicam.

5. *A principio.* Multi ex optimis

dum, laudanda constantia[6]. Tu vero quid es[7]? Cn. Pompeii liberi primum patriam repetebant. Esto[8]: fuerit hæc partium causa communis. Repetebant præterea deos patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in quæ tu invaseras. Hæc quum repeterent armis ii, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse æqui? tamen quem erat æquissimum contra Cn. Pompeii liberos pugnare? quem? te sectorem. An tu Narbone mensas hospitum convomeres[9], Dolabella pro te in Hispania dimicaret? Qui vero Narbone reditus[10]? Et tamen[11] quærebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exposui nuper, patres conscripti, causam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante kalendas januarias, prodesse reipublicæ. Nam, quod quærebas, quomodo redissem[12]: primum luce, non tenebris; deinde cum calceis et toga[13], nullis nec Gallicis[14], nec lacerna. At etiam adspicis me, et qui-

MSS, *a primo*. Probat Garatonius. J. V. L.

6. *Laudanda constantia*. Totum hunc locum εἰρωνείᾳ ita temperat orator, ut facile quid ipse senserit de tribus his contra cives certaminibus cernere posses, etiamsi ipse in literis ad Atticum non omnino indicasset. Ad Attic. XVI, 11.

7. *Quid es?* Quid vales? cujus es pretii? Ut Antonii statim ignaviam et nequitiam exagitet. Aliæ editt. dant « qui es? » vel, « quid censes? »

8. *Esto*. Debebas contra eos pugnare, ut Cæsarianis infensos. Sed multo gravior tibi erat causa cur illos lacesseres, quum te ipsum Pompeii patris bonorum emptorem aggredi viderentur, dum ejusdem bona repeterent.

9. *Convomeres*. Dum tu ebrietati apud hospites vacares, decebat Dolabellam in Hispania pro te pugnare, ne scilicet Pompeii liberi suum patrimonium recuperarent?

10. *Reditus*. Qualis fuit, quam fœdus, quanta nequitia et lascivia implicatus? Omittitur responsio.

11. *Et tamen*. Et nihilo minus, Antonius tam fœdi reditus reus in oratione quærebat cur tam cito revertissem, quum ipse omnium opinione citius, nulla dignitatis habita ratione, turpissima ex causa redierit.

12. *Quomodo redissem*. Quærebat Antonius Ciceronis reditus causam; joculariter respondet Cicero et in eumdem gravius invehitur.

13. *Calceis et toga*. Vestitu civis romani.

14. *Gallicis*. Calceamenta erant, quæ imas tantum plantarum calces tegebant, ut crepidæ et soleæ. Antonius autem iis erat usus, quum et in urbem ingrederetur, et quum in coloniis et

dem, ut videris, iratus. Næ tu jam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiæ tuæ, cujus te ipsum non pudet. Ex omnibus omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister equitum fuisse tibi viderere[15], in proximum annum consulatum peteres[16], vel potius rogares, per municipia coloniasque Galliæ, a qua nos tum, quum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum Gallicis et lacerna cucurristi.

XXXI. At videte levitatem hominis. Quum, hora diei decima fere, ad Saxa rubra[1] venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans, perpotavit ad vesperam; inde cisio[2] celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto[3]. Janitor: Quis tu? A Marco[4] tabellarius. Confestim ad eam[5], cujus causa venerat, deducitur[6]; eique epistolam tradit[7]. Quam quum illa legeret flens (erat enim amatorie scripta; caput autem literarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum; omnem se amorem abjecisse illinc, atque in hanc transfudisse); quum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit; caput aperuit;

municipiis manus prensaret candidatus. — *Lacerna*. Palliolo militari, senatoribus indecoro. Vide Gell. XIII, 21, et Prop. IV, 3, 18.

15. *Viderere*. Quum revera non esses, oppressa per vim republica.

16. *Peteres*. Peti dicebatur magistratus, tamquam res aliquo modo debita; rogare autem turpe erat quod in mercedis potius quam beneficii loco numerari videretur.

XXXI. 1. *Ad Saxa rubra*. In via Flaminia erant, non longe a loco ubi fusi trecenti Fabii jacuerant.

2. *Cisio*. Vehiculi genere ad celeritatem comparati.

3. *Capite involuto*. Lacernæ cucullus hærebat, quo caput involvebatur. Conf. Horat. Sat. II, 7, 55; Juvenal. VI, 330.

4. *A Marco*. Sic prænomine tantum domini designabantur; gaudebant enim prænomine molles auriculæ. Horat. Sat. II, 5, 32.

5. *Ad eam*. Ad Fulviam, quam Curioni ante nuptam eo interfecto viduam, non ita multo ante duxerat; quia vero meretriciis amoribus adhuc obstringebatur, eam sibi offensam esse sciebat.

6. *Deducitur*. Abest a Vatican. Eleganter. J. V. L.

7. *Tradit*. MSS dant, *tradidit*. J. V. L.

in collum invasit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. Ergo ut te catamitum [8], nec opinato quum ostendisses, præter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno [9], Italiam multorum dierum metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuit; foris [10] etiam turpiorem, ne L. Plancus prædes suos venderet [11]. Productus autem [12] in concionem a tribuno plebis, quum respondisses, te rei tuæ causa [13] venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti.

XXXII. Sed nimis multa de nugis [1]: ad majora veniamus. Cæsari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti [2]. Celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum [3]. Factus es ei rur-

8. *Catamitum.* Putabat Meusinger. sub hac voce latere nomen alicujus, qui, quum mortuus crederetur, repente vivus apparuit. Generatim autem pro impudico et effeminato dici putant plerique. Sic apud Apuleium, Metam. I, pag. 107 ed. Elm. lib. III, mulier amatum juvenem catamitum suum vocat. Fortasse pro quovis expetito et adamato sumebatur.

9. *Terrore nocturno.* Quum fama percrebruisset per totam Italiam Pompeios victores Cæsare necato ad Urbem accedere, et Antonium omnes crederent ideo reversum.

10. *Foris etiam.* Alteram reditus adeo præcipitis causam enarrat, ne videlicet L. Munatius Plancus, cui videtur Cæsar in Hispaniam proficiscens mandasse ut, si Antonius intra præstitutos dies non solvisset, bona prædum venderet, hoc munere suo fungeretur.

11. *Prædes suos venderet.* Nempe eorum bona quæ pro debitore ipsi ærario obstrinxerunt.

12. *Productus autem.* Abest *autem* a multis MSS. J. V. L.

13. *Rei tuæ causa.* Quod alio sensu intellexit populus; nempe te venisse ut rem cum Fulvia haberes, ut amori tuo vacares. Plura dabit *Bayle* in Diction. Hist. Crit. v. *Lycoris*, et Burmann. ad Petronium, cap. XLVII, pag. 316.

XXXII. 1. *Sed nimis multa de nugis.* Transit a nequitia et levitate Antonii, quas ille nugas appellat, si cum reliquis conferas, ad consulatum et scelera, quibus in eo magistratu rempublicam vexavit.

2. *Longissime processisti.* Cæsari post victos Cn. et Sex. Pompeii Magni liberos in Italiam ex Hispania redeunti complures gratulatum obviam ierunt. Antonius autem iterum Narbonem usque processit, qua in urbe, cum C. Trebonio Cæsaris necandi consilium cepisse dicitur.

3. *Strenuum.* In itinere faciendo celerem. Sic Plautus, Aulular. I, 4: « Heus Strobile, sequere propere me

sus, nescio quomodo, familiaris[4]. Habebat hoc omnino Cæsar[5]: quem plane perditum ære alieno, egentemque, si eumdem nequam[6] hominem, audacemque cognorat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus[7] præclare commendatus, jussus es renuntiari consul, et quidem cum ipso[8]. Nihil queror de Dolabella[9], qui tum est impulsus, inductus, elusus. Qua in re quanta fuerit uterque[10] vestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret; promissum et receptum[11] intervertit[12]; ad seque transtulit: tu ejus perfidiæ voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt kalendæ januariæ. Cogimur in senatum: invectus est copiosius multo in istum et paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus quæ dixit, dii boni? Primum quum Cæsar ostendisset, se, priusquam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum[13] (quem negant regem, qui et faceret semper

ad macellum strenue ». Et Trinumm. III, 7: « strenue curre in Piræum ».

4. *Familiaris*. Eum Cæsar denuo tanti fecit, ut suo vehiculo exceperit, et cum eo viam tota Italia confecerit. Plutarch.

5. *Habebat hoc Cæsar*. Hanc consuetudinem usurpaverat. Eo utebatur more ut... Sic Plin. Ep. XII, 7.

6. *Nequam*. Desperatum hominem qui luxuria perditus in omne nefas ruit. Sic infra Phil. VIII, 1: « Irritari Antonium non oportuit: nequam est homo ille atque confidens ».

7. *His rebus*. Ære alieno, egestate, audacia, nequitia.

8. *Cum ipso*. Cæsare qui quintum inibat consulatum.

9. *De Dolabella*. Cæsar P. Cornelium Dolabellam hortatus fuerat, ut peteret consulatum, suamque hac in re operam pollicitus erat; deinde, mutata sententia, ad se consulatum transtulit. Dolabella itaque hortationibus Cæsaris impulsus, promissis inductus, contumelia est elusus.

10. *Uterque*. Al. *utriusque*. J. V. L.

11. *Promissum et receptum*. Consulatum hunc quem promiserat, et se daturum receperat, seu spoponderat. Credit Sch. excidisse « consulatum », quamvis vox illa satis circumstantibus indicetur.

12. *Intervertit*. Malis artibus ad se transtulit.

13. *Jussurum*. Cæsar nihil omnino juris populo in mandandis magistratibus reliquerat; ut ex Suetonio liquet. Ut autem contumeliam Dolabellæ inustam quoquo modo deleret, promiserat se, priusquam in Parthos proficisceretur, eumdem consulem in suum locum esse suffecturum. Vide Sueton. cap. 44.

ejusmodi aliquid, et diceret): sed[14] quum Cæsar ita dixisset, tum hic bonus augur [15] eo se sacerdotio præditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset, idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite.

Quid enim? istuc, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? Vide, ne etiam facilius. Nos enim nuntiationem solum habemus; consules et reliqui magistratus etiam spectionem[16]. Esto: hoc imperite (nec enim est ab homine numquam sobrio postulanda prudentia); sed videte impudentiam. Multis ante mensibus in senatu dixit, se Dolabellæ comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum esse[17], quod fecit. Quisquamne divinare potest[18], quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cælo servare constituit[19]? quod

14. *Sed*. Post parenthesim *sed* vim habet eamdem ac *inquam*, et orationem continuat, ut supra cap. 4, infra cap. 41; de Offic. I, 30, etc.

15. *Bonus augur*. Antonius, quem εἰρωνικῶς ob impudentiam inscitia implicitam sic appellat, declaraverat se augurem posse comitia vel impedire antequam fiant, vel vitiare, quum facta fuerint.

16. *Spectionem*. Ex Numæ instituto et XII tabulis jus nunciandi augures habebant, ut si quid vitii advertissent, comitia prohibere ne fierent, et jam facta turbare possent. Cuilibet igitur magistratui, antequam cum populo ageret, aderat augur, eique in auspicio esse dicebatur; quo auctore, secundumne an adversum esset augurium intelligebatur. Notandum autem discrimen inter augurum *nunciationem* et *spectionem* magistratuum. Augures qui se vidisse aliquid nunciabant, poterant hoc ipso prohibere comitia aut vitiare; illud autem comitiorum tantum die facere poterant. Magistratus autem ex lege Ælia Fufia servandi de cælo facultatem obtinebant et obnunciandi, non licere cum populo agere quo die de cælo servatum esset. Quum autem de cælo servabant, feria indicebatur, nec populum convocari fas erat. Unde multo ante comitia, certis illa diebus impedire poterant, dum festos illos dies declararent.

17. *Id facturum esse*. Vitiaturum esse comitia.

18. *Divinare potest*. Si divinare nemo potest, quid vitii futurum sit in auspiciis, quum ea prævidere non liceat; cur tu dixisti multis ante mensibus te prohibiturum esse Dolabellæ comitia?

19. *Servare constituit*. Qui enim

neque licet comitiis per leges; et, si quis servavit, non comitiis habitis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare. Verum implicata inscientia[20] impudentia est, nec scit, quod augurem, nec facit, quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini ejus usque ad idus martias consulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? Nihil ipse poterat; omnia rogabat; caput in aversam lecticam[21] inserens, beneficia, quæ venderet, a collega petebat.

XXXIII. Ecce Dolabellæ comitiorum dies, sortitio prærogativæ[1]: quiescit. Renuntiatur: tacet. Prima classis vocatur[2]: renuntiatur. Deinde, ut assolet, suffragatum[3] secunda classis vocatur; quæ omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur (Lælium diceres[4]), Alio die, inquit. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim[5] te de cælo servasse dixisti, neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam kalendis januariis futurum esse provideras, et tanto ante prædixeras. Ergo, hercule, magna, ut spero, tua potius, quam reipublicæ calamitate ementitus es auspicia; ob-

magistratus de cælo servare constituerat, ut legem aliquam ferri vetaret, is prædicere et proscribere poterat, vel multis ante diebus, quo die et per quot dies de cælo servaturus esset, et quot ferias esset indicturus. Hac divinatione usus est Milo tribunus plebis, quum impedire comitia ædilitia vellet; proscripsit enim, se per omnes dies comitiales de cælo esse servaturum. Att. IV, 3.

20. *Inscientia.* Alii dant *inscitia.* J. V. L.

21. *In aversam lecticam.* In Cæsaris lecticam, quæ præcedebat, Antonio igitur sequenti erat aversa.

XXXIII. 1. *Sortitio prærogativæ.* Quum sortitus esset Cæsar ex omnibus centuriis eam quæ omnium prima rogaretur suffragium; quievit Antonius, nec se sortitioni illi interposuit.

2. *Prima classis vocatur.* Post prærogativam tribus et centuriæ jure vocatæ suffragium ferebant.

3. *Suffragatum.* Al. *suffragia; tum.* J. V. L.

4. *Lælium diceres.* Auguriorum peritissimum eumdemque prudentissimum.

5. *Nec enim.* Non hoc tibi perfugium reliquisti. Totum hunc locum fusius explicat Garatonius.

strinxisti populum romanum[6] religione; augur[7] auguri, consul consuli obnuntiasti[8]. Nolo plura[9], ne acta Dolabellæ videar convellere: quæ necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis insolentiamque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella; rursus, quum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est, quum augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti, confitere te, quum, ALIO DIE[10], dixeris, sobrium non fuisse. Sin est aliqua vis in istis verbis, ea quæ sit, augur a collega requiro. Sed, ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus.

XXXIV. Non dissimulat, patres conscripti; apparet esse commotum; sudat, pallet: quidlibet, modo ne nauseet, faciat[1], quod in porticu Minutia[2] fecit. Quæ potest esse turpitudinis tantæ defensio? Cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces[3], ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in Rostris collega[4] tuus,

6. *Obstrinxisti pop. rom.* Religionem populi rom. elusisti; illum falsa religione obstrinxisti.

7. *Augur auguri.* Tu, Antoni, consul et augur, collegæ tuo Cæsari auguri et consuli obnuntiasti.

8. *Obnuntiasti.* Observarunt viri docti proprium augurum esse « nuntiare », magistratuum « obnuntiare ». Sed videndum ne nimia diligentia peccemus.

9. *Nolo plura.* De his satis; ne religionem populo rom. injiciam et Dolabellæ acta infringere videar. Si enim obnuntiatio valuit, nullus fuit Dolabellæ consulatus, nihil jure egit.

10. *Quum, Alio die, dixeris.* De formula hac confer Garatonium in edit. Wernsd.

XXXIV. 1. *Faciat.* Per me licet, quemlibet corporis habitum ostendat, modo ne nauseet, quod in porticu fecit. Malebat omitti « faciat » Heusingerus, ut sæpe alias. Conf. Burmann. ad Lactant. I, 8, 6.

2. *Minutia.* Quæ fuisse videtur porticus in campo Martio, quæ et Frumentaria dicta. Vide Famiani Nardini Romam vet. VI, 10.

3. *Rhetoris tanta merces.* Cupio defensionem tuam audire, ut sciam quantum in schola Sexti Clodii, rhetoris Siculi, profeceris; cui duo millia Leontini campi assignasti, et quidem immunia.

4. *Collega tuus.* Cæsar, qui cum Antonio consulatum gerebat. De hac tota re vide Cic. Div. I, 52; II, 16;

amictus toga purpurea, in sella aurea[5], coronatus[6]: adscendis[7]; accedis ad sellam (ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes); diadema[8] ostendis: gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum et cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi; ille cum plausu rejiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas[9], dominum habere velles; et idem tentares, quid populus romanus ferre et pati posset. At etiam misericordiam[10] captabas, supplex te ad pedes abjiciebas: quid petens? ut servires? Tibi uni peteres[11], qui ita a puero vixeras, ut omnia paterere[12], ut facile servires: a nobis populoque romano mandatum id certe non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, quum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid fœdius? quid suppliciis omnibus dignius? Num exspectas, dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem sensus habes, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor, ne imminuam summorum virorum[13] gloriam; dicam tamen dolore commotus. Quid indignius[14], quam vivere eum, qui

Sueton. in Cæs. 79; Flor. IV, 2.

5. *In sella aurea.* Cæsari a senatu decreta. Vide de hac sella Sueton. in Cæs. 7, et quæ ibi notant viri docti.

6. *Coronatus.* Quæ radiis distincta erat corona. Vid. Flor. IV, 2, et Scheggium ad Paterc. II, 59.

7. *Adscendis.* Recepit Wernsdorf. et Garaton. « escendis ».

8. *Diadema.* Coronam lauream candida fascia præligatam, ut ait Suetonius.

9. *Habebas.* Olim addebatur *regni*, quod ex antecedentibus contra sententiam repetitum deleverunt post Faern. multi, auctoritate Vatican. codicis. J. V. L.

10. *Misericordiam captabas.* Cæsarem movere tentabas.

11. *Tibi uni peteres.* Petere debebas ut tibi uni servire liceret; tu enim qui ita educatus es, ut impuros homines facile paterere, servitium facile pati poteras.

12. *Omnia paterere.* Objicit Antonio impudicitiam.

13. *Summorum virorum.* Qui Cæsarem interfecerunt, Antonio pepercerunt.

14. *Quid indignius.* Emendavit hunc

imposuerit diadema, quum omnes fateantur jure interfectum esse, qui abjecerit? At etiam adscribi jussit[15] in fastis ad Lupercalia, C. CÆSARI, DICTATORI PERPETUO, M. ANTONIUM CONSULEM POPULI JUSSU REGNUM DETULISSE, CÆSAREM UTI NOLUISSE. Jamjam minime miror, te otium perturbare; non modo urbem odisse, sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus[16] non solum de die[17], sed etiam in diem vivere. Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus et in judiciis esse potest, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus; Sp. Cassius, Melius, M. Manlius, necati, ut multis post sæculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romæ constitueretur? Sed ad auspicia redeamus.

XXXV. De quibus rebus[1] idibus martiis fuit in senatu Cæsar acturus, quæro, tum tu quid egisses? Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse[2] erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna populi romani. Num etiam tuum de auspiciis judicium[3] interitus Cæsaris sustulit? Sed incidi in id

locum Cicero ipse, ad Atticum, XVI, 11: « Illud etiam malo, indignissimum est hunc vivere, quam, quid indignius ». MSS tamen id servarunt, quod prius scripserat. J. V. L.

15. *Adscribi jussit*. Adnotat Dio hoc jussu Cæsaris esse factum.

16. *Perditissimis latronibus*. Quorum nomina recitat Philippica decima tertia.

17. *De die*. De die vivit qui totum diem labori debitum voluptatibus impendit; *in diem* vero, qui de crastino, de futuro tempore non est sollicitus. Vide Bentleium ad Horat. Od. III, 29, 43.

XXXV. 1. *De quibus rebus*. Cæsar antequam urbe ad bellum Parthicum proficisceretur, consulem Dolabellam suo loco substituere decreverat, ideoque relaturus erat ad senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis, utrum obnuntiatio valeret, necne.

2. *Parere necesse erat*. Innuit Cicero eam sibi fuisse sententiam, ut auspiciis eis pareretur, ne reipublicæ novæ turbæ inde concitarentur.

3. *Judicium*. Ut aliter eo mortuo sentire cœperis, ac illo vivo sentiebas. Quum ab illo periculo liberatus es, ut aut Cæsari repugnares, aut Dolabellam ementitis auspiciis repulsum

tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, prævertendum est[4]. Quæ tua fuga[5]? quæ formido præclaro illo die? quæ propter conscientiam scelerum desperatio vitæ, quum ex illa fuga, beneficio[6] eorum, qui te, si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti? O mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, quum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer, quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desiisses, similem te futurum tui[7]. Itaque quum ceteri consulares irent, redirent, in sententia mansi: neque te illo die, neque postero vidi; neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium[8] veni in ædem Telluris, et quidem invitus, quum omnes aditus armati obsiderent. Qui tibi dies[9] ille, M. Antoni, fuit? Quamquam mihi subito inimicus exstitisti, tamen me tui miseret, quod tibi invideris.

confiterere; quod accidit felicitate populi rom. qui Cæsare interfecto a servitute est liberatus; non tamen judicium tuum est sublatum, qui interfecto Cæsare statim Dolabellam collegam accepisti, quo facto te auspicia ementitum judicasti. Toto hoc loco errare Manutium Ferrarius animadvertit.

4. *Prævertendum est.* Sic e cod. Vatic. edd. multæ. Al. *prætereundum non sit.* J. V. L. — Ad hunc locum adnotat Grævius maluisse glandibus vesci Gruterum, quam frugibus in Vaticano repertis.

5. *Quæ tua fuga?* Antonius a Trebonio sevocatus, dum occideretur Cæsar, veritus postea ne ipse gladiis conjuratorum peteretur, fugit, abjecta consulari veste.

6. *Beneficio eorum.* M. Bruti præsertim qui, deliberantibus aliis, an Antonium occiderent, vetuit interfici, et Trebonii, qui Antonium sevocavit.

7. *Similem ... tui.* Improbum ac nequam.

8. *Post diem tertium.* A cæde Cæsaris idibus martiis confossi, id est, a. d. XVI kal. april. sive martii die XVII. Dies enim tertius est qui sequitur posterum, qui ab idibus commemoratis tertius est. Cicero ad Atticum, XIV, 10 et 14, scribit hoc factum esse *Liberalibus*, de quibus Ovidius, Fast. III, 713: « Tertia post idus lux est celeberrima Baccho ».

9. *Qui tibi dies ille.* Antonius cum Cicerone auctor fuit concordiæ civium; quam sibi paullo post invidit glo-

XXXVI. Qui tu vir, dii immortales! et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses? Pacem haberemus, quæ erat facta per obsidem, puerum nobilem [1], M. Bambalionis nepotem. Quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magister officii: improbum fecit ea, quæ, dum timor abest, a te non discedit audacia. Etsi tum, quum optimum te putabant, me quidem dissentiente [2], funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime, præfuisti. Tua illa pulchra laudatio [3], tua miseratio [4], tua cohortatio. Tu, tu, inquam, illas faces incendisti, et eas, quibus semiustulatus ille est, et eas, quibus incensa L. Bellieni [5] domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum [6] hominum, et ex maxima parte servorum, quos nos vi manuque repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio præclara senatusconsulta fecisti, ne qua post idus martias immunitatis tabula, neve cujusquam beneficii figeretur. Meministi ipse, de exsulibus; scis, de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturæ nomen in perpetuum de republica sustulisti. Quo qui-

riam, dum civiles discordias renovat.

XXXVI. 1. *Puerum nobilem*. Dixit εἰρωνικῶς, quum addit Bambalionis nepotem, obscuri hominis, de quo vide tertiam Philipp. cap. 6. Illius autem filiam duxerat olim Antonius. Alii addunt, *M. Antonii filium*.

2. *Me quidem dissentiente*. Quum optimum te ceteri putarent, ego vero dissentirem.

3. *Laudatio*. In ea oratione funebri tria præstitit Antonius; 1° laudavit Cæsarem, quem cum Alexandro Magno comparavit; 2° deflevit miserabiliter Cæsaris interitum; 3° multitudinem contra Cæsaris percussores concitavit.

4. *Tua miseratio*, etc. Oratione ad movendam misericordiam accommodata, et voce ad miserabilem inflexu sonum pronunciata: quam dabit Dio, XLIV, et Appian. II.

5. *L. Bellieni domus deflagravit*. Pompeiani et partium harum acerrimi propugnatoris.

6. *Perditorum hominum*. Egentium, ut ad Atticum, XIV, 10: « Servi et egentes in tecta nostra cum facibus immissi ». Præcipue autem Judæos fuisse adnotavit Suetonius, qui maximam Cæsari benivolentiam præ se ferrent, et bustum ejus continuis noctibus frequentarent.

dem facto tantum te cepisse odium regni[7] videbatur, ut ejus omnem, propter proximum dictatorem, tolleres metum. Constituta respublica[8] videbatur aliis; mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulæ figebantur: neque solum singulis veniebant[9] immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non jam singillatim, sed provinciis totis[10] dabatur. Itaque si hæc manent, quæ stante republica manere non possunt, provincias universas, patres conscripti, perdidistis: neque vectigalia[11] solum, sed etiam imperium populi romani hujus domesticis nundinis[12] deminutum est.

XXXVII. Ubi est septies millies[1] [sestertium], quod[2] in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat[3]? funestæ illius quidem pecuniæ[4]; sed tamen, si iis, quorum

7. *Odium regni*. Videbatur Antonius ita odisse regis titulum, ut dictatoris nomen, cujus regno proxima accedebat auctoritas, aboleret.

8. *Constituta respublica*. Ad quietem et reipublicæ formam revocata. Quod gallice diceremus, *constitué*.

9. *Veniebant*. Vendebantur. — *Immunitates*. Vacationes a vectigalibus pendendis, a militia, a publicis oneribus.

10. *Provinciis totis*. Sic ad Attic. XIV, 12, refert Cicero Antonium accepta grandi pecunia legem fixisse qua civitatem Siculis universis daret.

11. *Vectigalia*. Sublata infinitis immunitatibus.

12. *Domesticis nundinis*. Quum apud Antonium turpissimo mercatu omnia essent venalia.

XXXVII. 1. *Septies millies*. Gallic. 157,500,000 fr. Quam pecuniæ vim in æde Opis et Saturni collegerat Cæsar, qua in Parthico bello uteretur. Hanc omnem pecuniam intervertit et ad se traduxit. — *Sestertium*. Vocem hanc quæ a Vaticano abest, delendam censent Schegkius et Garatonius; sed servavere Grævius, Ernestius et Schützius.

2. *Quod*. Supplendum esse *pondus* censet Gronovius de Pec. vet. II, 2 et 3. Confer Casaubon. ad Plinium, ep. VII, 29, 2. — *In tabulis*. Explicat Cicero, Phil. V, 6: « cujus ratio in æde Opis confecta erat ». Quæ ratio in tabulis acceptorum et expensorum proscripta erat.

3. *Patebat*. Olim *petebat*, sine sensu. J. V. L.

4. *Funestæ illius pecuniæ*. Refertur ad *sestertium*, sive subintelligas, sive reponas. Pecunia autem illa injustis exactionibus fuerat extorta.

erat, non redderetur, quæ nos a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties H-S[5], quod idibus martiis debuisti, quonam modo ante kalendas aprilis debere desiisti? Sunt ea[6] quidem innumerabilia, quæ a diversis emebantur, non insciente te : sed unum egregium de rege Dejotaro, populo romano amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore[7] risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Dejotaro[8] Cæsar? Æque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus[9], ut omnibus, quibus rempublicam populi romani caram esse sentiebat. Igitur, a quo vivo nec præsens, nec absens rex Dejotarus quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus. Compellarat[10] hospitem præsens, computarat, pecuniam imperarat; in ejus tetrarchia unum[11] ex Græcis comitibus suis collocarat; Armeniam abstulerat a senatu datam : hæc vivus eripuit, reddidit mortuus[12]. At quibus verbis? Modo æquum sibi videri, modo non iniquum. Mira verborum complexio. At ille numquam (semper enim absenti affui Dejotaro) quidquam sibi, quod nos pro illo postularemus,

5. *Quadringenties H-S.* Gallice, 820,000. fr. — *Quonam modo.* Nisi quia pecuniam publicam intervertisti.

6. *Sunt ea.* Hic in edd. nonnullis ponuntur ista : « Quid ego de commentariis infinitis? quid de innumerabilibus chirographis loquar? » quæ init. cap. 38, aptiore loco leguntur. J. V. L.

7. *In ipso dolore.* Qui, quum dolerent oppressam a te rempublicam, impudentiam tuam stultitia implicatam non ridere non poterant.

8. *Dejotaro.* Cui tetrarchiam et Armeniam a Cæsare quia Pompeium rex sequutus erat, ademptas, tamquam ex commentariis ejusdem Cæsaris, lege restituit.

9. *Massiliensibus.* Qui Cæsari diutissime restiterunt. Adi Lucanum, I.

10. *Compellarat.* Appellarat de pecunia Cæsar Dejotarum, quum in ejus domum hospitio est exceptus.

11. *Unum.* Mithridatem Pergamenum, cui partem Gallogræciæ concesserat.

12. *Hæc vivus eripuit, reddidit mortuus.* Voluit Antonius provinciam hanc ex mortui Cæsaris commentariis restituisse videri.

æquum dixit videri. Syngrapha[13] H-S centies per legatos, viros bonos, sed timidos et imperitos, sine nostra, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in gynæceo: quo in loco plurimæ res venierunt et veneunt. Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Cæsaris, simul atque audivit ejus interitum, suo Marte res suas recuperavit. Sciebat homo sapiens, jus semper hoc fuisse, ut, quæ tyranni eripuissent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur jureconsultus, ne iste quidem[14], qui tibi uni est jureconsultus, per quem hæc agis, ex ista syngrapha deberi dixit pro iis rebus, quæ erant ante syngrapham recuperatæ. Non enim a te emit: sed priusquam tu súum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir fuit[15]: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.

XXXVIII. Quid ego de commentariis infinitis? quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores[1] sunt, qui ea, tamquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur[2] pecuniæ. At quam cæca

13. *Syngrapha*. Schedula obligationis, qua nomine Dejotari promittebatur centies H-S, id est, 2,050,000 fr. Facta est in gynæceo, seu cubiculo Fulviæ.

14. *Ne iste quidem*. Suspicatur Manutius Clodium esse scribam, quem ab exsilio Antonius revocaverat.

15. *Ille vir fuit*. Dejotarus fortem et strenuum se præstitit, ut virum decebat; nos vero ignavi et contemnendi, qui quum Cæsarem auctorem oderimus, ejusdem acta et leges defendimus.

XXXVIII. 1. *Imitatores*. Tanta subjiciendorum commentariorum per te inducta est licentia, ut alii quoque exsistant, tui imitatores ac æmuli, qui etiam componant, postea vendant; ut vendi solent ii libelli, quibus futura gladiatorum pugna et singulorum parium compositio describitur. Quod more simili nos vocamus *des programmes de spectacle*.

2. *Non numerentur*. Eodem sensu Horat. Sat. I, 1: « Umidius quidam, non longa est fabula, dives Ut metiretur nummos ».

avaritia est[3]! Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimæ Cretensium [vectigalibus[4]] liberantur; statuiturque, ne post M. Brutum proconsulem[5] sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus[6]? An Cæsaris decreto Creta post M. Bruti decessum[7] potuit liberari, quum Creta nihil ad Brutum[8], Cæsare vivo, pertineret? At hujus venditione decreti, ne nihil actum putetis, provinciam Cretam perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exsulibus[9] legem, quam fixisti, Cæsar tulit? Nullius insector[10] calamitatem: tantum queror, primum eorum reditus æquatos[11], quorum causam dissimilem Cæsar judicarit; deinde nescio, cur reliquis idem non tribuas. Neque enim plus quam tres, aut quatuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui[12]? de quo

3. *Quam cæca avaritia est!* Quam imprudentes sunt avari, qui media luce ea scelera committant, quibus nullam excusationem possunt prætexere!

4. *Vectigalibus*. Garaton. Wernsdorf. etc. vocem eam expungendam censent, quod et a Vaticano absit, et solemne sit dicere « agros, civitates liberare », ut Verr. II, 31; Agr. II, 21; Attic. XVI, 16.

5. *Post M. Brutum proconsulem*. Cui senatus provinciam hanc, interfecto Cæsare, decreverat.

6. *Constringendus*. Ut insanus et furiosus.

7. *Creta post M. Bruti decessum*. Quia decesserat urbe, ut iret in provinciam.

8. *Nihil ad Brutum*. Quum Cæsar Cassio Syriam, Bruto Macedoniam destinasset.

9. *De exsulibus legem*. Quos a Cæsare in exsilium actos Antonius suppositis ejusdem commentariis revocaverat.

10. *Nullius insector calamitatem*. Quæ dicturus sum, non in eam partem accipi velim, quasi alicujus insecter calamitatem, et eos omnes restitutione indignos judicem, qui a te fuerunt revocati.

11. *Æquatos*. Vulg. olim legebatur *inquinatos*, quod Lallem. servavit. Fere omnes ceteri emendationem Camerarii amplectuntur. J. V. L.

12. *In loco patrui*. Eodem loco quo patruum tuum, C. Antonium olim habuisti, quum tribunus esses. Illo enim anno, compluribus revocatis exsulibus, solum patruum non revocaverat. De quo Antonio si plura vis adi longiores Abramii et Garatonii notas in edit. Wernsd.

ferre, quum de reliquis ferres, noluisti; quem etiam ad censuram petendam[13] impulisti, eamque petitionem comparasti, quæ et risus hominum, et querelas moveret.

Cur autem ea comitia non habuisti? An quia tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat? Quum tua quid interest, nulla auspicia sint[14]; quum[15] tuorum, tum sis religiosus? Quid? eumdem in[16] septemviratu nonne destituisti? Intervenit enim[17]. Quid[18] metuisti? credo, ne salvo capite negare non posses. Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. Filiam ejus, sororem tuam[19], ejecisti, alia conditione[20] quæsita, et ante perspecta[21]. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam feminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu ka-

13. *Ad censuram petendam.* Quum eum non modo absentem, sed exsulem censuram petere impulisti; quod *risus* movit ob novitatem; *querelas* ob tantum virum, patruum tuum tam fœde a te elusum.

14. *Sint.* Garaton. e Vatican. *sunt;* et post, *fis rel.* J. V. L.

15. *Quum tuorum.* Quum de re tua agitur, nihil auspicia curas, quum vero de tuis, tunc esse incipis religiosus. Quum fers legem de provinciis tibi et collegæ tuæ Dolabellæ dandis, aut alias leges quæ utilitati tuæ inserviant, eas inter fulmina et tonitrua ferre non dubites; quum vero agitur tui patrui honos et dignitas, tum ita religiosus es, ut tribuni obnuntiationi pareas.

16. *In septemviratu.* Quum dividendo militibus agro Campano et Leontino, septemviros omisso patruo præfecisti.

17. *Intervenit enim.* Manutius de fulmine agi credit. Ego malim cum gallico interprete credere interruptam esse phrasim, ita ut Antonii dicentis sit: supervenit aliquid... statimque orator respondeat.

18. *Quid metuisti?* Qui fit, ut eum non adjuveris? Num quidquam metuebas? Timuisti, intelligo, ne capite, id est, statu tuo fores deminutus, si eum non destitueres. Quæ sententia ironica, ut in his tenebris sententiam ferre licet, videtur.

19. *Sororem tuam.* Antoniam patrui tui filiam, ac proinde sororem patruelem.

20. *Alia conditione.* Ante repudium uxoris, circumspecta alia uxore, quam duceret, nempe Fulvia.

21. *Perspecta.* Grævius corrigit *prospecta;* Ernest. probavit. J. V. L. — Vetus verbum malim, quod optime ad Fulviam referatur, procacem feminam, ut ex Augusti epigrammate patet apud Martial. XI, 20, 4.

lendis januariis, sedente patruo[22], hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris?

XXXIX. Sed ad chirographa redeamus : quæ tua fuit cognitio[1]? Acta enim Cæsaris pacis causa confirmata sunt a senatu; quæ quidem[2] Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo auctore[3] proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex kalendis juniis de Cæsaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem umquam advocasti[4]? quas kalendas junias exspectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? O præclaram illam percursationem tuam mense aprili, atque maio, tum, quum etiam Capuam coloniam deducere[5] conatus es! Quemadmodum illinc abieris, vel potius pæne non abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris[6]. Utinam conere, ut ali-

22. *Sedente patruo*. Non enim, repetundarum damnatus Antonius, jus ad senatum eundi amiserat. Toto hoc loco errat Manutius.

XXXIX. 1. *Quæ tua fuit cognitio?* An recognovisti chirographa Cæsaris, cum delectis a senatu, ne postea quis ea posset adulterare?

2. *Quæ quidem*. Sed ea tantum quæ egisset Cæsar.

3. *Quo auctore*. Quis eorum veritatem asserit, præter unum Antonium?

4. *Advocasti*. Quidam e MS Vatic. *convocasti:* quod quum non bene conveniat singulari, Grævius vult legi *quos*. Vulgatum recte se habet. Ernest. J. V. L.

5. *Coloniam deducere*. Antonius, quo sibi veteranorum animos arctius obligaret, Capuanorum agros illis assignare decrevit, et novam illuc coloniam deducere. Quem autem Capuam accedentem veteres coloni armis repulerunt, parumque abfuit, quin eum occiderent, et hoc est quod dicit «pæne non abieris».

6. *Urbi minitaris*. Capuæ, cui ideo minitabatur Antonius, quod eum expulerat, et Octaviano magis favebat,

quando illud pæne[7] tollatur! At quam nobilis est tua illa peregrinatio? Quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt: illa nostra[8]. Agrum Campanum, qui quum de vectigalibus eximebatur[9], ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicæ vulnus putabamus, hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas. Mimos dico et mimas, patres conscripti, in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes[10], Campana et Leontina[11], in populi romani patrimonio grandi fœnore[12] et fructuosæ ferebantur. Medico tria millia jugerum, quasi te sanasset[13]; rhetori[14] duo, quasi te disertum facere potuisset. Sed ad iter[15] Italiamque redeamus.

XL. Deduxisti coloniam Casilinum[1], quo Cæsar ante deduxerat. Consulùisti me per literas de[2] Capua tu quidem; sed idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam jure

cujus pater Cæsar eo veteranos deduxerat. Sueton. Cæs. 20.

7. *Illud pæne.* Non jam *pæne* non abeas, sed non omnino; itaque ibi interficiare.

8. *Illa nostra.* Illa vero quæ sequuntur.

9. *Eximebatur.* Lege Julia, ut refert Suetonius.

10. *Arationes.* Agri publici, de quibus sæpius in tertia Verr. de frumento.

11. *Campana et Leontina.* Al. habent, *Campani et Leontini*; alii insititia hæc verba putant, quod Ernest. credit. Omisit Wernsdorf. J. V. L.

12. *Grandi fœnore.* Feracissimæ et maximi emolumenti ferebantur. Conf. Agrar. II, 29, 30. Olim legebatur « grandiferæ ».

13. *Quasi te sanasset.* Muret. edidit e MS Vatican. « quid, si te sanasset?... quid, si te disertum facere potuisset? » Magis oratorie. J. V. L. — Alii, « te sanum fecisset ».

14. *Rhetori.* Sext. Clod. de quo sup.

15. *Iter.* Quod nempe fecisti peragrando colonias veteranorum in Italia constitutas.

XL. 1. *Casilinum.* Urbs est Campaniæ ad Vulturnum amnem sita, in quam Cæsar veteranorum colonias deduxerat, agrosque singulis assignarat. Quum multi adhuc superessent milites, quibus agri deessent, eos post necem Cæsaris Antonius in colonias deduxit, novamque coloniam Casilinum transcripsit.

2. *De Capua.* An colonia huc posset deduci.

deducere? Negavi, in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres[3], et aratrum circumduceres[4]: cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perstrinxisti[5], ut florentis coloniæ territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione[6] advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri, fundum Cassinatem[7]. Quo jure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii prædia, quo in reliquas innumerabiles possessiones. Et si ab hasta[8], valeat hasta, valeant tabulæ, modo Cæsaris, non tuæ; quibus debuisti, non quibus tu te liberavisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis veniisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam, qui emeret a Cæsare. Ipsum enim exspectare magnum fuit. Quis vero au-

3. *Tolleres*. Id est, erigeres vexillum, quod in coloniis deducendis præferebatur. Quem morem fusius omnino describit in notis suis Garatonius. — Sic optime Græv. e Vat. pro vulg. *videres*. J. V. L.

4. *Circumduceres*. Ad figendos coloniæ terminos.

5. *Perstrinxisti*. Ad usque Capuæ portas aratrum circumduxisti, ut ex ejus coloniæ damno nova tua cresceret colonia. Garatonius malit « præstrinxisti ».

6. *Religionum perturbatione*. Postquam auspicia perturbasti sic, ut consecratam auspiciis coloniam violares, et novam induceres, per summam injuriam Varronis fundum invasisti.

7. *Cassinatem*. Quem ipse sic describit Varro: « Quum habeam sub oppido Casino flumen quod per villam fluat liquidum et altum marginibus lapidibus, latum pedes LVII, et e villa in villam pontibus transeatur » de Re Rust. III, 13.

8. *Si ab hasta*. Si hastæ auctionariæ jure eam invasisti villam, jam nihil addo; modo illud in Cæsaris commentariis, non vero in tuis, scriptum reperiatur. Jam credo tabulis, sed illis quibus debuisti magnam pecuniæ vim, pro sectione bonorum Pompeii; non vero illis, quas tu ipse finxisti, per quas omni ære alieno te liberasti. — Ernest. conjicit, *Quod si ab hasta*. J. V. L.

divit umquam (nullius autem salus[9] curæ pluribus fuit), de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quid? si etiam scripsit ad te Cæsar, ut redderes, quid satis potest dici de tanta impudentia? Remove gladios[10] parumper illos, quos videmus. Jam intelliges, aliam causam esse hastæ Cæsaris, aliam[11] confidentiæ et temeritatis tuæ. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit.

XLI. At quam multos dies in ea villa turpissime est perbacchatus? Ab hora tertia[1] bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, « quam dispari domino[2]! » Quamquam quomodo iste dominus? Sed tamen quam a dispari tenebantur! Studiorum enim suorum[3] M. Varro voluit esse illud, non libidinum deversorium. Quæ in illa villa antea dicebantur? quæ cogitabantur[4]? quæ literis mandabantur? Jura populi romani, monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrinæ. At vero, te inquilino[5], non enim domino, personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis[6]; scorta inter matres familias versabantur. Cassino salutatum veniebant, Aquino,

9. *Nullius autem salus.* Nullius enim civis incolumitatem tam multi, tanta sollicitudine, curaverunt.

10. *Remove gladios parumper illos.* Quibus strictis in Varronis bona invasisti.

11. *Aliam confidentiæ.* Temerariæ audaciæ.

XLI. 1. *Ab hora tertia.* Contra ceterorum morem, qui vix ante nonam solebant accumbere.

2. *Quam dispari domino!* Versiculus poetæ antiqui, sic jam adhibitus in lib. I, cap. 39, de Offic. « O domus antiqua, heu! quam dispari dominare domino! » J. V. L.

3. *Studiorum suorum.* Quamdam enim villæ hujus partem Varro ipse *Musæi* nomine consecraverat, ut videre est de Re Rust. III, 5.

4. *Quæ cogitabantur?* Id in nullo scripto libro invenerunt Ferrar. Græv. Heusing. uncis inclusit; habet tamen Vatican. J. V. L.

5. *Inquilino.* Dominus in proprio habitat, inquilinus in conducto.

6. *Cum meritoriis.* Iis, qui quæstum corporis faciunt.

Interamna. Admissus est nemo. Jure[7] id quidem. In homine enim turpissimo obsolefiebant[8] dignitátis insignia. Quum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit, ut est frequens municipium, magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates[9]: sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui quum essent devii, descenderunt, ut istum, tamquam si esset consul[10], salutarent. Incredibile dictu; tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum: præsertim quum duos secum Anagninos haberet, Mustellam et Laconem[11]; quorum alter gladiorum est princeps[12], alter poculorum. Quid ego illas istius minas contumeliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod Cassium et Brutos patronos adoptassent? Magno quidem judicio, studio, benivolentia, caritate, non ut te, ut Basilum[13], vi et armis, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo illorum cliens esse.

XLII. Interea dum tu abes, qui dies ille[1] collegæ tui fuit, quum illud, quod tu venerari solebas, bustum

7. *Jure.* Nemo salutator merito est admissus: ita vilescebant enim in Antonio dignitatis insignia, sicut consulatus, etc. ut jam non digna essent, quibus solemnia officia præstarentur.

8. *Obsolefiebant.* Schütz. cum Ernest. maluit « obsolebant ».

9. *Stulte Aquinates.* Stulte fecerunt Aquinates, qui tibi homini superbo et arroganti obviam processerunt; sed excusationem habebant, quod propter viam habitarent.

10. *Consul.* Cur Antonium neget esse consulem, vide Phil. III, 3.

11. *Mustellam et Laconem.* Al. ex Epist. ad Attic. XVI, 2, hos putant a Cicerone hic nominatos non fuisse. Sed forte ab ipso posthac nomina addita sunt. J. V. L.

12. *Gladiorum est princeps.* Dux est manus ejus, quæ ad vim faciendam ab Antonio est comparata.

13. *Basilum.* De homine hoc vide Offic. III, 18. Eumdem in Juvenalis versu, X, 221, significari putat Abramius.

XLII. 1. *Qui dies ille.* Quum columnam hanc Cæsari exstructam, Dolabella evertit, servos in crucem egit. De facto hoc vide Phil. I, pass. ad Atticum, XIV, 17 et 18; Sueton. in Jul. 85.

in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti[2]. Quid evenerit postea[3], nescio. Metum credo valuisse[4], et arma. Collegam quidem de cælo detraxisti[5]; effecistique non tu quidem[6] etiam nunc[7], ut sit similis tui, sed certe, ut dissimilis esset sui. Qui vero inde reditus Romam? quæ perturbatio totius urbis? Memineramus Cinnam nimis potentem; Sullam postea dominantem; modo regnantem Cæsarem videramus. Erant fortasse gladii, sed[8] absconditi, nec ita multi. Ista vero quæ, et quanta barbaria est? Agmine quadrato[9] cum gladiis sequuntur milites : scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis, patres conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendiis juniis quum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. At[10] iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam, et potius discessu nostro lætatus est, statimque illa

2. *Concidisti.* Animo : terrore es exanimatus. Sic Philipp. V, cap. 9 : « Quo ille nuntio audito, repente concidit ».

3. *Quid evenerit postea.* Quid Dolabellam ab hujus diei mente deduxerit, non scio. Verum Cicero se ignorare fingit, quod apprime sciebat, corruptum Antonii pecunia fuisse Dolabellam.

4. *Metum credo valuisse.* Frigida est excusatio, quod quidem in epistolis fatetur Cicero, nec ipse in Philippica prima dissimulavit. Ad Atticum, XIV, 21 et 22.

5. *De cælo detraxisti.* Ad quod omnes eum tollebant. Magnifica est translatio.

6. *Non tu quidem.* Elegantissime pro « non quidem ». Conf. Tursell. de Partic. CCXIII, 8.

7. *Etiam nunc.* Ad illud tempus negat Dolabellam Antonii similem factum, de futuro nihil præstare potest. Additum hoc videtur, ut de laudibus Dolabellæ deruerat cumulum, quemadmodum scribit ipse ad Atticum, XVI, 11.

8. *Sed absconditi.* Al. *sed ii*, vel *sed tamen.* J. V. L.

9. *Agmine quadrato.* Qui mos est hostium in captam urbem intrantium. De agmine quadrato Schelium adeas in dissertationibus ad Hyginum et Polybium, cap. 11.

10. *At iste.* Antonius qui sua libidine, non publico consilio, volebat administrare remp. adeo neminem desideravit, ut potius sit lætatus. Heusinger. ex Ienens. legit, « at tibi iste », quem elegantem pleonasmum mire amplectitur.

mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causa, is leges Cæsaris, easque præclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit. Numerum annorum[11] provinciis prorogavit; idemque, quum actorum Cæsaris defensor esse deberet, et in publicis, et in privatis rebus acta Cæsaris rescidit. In publicis nihil est lege gravius; in privatis firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit; alias ut tolleret[12], promulgavit. Testamentum irritum fecit; quod etiam infimis civibus semper obtentum est[13]: signa, tabulas, quas populo Cæsar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeii deportavit, partim in villam[14] Scipionis.

XLIII. Et tu in Cæsaris memoria diligens[1]? tu illum amas mortuum? Quem is honorem majorem consequutus erat, quam ut haberet pulvinar[2], simulacrum[3], fastigium[4], flaminem? Est ergo flamen, ut

11. *Numerum annorum*. Legem tulerat Cæsar, de certo annorum numero, quibus provinciæ obtinerentur; nempe ut prætoriæ non plus quam annum; consulares ne plus quam biennium servarentur. Qua lege sublata, Antonius declaravit prætorias per biennium, consulares per sexennium posse obtineri.

12. *Tolleret*. Sic optimi MSS. Al. post *tolleret*, addunt *promulgatas*. Cf. ad calcem orationis. J. V. L.

13. *Obtentum est*. Servatum, custoditum, non mutatum. Sic mendacium obtinetur, quum valet et ei creditur.

14. *In villam Scipionis*. In Tiburtinum Metelli Scipionis.

XLIII. 1. *Diligens*. Volebat Antonius in honoranda Cæsaris memoria diligens ac strenuus videri, ut hoc pacto veteranos sibi conciliaret, eorumque opibus confirmatus suam potentiam stabiliret. Ostendit Cicero eum non demortui Cæsaris, sed lucri sui ac utilitatum habuisse rationem.

2. *Pulvinar*. Pulvinaria diis attributa, quod eorum simulacra in pulvinaribus ponerentur.

3. *Simulacrum*. Aliquid fuit amplius humano fastigio, quod diis tantum decernebatur, quum statuæ hominibus ponerentur. Tranquillus, cap. 76, a senatu decretam tradit, « sedem auream in curia et pro tribunali, thensam et ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos, etc. » Confer Dion. lib. XLIII et XLIV.

4. *Fastigium*. Cæsaris honori delatum, ut tamquam in æde sacra, sic in ejus domo fastigium poneretur, quum contra privatæ ædes planæ essent. Porro tectum illud fastigio ornatum

Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius? Quid igitur cessas? cur non inaugurare[5]? Sume diem: vide, qui te inauguret. Collegæ sumus; nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui[6]! Quæro deinceps, num, hodiernus dies qui sit[7], ignores. Nescis, heri[8] quartum in circo diem ludorum romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsari tua lege datum deseri patimur? An supplicationes addendo[9] diem contaminari passus es; pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. Quæres, placeatne mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem. Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quæstu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad hæc[10] tandem? exspecto enim[11] eloquentiam tuam. Disertissimum cognovi avum tuum[12]; at te etiam apertiorem[13] in dicendo. Ille numquam nudus est con-

satis per se indicabat, Cæsari divinos attribui honores, eumque præsens numen esse habendum, ac ejus domum in templi morem colendam. Vide indic. verb.

5. *Non inaugurare?* Cur non sacerdos Julii per augurem et certis ritibus consecraris?

6. *Mortui.* Quomodo enim deus fuit, si mortuus? Si tyrannus, cur colitur?

7. *Hodiernus dies qui sit.* Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi in circo celebrabantur, quintus in Cæsaris honorem adderetur.

8. *Heri.* Orationem hanc Tullium non recitasse in plano est; sed habitam eo die finxit, quo ab Antonio jussus adesse, in senatum armorum metu non venit, et quo in ipsum dixit Antonius. Qui dies fuit XIII kal. octob. qui dies quintus erat ludorum romanorum.

9. *Supplicationes addendo.* Quasi deus Cæsar esset; quum tamen ei pulvinaria tribuere nolueris. Tecum ipse consta, et aut omnia serva, aut omnia tolle.

10. *Quid ad hæc.* Quid ad objecta respondebis?

11. *Exspecto enim eloquentiam.* Al. MSS omittunt *enim*. J. V. L.

12. *Avum tuum.* De Antonii oratoris eloquentia plura dabunt de Oratore inscripti libri.

13. *Apertiorem.* Jocus ex ambiguo, quo corporis nuditatem carpit, quum

cionatus; tuum hominis simplicis pectus[14] vidimus. Respondebisne ad hæc? aut omnino hiscere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas?

XLIV. Sed præterita omittamus. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. Cur armatorum corona senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium maxime barbaros, Ithyreos[1], cum sagittis deducis in forum? Præsidii sui causa[2] se facere dicit. Nonne igitur millies perire[3] est melius, quam in sua civitate sine armatorum præsidio non posse vivere? Sed nullum est istuc, mihi crede, præsidium. Caritate et benivolentia civium septum oportet esse, non armis. Eripiet[4], extorquebit tibi ista populus romanus, utinam salvis nobis! sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tua minime avara conjux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo romano tertiam pensionem[5]. Habet populus romanus, ad quos gubernacula

perspicuitatem orationis laudare videtur. Quæ ironia in sequentibus verbis continuatur.

14. *Pectus*. Quum Lupercus concionatus est.

XLIV. 1. *Ithyreos*. Barbaros ab Ithyra urbe in monte Tauro. Confer ad cap. 8 hujus orationis.

2. *Præsidii sui causa*. Quod multorum insidiis se appeti fingeret.

3. *Millies perire*. Appianus olim Cæsarem refert respondisse, οὐδὲν ἀτυχέστερον διηνεκοῦς φυλακῆς · ἔστι γὰρ ἀεὶ δεδιότος. Et Velleius dictitasse « mori se quam timeri malle ».

4. *Eripiet*. Populus romanus hæc arma, quibus circumfusus es et stipapatus, a manibus custodum tuorum eripiet.

5. *Tertiam pensionem*. Mortem tuam; quum duas jam persolverit, interfectis prioribus maritis Clodio et Curione. Porro ut illud intelligatur in memoriam revocandum sæpius dotem tribus pensionibus solvi. Itaque minime avara Fulvia et quæ veluti maritos prodigat, eosque ad pœnas reipublicæ dandas consiliis suis præcipites agat, jam efficiet ut etiam Antonius pœnas exsolvat, sicuti priores exsolverunt,

reipublicæ deferat : qui ubicumque terrarum[6] sunt, ibi est omne reipublicæ præsidium, vel potius ipsa respublica, quæ se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adolescentes nobilissimos[7], paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes[8] : tamen a republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce[9] est, et ipsa res salutaris; sed inter pacem, et servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas : servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.

Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persequutus: qui tum rex fuit, quum esse Romæ regem liceret. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius, propter suspicionem regni appetendi, sunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem[10] impetum fecerunt. Quod quum ipsum factum per se præclarum est atque divinum[11], tum expositum ad imitandum, præsertim

quoniam, ut ipse supra dixit, id domi est, quod fuit illorum utrique fatale.

6. *Ubicumque terrarum sunt.* Nam patriæ liberatores, ut ipse ait, urbe carebant ea cujus a cervicibus jugum servile dejecerant.

7. *Adolescentes nobilissimos.* Brutos, Cassium, etc. Brutum etiam adolescentem vocat Cornelius Nepos, quum jam prætor esset, ac proinde ad annum 39 pervenisset.

8. *Otio consulentes.* Non metu mortis, sed pacis ergo et concordiæ civium.

9. *Nomen pacis dulce.* Inde Gregorius Nazianz. Orat. 14 : Εἰρήνη φίλη, τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα, καὶ ὄνομα.

10. *Regnantem.* Brutus et ceteri libertatis propugnatores primi cum gladiis in Cæsarem, non regnum appetentem, sed regnantem jam et tyrannice dominantem impetum fecerunt.

11. *Divinum.* Factum hoc ubique ad cælum tollit Cicero ; erat enim, ut adnotavit Cl. *Montesquieu*, quoddam gentium jus, et insita omnibus opinio tum in Græciæ, tum in Italiæ civitatibus; ut qui tyrannum occidisset, is præclarissimus et summa virtute vir existimaretur. *Grandeur des Romains*, cap. 11. Confer de Offic. III, 4, et ad h. l. adnotata.

quum illi eam gloriam consequuti sint, quæ vix cælo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali[12] immortalitatem non arbitror contemnendam.

XLV. Recordare[1] igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti; pone ante oculos lætitiam senatus populique romani; confer cum nummatione[2] tua, tuorumque[3]; tum intelliges, quantum inter laudem, et lucrum intersit. Sed nimirum, ut quidam, morbo aliquo et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi veræ laudis gustum[4] non habent. Sed, si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a fœdissimis factis potest avocare? Judicia non metuis[5]: si propter innocentiam, laudo; si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo judicia non timeat, quid timendum sit? Quod si non metuis viros fortes egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis: tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quæ est autem vita, dies et noctes timere a suis? nisi vero[6] aut majoribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit

12. *Mortali*. Illi enim est immortalitas nominis expetenda, nisi velit silentio vitam transire pecudum similis.

XLV. 1. *Recordare*. Pulcherrimum Antonii factum in memoriam revocat, quo veluti gloriæ stimulo ad virtutem revocetur.

2. *Nummatione*. Anton. Augustin. et Victor. in Ep. V, 8, correxerunt *nundinatione*. Ernesti probat, quoniam et supra eam orator exprobravit Antonio. Quam ad hunc locum varient codices, vix dicere in promptu est. J. V. L.

3. *Tuorumque*. Fratrum ac præsertim conjugis Fulviæ.

4. *Gustum*. Edd. Faern. Muret. Manut. Lambin. Græv. Lallem. e MS Vatican. dedere *gustatum*. J. V. L.

5. *Judicia non metuis*. Præoccupatio, quasi respondeat Antonius: Quid me terrere quæris, judicia non metuo. Contra Cicero: Si jus et judicia non times, saltem vim et arma reformida.

6. *Nisi vero*. Nisi tibi timendum nihil putes, quod majoribus beneficiis viros obligatos habeas quam habuit Cæsar, qui tamen ab iis est interfectus, quibus soli dii majora tribuere potuissent, quum eis vitam condonasset.

ex iis, a quibus est interfectus, aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literæ[7], cura, cogitatio, diligentia; res bello gesserat, quamvis reipublicæ calamitosas, attamen magnas; multos annos[8] regnare meditatus, magno labore, multis periculis, quod cogitarat, effecerat; muneribus, monumentis, congiariis[9], epulis multitudinem imperitam lenierat; suos præmiis, adversarios clementiæ specie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati partim metu, partim patientia, consuetudinem serviendi.

XLVI. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum; ceteris vero rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo reipublicæ sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit jam populus romanus, quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Hæc igitur non cogitas? nec intelligis, satis esse[1] viris fortibus didicisse, quam sit re[2] pulchrum, beneficio[3] gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? An, quum illum homines non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas exspectabitur.

7. *Literæ*. Sic MS Vatic. Al. multi, pro *literæ*, *cura*, habent *literatura*.

8. *Multos annos*. Ab anno conditæ Urbis 690 Luc. Cæsare, C. Figulo coss. quo gessit ædilitatem, quindecim annis ante ædilitatem. Refert Suetonius c. 9, ex quadam Ciceronis ad Axium epistola, ipsis, ut videtur, Tullii verbis, « Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo ædilis cogitarat ». Confer etiam cap. 22, 26 et 39.

9. *Congiariis*. Munus erat imperatoris gratuitum quod in plebem erogabatur, et certa pecunia continebatur. « Populo autem, ut ait Suet. 30, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit, et hoc amplius centenos pro mora ».

XLVI. 1. *Satis esse viris fortibus*, etc. Vel si fructus præterea nullus consequatur.

2. *Re pulchrum*. *Re* additum fuit e cod. Vatican. et Leid. Et id verbum postulabat illa ex paribus membris concinnitas. J. V. L.

3. *Beneficio gratum*. Pro eo quod patriæ debemus.

Respice, quæso[4], aliquando rempublicam, M. Antoni; quibus ortus sis[5], non quibuscum vivas[6], considera: mecum, ut voles[7]; cum republica redi in gratiam. Sed de te tu ipse videris; ego de me ipso profitebor. Defendi rempublicam adolescens; non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios; non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari[8] morte mea libertas civitatis potest: ut aliquando[9] dolor populi romani pariat, quod jamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari[10], quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, patres conscripti, jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum[11], quasque gessi. Duo modo hæc[12] opto: unum, ut moriens populum romanum liberum relinquam; hoc mihi majus a diis immortalibus dari nihil potest; alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur.

4. *Respice, quæso.* Redi ad te ipsum, et reflecte oculos ad rempublicam.

5. *Quibus ortus sis.* Majorum tuorum gloriam considera.

6. *Non quibuscum vivas.* Cum Sex. Clodio, Colophone, Saxa, Mustela, ceterisque reip. pestibus.

7. *Ut voles.* Id relinquo tuæ optioni, ut vel mihi reconcilieris, vel inimicitias mecum exerceas.

8. *Repræsentari.* Maturius afferri, statim reddi et restitui. Sic apud bonos, « pecuniam, beneficium repræsentare ».

9. *Ut aliquando.* Paratus sum gladiis tuis interfici, ut dolor populi romani, quem ex libertate amissa suscepit, mea morte exacerbatus recrudescat.

10. *Immaturam consulari.* In Catil. IV, 2.

11. *Quas adeptus sum.* Hæc ad honores pertinent.

12. *Duo modo hæc.* Claudit orationem duplici voto, ut moriens liberam civitatem relinquat, et ut boni cives sint florentes ac beati, seditiosi autem meritas scelerum pœnas exsolvant.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 1, pag. 114 :

Tuamque a me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putavisti.

Tuamque a me alienationem ad cives impios tibi gloriæ fore putavisti. Sic l. Col. « Tuamque a me alienationem commendationem tibi ad impios civeis fore putavisti ». Quem ut sincerum putem, non solum id fecit, quod nec id verbum ejusmodi est, ut ipsum quivis referre potuerit, et is liber ex omnibus minime mendosus est, atque huic unum atque alterum librum (ut ita dicam) subscribentem postea reperi : sed illud etiam, quod in Lang. multisque aliis libris ita scriptum offendi, « Tuamque a me alienationem tibi ad impios cives fore putavisti ». Quo animadverso, pro certo habui id verbum *gloriæ*, s. ab aliquo esse suggestum, qui huic periodo aliquid deesse vidisset. Eamdem autem rem iisdem fere verbis dixit in Phil. V, « Neminem me æquiorem reperiet, cui quidem, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus maluit ». Nonnulli pro *ad*, *apud* reponunt : quasi vero *ad* non valeat *apud*, aut, quum habet eamdem vim, non ita valde usitatum sit : sexcentos locos proferre possem, sed ne multus sim in re minime dubia, ero contentus uno in ep. ad Attic. qui huic geminus ac simillimus est, « Quæ etiam ad ceteros contempti cujusdam hominis commendatio ». Ab eadem inscitia depravatus ille locus est in III Comm. belli Gallici, « Quod nomen apud omneis nationes sanctum inviolatumque semper fuisset ». In veteribus enim libris non *apud*, sed *ad* scriptum est. Ferr. — *Commendationem tibi ad impios cives. Apud impios* Ant. Angustinus. F. Ursin. — *Tuamque a me*

alienationem tibi ad civeis impios gloriæ fore putasti. Retinui lectionem vulgatam; quæ item restat in Pal. prim. Ferrarii emendatio, « alienationem commendationem tibi ad impios civ. fore putavisti », resipit sane glossam, alteraque tantumdem valet. GRUT. — Sane et pater ex MS notavit, « tibi ad impios cives fore commendationem putavisti: » et cap. 3, « quod quidem cujus »; cap. 4, « hic isto »; et « quanta jam », et « crimen meum ». GRON. — Requiro hic judicium Gruteri. Nihil certius emendatione Ferrarii, ex MSS hausta, quam jure probarunt in suis editionibus Muretus, Faernus, Manutius, Lambinus. GRÆV. — Dubitandum non videbatur, quin idem in Vaticano esset, quod in Colotiano Ferrarius, in Coloniensi Græsvius invenit. Nunc testor, in eo sic legi: « commendationem tibi ad impios civis fore putavisti ». Mei deteriorem lectionem habent: tantum Barb. sec. haud scio, an melius, *putasti*. Infra: « non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus ». Non igitur gloriam quæsivit, sed commendationem ac fidem. Drakenborchium miror ad Liv. III, 48, lectionem deteriorem illam maluisse; qua quidem ipsa est abusus, quum alienationem a Tullio « ad cives impios » ita intellexit, ut ad quos transierit Antonius, significari putaverit. Nam in ea quoque lectione *ad* valuisset *apud*, ut gloria significaretur apud eos quæsita, quorum benivolentiam captabat Antonius. GAR.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 2, pag. 115:

Contra rem suam me, nescio quando, venisse questus est.

Contra rem suam venisse me. In libris v. est structura levior, hoc modo, « Contra rem suam me, nescio quando venisse questus est ». Abram. — Sic et Græv. codex. — *Contra rem.* Res est obscurior, nec ullis Veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis, hominis libertini, sed admodum opulenti, filia: de qua tertia Philippica: « Tuæ conjugis, bonæ feminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit ». Bambalio, ut erat ditissimus, aliis dabat partes, alios mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio quum suæ causæ, si ex formula et edicto prætoris ageretur, diffideret, a quodam tribuno plebis per M. Antonium, generum suum, impetravit, ut is illi judicio intercederet, juberetque diem proferri, quoad alii judices in Bambalionem propensiores constituerentur, vel totius judicii mutari rationem. Actor obtinendæ causæ spe dejectus, nisi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem suum defendit contra hanc iniquæ intercessionis injuriam, ejusque causam egit, etiam illa formula, qua tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato judicio, et iniquis conditionibus, ille jus suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone

fuisse violatam. Negat orator, et illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes: 1° Quod ille familiaris esset, alienus Bambalio; 2° Quod ille obrueretur gratia M. Antonii; 3° Quod contra omnem juris formam, intercessione tribuni plebis, prohiberetur consuetis formulis jus suum experiri. Abram. — *Contra rem suam me venisse.* Res ipsa obscura est: tantum apparet, fuisse nescio quem, qui Antonio, ære alieno oppresso, pecuniariam litem intenderit: Antonium, qui causæ suæ diffideret, tribuni plebis opem implorasse: Ciceronem accusatoris, tribuni intercessione a judicio repulsi, partes suscepisse. Abrami commentum mihi parum fit probabile. Ceterum hic ordo verborum est etiam in Ienensi. Heus. — Pro Amer. 50: « Scis hunc... nihil umquam contra rem tuam cogitasse, et tamen oppugnas eum, etc. » Gar. — Hujus loci sensum interpretes obscurarunt. Nimirum Abramus putat, Ciceronem h. l. causam spectare Q. Fadii Bambalionis soceri, quem habuit Antonius, cui litem quum intenderit aliquis Ciceronis familiaris in re pecuniaria, Antonium, suspicatum quippe, socerum superatum iri, si ex jure ageretur, impulisse aliquem tribunum plebis, ut intercessione sua ejus causa impediretur et differretur, quoad alii judices constituerentur. Heusingerus autem quamquam isti Abrami opinioni, soceri aliquam causam spectare oratorem, diffidat: tamen *alienum* quum dicat Cicero, Antonium significari contendit, verba autem « non virtutis spe, sed ætatis flore collectam » referenda esse ad amicos potentes, apud quos in gratia Antonius fuerit, ac nominatim ad illum tribunum plebis, qui postea vocetur « iniquissimus intercessor ». At quotiescumque legissem et relegissem hunc locum, his verbis, « contra alienum venire », et « contra gratiam », non tam Antonium, qui immerito apud amicos in gratia esset, sed eum, cujus causam ipse tueri vellet, quique apud eum propter ætatis florem in gratia erat, significari putabam, adeo ut de amore turpi, aut inhonesto, quo Antonius in aliquem flagrabat, capienda essent, in quo consentit Ma-

nutius. Apparet autem hoc vel ex eo, quod dicit, Antonium id commemorasse, ut infimo ordini sese commendaret, tum ex iis, quæ Cicero hoc in orationis loco olim scripta, postea, Attico auctore, omissa esse dicit in ep. ad Att. XVI, 11, ubi respondet, se mutaturum esse, quod Atticus in orat. Phil. secunda, cujus archetypum ei miserat, sibi minus placuisse, scripserat. Quum igitur, quod attinet nostrum locum, Atticus monuisset, ut Sicæ et Septimiæ honori parceret, hæc rescribit: « cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, ut scribis; ast ægre me tenui. Itaque perstringam sine ulla contumelia Sicæ aut Septimiæ tantum, ut sciant παῖδες παίδων sine sillo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam eum diem videam, quum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicæ domum introeat! Sed illo tempore opus est, quod fuit illis triumviris; moriar nisi facete ». Ex quo apparet, istam causam non fuisse Fadii, sed pertinere ad Sicam et Septimiam et in archetypo Ciceronem eorum nomina attulisse, Attico autem monente ea expunxisse, reliquisse tamen aliquantum salis, quo perfricaret eum, quum dicat, Antonium commemorasse hoc, ut recordarentur auditores, ipsum esse generum Fadii libertini, quod apte a Cicerone additum mihi esse videtur, quod Sica Ciceronis familiaris et libertus, Septimia autem ejus uxor fuisse videtur, ad Div. XIV, 4, 15, ad Att. VIII, 12, 23. Accedit autem præterea hæc causa, propter quam *alienum* non ad Antonii personam referre possis, quod Cicero modo ante dixerat, se ante omnia ab Antonii criminatione amicitiæ, quæ inter utrumque intercesserit, ab ipso (Cicerone) violatæ se vindicaturum esse, et quod propter eamdem consuetudinem, quæ tum inter se ipsos fuerit, paullo post dicit, Antonium sæpe in suam domum ventitasse; hinc eum dicere non poterat *alienum*. Significat igitur hac voce *alienum* eum, quem in illa causa tueri vellet A.; et quæ sequuntur: « non venirem contra gratiam », non tam de tribuno plebis, apud quem in gratia fuerit Ant.

sed de eodem ipso capienda sunt, qui in gratia erat apud Antonium, seu gratiam collegerat apud eum ætatis flore seu venustate corporis. Ni omnia me fallunt, Cicero hic Septimiam, feminam ignobilem, cum qua olim Ant. rem habuerat, quam postea Sica libertus duxit, designare voluit, non nominare, ut Sicæ honori parceret : quam eamdem in opinionem incidisse aliquanto post vidi Popmam aliosque interpretes apud Græviam ad Att. XVI, 11. WERNSD.

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 4, pag. 120 :

Qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, etc.

Qui quum hoc ipso tempore. Hoc isto, omnes l. s. quod minime displicet : nam præterquam quod tot libros auctores habet, ratione præterea, et scriptorum, qui ita loquuti sunt, auctoritate nititur. Ut enim dicitur, « hic ille, hic ipse, ille ipse, ille iste », sic dicitur *hic iste*, quod consuetudo quoque bonorum latinitatis auctorum comprobat. Cic. pro Domo sua, « Hunc istum otii et pacis hostem ». Laurentius Val. hunc locum ita citat, « Qui cum isto tempore » ; sed mihi et graviores, et antiquiores auctores duo libri sunt, ccc non minus annis natu (ut ita dicam) majores, quam ipse Laurentius. FERRAR. —*Qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis*. Antea legebatur, « hoc isto tempore » : quod quidem ita ineptum est (ignoscant optimi et doctissimi hominis Ferrarii manes), ut refutatione non indigeat. Vetustissimi libri scriptura est, « Qui quum hoc ipsumo tempore stent cum gladiis in conspectu senatus » ; unde collegi, legendum, « hoc ipso tempore ». Venerat in mentem et alia

conjectura, non inepte fortassis legi posse : « Qui quum nunc ipsum (o tempora!) stent cum gladiis in conspectu senatus»; ut propter indignitatem rei interjecisset illud, *o tempora!* Utrum igitur melius sit, alii judicabunt. MUR.—*Qui quum hoc ipso tempore.* Sic conjecit esse legendum Muretus ex antiqua scriptura quæ talis est : « qui quum hoc ipsumo tempore » : nam pleræque editiones habent, « quum hoc ipso tempore, etc. » affert idem aliam conjecturam, nempe hanc : « qui quum nunc ipsum, o tempora, etc. » quam plane non probo. Adr. Turnebus autem sic tentabat restituere, « qui quum hoc pessimo tempore, etc. » quæ conjectura videtur longe optima : verum tamen nihil muto. LAMBIN. — *Qui quum hoc ipso tempore.* Muretus indicat exstare in Vaticano cod. *ipsumo*, quod mutare religio fuit Guilielmio: quid enim, addit, vetat Veteres dixisse *ipsumus*, quum iidem frequentarint *ipsissimus?* At Turnebus lib. XV Adversar. cap. 2, transpositis elementis leviterque mutatis, inde faciebat, « qui quum hoc pessimo, etc. » GRUTER.—*Isto* est etiam in Franc. et Græviano': quod cur tam absurdum sit visum Mureto, ego non video. Recte tuetur veterrimorum librorum scripturam Ferrarius. Cur enim *hoc ipso* absurdius sit illo, quod non longe post sequitur, « teque in ipso isto convinco». Sic enim meus liber. Vulgati « isto ipso». GRÆV. — *Hoc ipso tempore.* Sic Ienensis : multi scripti libri, « hoc isto tempore », quod Græviús præfert, etsi Mureto jure ineptum videtur. In Vat. fuit *ipsumo* pro *ipso*, literis *u* et *m*, quas librarius aliud agens scripserat, sed litura inducere noluerat, iis fortasse notis suppositis, quibus abundare significantur. Bonus Grut. hoc pro *ipsissimo* positum existimavit, quod nec ipsum Ciceronis est : vide ad cap. 27. HEUSING. — Barb. etiam uterque, *hoc isto*, quod male receperunt P. Man. et Car. Steph. Nos jam cum Mureto et Heusing. sensimus ad cap. 9 pro Rab. Post. Miror, Grævium *hoc isto* comparare cum *ipso isto*, quod idem est cum *hoc ipso*, ut hic habent ceteri editi. Nunc autem primum

video Ienensem a Græviano dissentire. Ceterum, quamquam nihil mutandum est, Mureti conjectura laudem maximam postulat. Formulam Tullianam *nunc ipsum* illustravit Pareus in Lex. Crit. p. 814, quam, optimis MSS auctoribus, probaverat impense Victorius ad XII ad Att. 40. Gar.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 5, pag. 122 :

Quod fuit illorum utrique fatale.

Quod fuit utrique fatale. Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio : « Nuptiis animum adjecit, ducens Fulviam, quæ olim Clodio, populari concionatori, nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domesticæ deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti præesse, et imperanti volentem imperare ». Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio et Appianus, et tum ipsa, tum Antonius senatum ludibrio habuerint, ut auctor est Dio lib. XLVIII : « Eas ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum senatum Caligam vocantes, quod senatores calceamentis militaribus uterentur ». Et ipsa post victos Brutum et Cassium, absente Antonio, bellum contra Cæsarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitarit. Quo bello, ut ibidem narrat Dio, Fulvia « et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat ». Hæc illa est Fulvia, quæ tam fœde insultavit abscisso capiti Ciceronis. Idem Dio lib. XLVII : « Fulvia autem id caput arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis et conspuens genibus suis imposuit : orique ejus aperto linguam extractam acubus (quales secum

comendi capitis causa mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis »: utor Xylandri versione. Ut mirum non sit, turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatræ extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulviæ refert acceptum : «Ut mercedem Fulviæ, quod ancillari Antonium docuisset feminis, debuerit Cleopatra, quæ plane cicurem et velut a tirocinio institutum ad obtemperandum feminis accepit ». Hæc Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. III Noct. Attic. cap. 9. Abram. — De Fulvia vide P. *Baile* in Lex. Flor. IV, 5; Plutarch. in Anton. pag. 920, 929; unde apparebit, eam omnia alia curasse, quam quæ feminam decent : imperare viris, eosque ad turbas concitare solitam. Sunt, qui Ciceronem hic *equum* quoque *Sejanum* significasse putant, quem ab Antonio altum fuisse, auctor est Gellius, III, 9. Id vero nugatorium est. Heus. — Quibus Fulvia, uxor tua, nupsit, ii omnes eo fato nati esse videntur, ut immatura morte intereant, ab ipsa ad turbas concitati. Clodius a Milone cæsus est, et Curio, Cæsaris dux, cum exercitu in Africa periit a Jubæ copiis oppressus. Paullo post dicit Cicero satis acerbe in Antonium, ejus uxorem haud avaram jam diu debere populo romano tertiam pensionem.

EXCURSUS V

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 6, pag. 124 :

Qui duo e consularium numero reliqui sunt.

Qui duo e consulari numero. Sic loqui solet latina consuetudo, ut dicat *e numero* disertorum, amicorum, civium: e numero tribunorum militum, centurionum, equitum:

cujus rei plurima exempla apud M. Tullium et Cæsarem passim licet invenire. Jam Livius, ut propius accedam, lib. IX : « Legatos, inquit, e consularium numero mittendos ad eum senatus censuit ». Et Suetonius in Tit. Vespas. « Curatores restituendæ Campaniæ e consularium numero sorte duxit ». Quorsum hæc, inquies? ut videas, rectumne sit, « e numero consulari » : an *consularium* pro *consulari* reponendum sit : præsertim quum hoc et ejusmodi cetera per notas scriberentur : ut ex eo facile error creari potuerit. Ferr. — *Consularium* recepit recte Faernus et Lambinus ex Vaticano : *um* in *consularium* absorpsit sequens *num* in *numero*, ut sæpe. Græv. — Intellige eos, qui Cicerone consule fuere consulares. Ien. « ad eos (pro *vivos*), qui duo ex consulari numero », ut plures : *consularium* vero legendum esse, docuit Grævius. Heusing. — *E consularium numero*, recte Ferrarius, et Grævius, pro vulgato, « e consulari numero ». Lallem. — Divinavit profecto Ferrarius. Sed eas divinationes magnopere laudo, quibus elegantius aliquid et verius est restitutum. Quum autem exquisitioribus vulgaria substituuntur, optimos ipsos codices suspectos habeo, ut hic Vaticanum. Nam reliqui omnes libri habent hypallagen, de qua generatim diximus tum alibi, tum ad cap. 18 pro Planc. cui sæpe generi fuerunt emendatores infesti. Sed, ut huic loco magis adfinia proferam, ita pro Arch. 12 : « quippe est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti » : quem locum Lamb. sollicitabat, quum plures ejusmodi intactos reliquerit, veluti pro Marc. 7 : « ex eo numero, qui una tecum fuerunt », et in senatusconsulto ad Div. VIII, 8 : « si ex eo numero, quos ex SC. in provincias ire oporteret ». Plinius Ep. VI, 5, « quosdam e nostro numero », ubi vide Cortium. Adhuc propior nostro est locus II in Verr. 50 : « Quum esset ex vetere numero quidam senator demortuus » : ita enim veteres editi, non *veterum*. Dicitur etiam *consularis numerus*, ut *consularis locus* Phil. I, 6, et alibi, h. e. eorum, qui consules fuerunt, ut *Sertorianus numerus*

in Verr. V, 58, h. e. eorum, qui cum Sertorio fuerant. Muretus igitur perite fecit, quum, Ferrarii adnotatione perlecta, et Vaticano codice inspecto, retinuit tamen, « e consulari numero ». Variant præpositiones. Lambin. ex Vatic. hic *de*, ceteri *e*, quomodo in loco Suetonii Tit. 8, et in Liviano, IX, 38, nunc editur *ex*. Sed nihil refert. GAR.

EXCURSUS VI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 6, pag. 125:

Hodie non descendit Antonius.

Hodie non descendit Antonius. Non venit in senatum. Adverte dialogismum pulcherrimum. Descendit in forum, inquit Manutius; nam in collibus nobiliores habitabant. Ego vero hanc explicationem libens amplecterer, tum quod magna sit apud me tanti viri auctoritas, tum quod non habeam meliora. Sed Antonius non in collibus habitabat, verum in Carinis, ubi domus erat Cn. Pompeii : auctor est P. Victor libello de urbis regionibus. Plutarchus libro II : « Cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurde, quum in navi Cæsaremque et Antonium cœna exciperet, dixit : In Carinis suis se cœnam dare, referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur ». Ne tamen nihil omnino dicamus, videtur hic eodem pæne sensu dici *descendere*, quo divinatione in Q. Cæcilium : « Subito nunc mutata voluntate ad accusandum descenderim ». Et pro Cœlio : « Sic constituetis, judices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse ». Eleganter Valla Elegantiarum lib. V, cap. 36 : « Descendo in prælium, descendo in forum, descendo in campum dicimus, non quia de loco superiore in inferiorem de-

scendimus, sed quia de loco tuto in locum discriminis : opinor, quod qui in loco celsiore se tenet, pugnam detrectare existimatur, quem quum relinquit, et in locum æquum venit atque descendit, mentem se pugnandi habere declarat ». Ponit exemplum Æneidos XI, 450 :

> Instructos acie Tiberino a flumine Teucros,
> Tyrrhenamque manum totis descendere campis.

Horatius, lib. III Carm. I, 10 :

> . . . . Hic generosior
> Descendat in campum petitor.

Acies totis campis descendit in Martis aleam, candidatus sive petitor in campum Martium honoris et existimationis periculum subiturus, accusator in forum, consul in curiam. Abr. —Man. optime rationem reddit, cur *descendere* sic accipiatur. Proprie quidem *descendere* dicebantur, qui in collibus habitabant, in quibus habitabant nobiliores Romani, postea generatim *descendere* dicebantur, qui prodibant, sive in collibus habitarent, sive in plano, ut *descendere* sit idem quod prodire. Exempla passim sunt obvia. Græv.—Est figura, quam rhetores μίμησιν appellant. Exprimit enim verba, et gestus alicujus, quem, Antonium parum sontica de causa in senatum non venire, indicantem facit. Desinit ea in verba, « tum Ballioni ». Abram. et Grævius Manutii interpretationem verbi *descendere* hic non ferunt : quod Antonius, qui in Carinis, depressiore urbis vico, domum habuit, non ex editiore loco venerit : idque adeo pro *prodire* positum putant. Sic Lactant. III, 3, 16 : « Quod si existimarent, descensurum esse aliquem, qui eos delirare, ac mentiri doceret ». Ita enim ibi interpretandum videtur, non « de cælo descendere ». Etsi vero facile concedo, id non semper propriam significationem retinere ; hoc tamen loco non ideo ea aliena est, quod Antonius in Carinis habitavit ; quippe quas apud Horatium grandis natu Philippus « foro nimium distare » queritur. Inter forum itaque et Carinas colles interjacebant,

e quibus in forum descensus erat. Heus. — Carinæ jacebant in valle Esquilias inter et Cœlium, quibus extremis a fori parte Sacræ viæ caput erat, per quam in proximum forum ibatur. Confer. Donat. Rom. Vet. II, 12, et ab eo dissentientem Nardinum, III, 9 et 14, qui tamen hos Carinarum terminos, Esquilias, et Sacram viam, non potest effugere. Jam vero locum a Manutio allatum inspice ad Att. IV, 5, « a. d. III idus novembr. quum Sacra via descenderem, insequutus est me cum suis ». Res confecta est. Et tamen ex sua ad eum locum adnotatione quædam huc adhibet Grævius. Garat. — Non opus erat, ut Heusingerus defenderet Manutii notam, descendisse A. in forum merito dici, quod nobiliores vulgo habitarint in locis editioribus, ideoque in loca tum depressiora iis eundum fuisse, contra Abramum et Grævium, monentes quippe, Antonium in Carinis domum suam, quæ antea fuerit Pompeii, habuisse, hinc in depresso, non in edito loco, habitasse. Namque contendit, nihilominus recte dici posse descendere, quod inter Carinas, longo intervallo remotas, et forum multi colles interjecti fuerint. *Descendere* nihil aliud est, quam *prodire*, ut sæpe alias. Tusc. Dispp. II, 26; Suet. August. cap. 96, « descendere in certamen »; pro Mur. 27, « non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent »; ad Div. VIII, 8, « ad æquam conditionem descendere ».

Dat natalitia in hortis. In antiquo libro est *natalitiam* : ego subaudio *cœnam*, ut intelligamus, Antonium in natalibus tenuiorum amicorum suorum natalitias cœnas eis dare consuesse, quas alioqui ipsi, quorum natales erant, dare aliis debuissent : is enim mos antiquorum erat, teste Marco Evangelista, cap. 6. Item Gellio libro XIX, cap. 9. Item Martiale lib. X : « Natali, Diodore, tuo conviva senatus Accubat ». Faern. — Hic etiam maluerunt Vaticanum sequi Faernus et Lambinus, quam vulgatos aut minoris pretii et antiquitatis libros, qui *natalitia* scribunt, quamvis id pos-

sit ferri. Græv. — *Dat natalitia*, subintellige *munera*, vel cum codice Vaticano lege *natalitiam*, puta *cœnam*. Hæc perverse ab Antonio fieri indicat Cicero, qui parasitorum diebus natalibus det natalitias cœnas, quas suis natalibus Romani ditiores aliis dare solebant. Heus. — Censorinus de Die Nat. cap. 1, p. 4, ed. Haverc. « quodcumque hoc libri est, meis opibus comparatum, natalitii titulo tibi misi » : ubi vide Lindenbrog. Subauditur ibi *muneris*. Sed munera natalitia nihil occupassent Antonium : deinde cur subjiceretur, *in hortis?* Omnino, utrovis modo legas, convivium est intelligendum, quod in hortis dabat Antonius, ut natalem amici diem celebraret. Hujusmodi convivio nomen est *natalitia*, quemadmodum *sponsalia* ei convivio, quod sponsæ pater sponso dabat, ad Q. Fratr. II, 6, « a. d. VIII idus april. sponsalia Crassipedi præbui », cui Tullia fuerat pridie nonas desponsata. Plane similia sunt, « M. Cicero sponsalia Crassipedi præbet, M. Antonius dat natalitia Phormioni », solemne nempe convivium, ille genero propter filiæ desponsationem, hic parasito propter natalem ipsius parasiti diem. *Natalitiam* quoque dicebant ἐλλειπτικῶς, ut *adventitiam*. Petronius cap. 90, pag. 568 : « hac me adventitia excipere frequentia solet » : ubi Glossæ, « Adlusio ad cœnæ præbitionem, quæ adventoria dicitur ». Erant autem hæc Antonii convivia deliciarum plena, et de die. Confer Lipsium ad Tacit. Ann. XIV, 2, Exc. A, et interpretes ad c. 6 pro Mur. ne horas, quibus senatus habebatur, convivio tributas fuisse mirere. Gar.

EXCURSUS VII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 8, pag. 129:

Ab Ithyreis circumsederi.

Ad Ithyreis. Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. Videntur autem optimi jaculatores fuisse, et eam ob causam Maro in Georgicis, II, 448:

Ithyræos taxi torquentur in arcus.

Vibius Sequester in nominibus gentium: «Ithyræi Syrii usu sagittæ periti». Abram. — Sunt Ituræi Syriæ, quos quasi satellites adduxerat Antonius, quum sub Gabinio ibi militasset: homines truces, et audaces, κακοῦργοι πάντες (Strabon. lib. XVI, pag. 520), in primis sagittandi artis periti. Hinc Virgilio Georg. II, 448, «Ituræi arcus», et Luciano, VII, 230, «Ituræ sagittæ» laudantur. Etiam «sagittarii Ituræi Vopisc. in Aurel. cap. 11. Cellar. — Ien. «habiti reis circumsideri», male divisis vocibus, additaque a principio adspiratione. Apparet tamen, *Ityreis*, non *Ithyreis*, ac potius *Ityræis* scriptum fuisse, quia græce Ἰτουραῖοι dicuntur, non Ἰτουρεῖοι. Vide Cellar. Orb. Ant. III, 13, p. 623. *Circumsederi* cum doctioribus servavi. Vide Drak. ad Liv. IX, 2. Heus. — Hi sunt, de quibus infra, V, 6, «certum agminis locum tenebant barbari sagittarii»: quos postea in auxiliis imperatores habere consueverunt, ut non modo ex Vopisco patet, verum etiam luculentius ex antiquis marmorum inscriptionibus, in quibus cohortem aliquam, et alam eorum nomine appellari aliquando videmus: quamvis non soli essent iis adscripti numeris Ituræi: quo de more multa collegit Hagenbuchius t. X Miscell. Amsel. Nov. p. 360. Unum ejusmodi marmor, Grut. cdxliv, 5. Imp. Hadriani temporibus positum, Beneventi est, et a V. C. Joh. de Vita docte

illustratur t. I Ant. Benev. pag. 232, ubi de Ituræa post Cellarium, Dresemium, et alios agit, Tullianos quoque locos attingens, quorum orthographiam in edd. ait nondum constare. Ei tamen, si vidisset, satisfacere poterat Heusin. qui edidit *Ityræis*. Nam in eo marmore, quod haud minus, quam Ciceronis, Virgilii, Lucani, Plinii, et aliorum codices, describentium opera in varietates incurrerat, ita scriptum esse testatur, PRÆF. COH. III. ITYRAEOR. quomodo etiam in Virgilio Burmannus edidit, optimis, opinor, MSS adnuentibus (in Mediceo est *Ityreos*): eamque scripturam cum Cellario l. c. num. 253, huic, et infra cap. 44, Tullio ipse restituit. Atque adeo nunc hoc in loco egregium codicem Vaticanum illi et Heusingero auctorem profero. Alio etiam in lapide Grut. DXXXIII, 9, EQ. ALAE. AVG. ITYRAEORVM. (sive ITYREORVM, ut apud Dausq. t. II Orthogr. p. 170) DOMO. ITYRAEVS. Sed in græca derivatione ii utrique falli videntur. Unum etenim vidi Casaubonum ad Vopisc. l. c. ita ponere, *Ityræos*, Ἰτυραίους: quum tamen Græci, teste Pierio ad Virg. l. c. Ἰτουραίους dixerint, quod et ipse Heusing. habet, et in omnibus, qui ad gentis hujus notitiam proferuntur, Græcorum locis inspexi. Ad eam rationem *Ituræam* et *Ituræos* videbis jam in Sacris Libris, apud Lucan. l. c. Plinium Hist. Nat. V, 23, etc. quam hic etiam, et infra Ferrettus est recte sequutus. Neque huic quoque parti marmorea monumenta desunt, nisi quis forte inspector eripiat. Apud Grut. DXIX, 5, non modo est ALBAN. BALVI. F. DEC. ALAE. AVGVSTAE. ITVRAEORVM. DOMO. BETAVOS. verum etiam LVCANVS. DEC. ALAE. AVG. ITOVRAEORVM. quo nihil græcum est magis. Apud Reines. VIII, 41, PRAEF. COH. I. AVG. ITVREOR. (rectius in Ind. *Ituræorum*) ET. VI. THRACVM. Antiquiorem habet notam insignis lapis Murat. DCLXX, 1, IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS. ITVREOS. IN. LIBANO. MONTE. CASTELLVM. EORVM. CEPIT. Omnino per V legendum est, si vox a fonte Græcorum arcessi debet, ut placuit jam Pierio, Dausquio, Oudendorpio, aliisque doctissimis. Certe, quum hoc nomen utroque modo

scribi pro Latinorum more V passim Græcos Y substituentium Cl. de Vita adfirmaret, erat ei probandum, Græcos per Y scripsisse, non per OY, quod non licet in Y convertere. Barb. ambo, *Itireis*, ut alibi quoque variant codices. GARATON.

EXCURSUS VIII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 8, pag. 130:

Et nomini romano laudis aliquid afferrent.

Nomini romano laudis aliquid afferent. Quantum ejus lucubrationes nomini romano laudis attulerint, paucis ostendit Velleius lib. II: « Ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur ». Testis etiam Apollonius ille rhetor apud Plutarchum, qui quum Ciceronem adolescentem adhuc græce declamantem audisset, ceteris plaudentibus, ipse mente confusus et cogitabundus hærebat: « Graviter id ferente Cicerone, dixit, Te quidem, o Cicero, laudo et admiror. Sed miseror Græciæ fortunam, videns, quæ sola nobis pulchra et honesta supererant, ea per te ad Romanos pervenisse, eruditionem et eloquentiam ». Sed quis Cæsare locupletior testis, qui Anticatonem scribens, non solum Pericli Tullium comparabat, ut scribit Plutarchus, sed etiam, ut narrat Plinius libro VII, cap. 30, scripsit, eum « omnium triumphorum lauream adeptum majorem, quanto plus est ingenii romani terminos in tantum promovisse, quam imperii »; ut merito exclamarit Silius lib. VIII:

Ille super Gangem, super exauditus et Indos
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam sperare nepotum. ABR.

len. « et viventium utilitati, et nomini romano laudis afferrent », omissa voce *aliquid*. Placet *viventium*, quod a Grævio non observatum miror: quia Cicero non tantum juvenibus, sed et viris ingenii monumentis profuisse sibi visus est. Itaque legendum fortasse: « ut meæ vigiliæ, meæque literæ et viventium utilitati, et nominis romani laudi aliquid afferrent». Ita verbum *adfero* pro *adstruo*, *confero*, usurpatum legitur pro Marc. 4: « At vero hæc tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferat laudibus ». Tuscul. I, 3: « Quare, si aliquid oratoriæ laudi nostra adtulimus industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus ». Heus. — Altera emendatio, licet a MS profecta, mihi plane displicet, qui non puto esse Tullianum, « viventium utilitati », quique scio Tullium de suis orationibus ita loquutum in Bruto, cap. 32: « certe enim boni aliquid attulimus juventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, et ornatius »; item ad Att. IV, 2: « itaque oratio (pro Domo) juventuti nostræ deberi non potest »; qui denique non dubito, quin philosophicos etiam libros iis potissimum Cicero scripserit, qui ei se studio essent postea traditurі. De suis utique omnibus et oratoriis, et philosophicis libris, verum de his potissimum, ita loquitur de Div. II, 2: « quod enim munus reip. adferre majus, meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? » Altera vero necessaria non est. Loco illo ex Tuscul. « oratoriæ laudis » defendentem Wospkensium vide Lect. Tull. I, 9, pag. 49, quem summopere adjuvant ea, quæ Cortius adnotat ad Plin. Epist. II, 1, 6. Atque illa eadem lectio visa fuerat Mureto probabilis, qui omnes in eam libros veteres consentire monuerat. Recepta quoque a Gebhardo fuit ex octo MSS, et in illius Crepundiis adserta: iisque accedit codex Reg. ille antiquissimus, et editio rom. MCDLXIX. Sed Victor. Camer. P. Manut. Car. Steph. Lambin. Ald. Nep. et editio Vascosani celebris MDXLIX, item cod. Barb. habent ibi « oratoriæ laudi », quod

prætulit Bentleius, et in ed. sec. ac tertia Davisius. Gar. — Unus cod. Ien. « meæque literæ et viventium utilitati, et nomini romano laudis afferrent », quam lectionem propterea maxime attuli, quod Grævius, quum alioquin omnes lectt. non absonas ex eo codice, quem dicunt eumdem esse, attulerit, hanc potissimum non memoravit, adeo ut vel ex eo suspicari possis, aut librum esse diversum, aut a Grævio non accurate collatum. Heusingero placet ista lectio, dummodo scripseris « laudi aliquid afferrent », quasi Cicero non tantum juvenibus, sed etiam viris, ingenii monumentis suis prodesse voluerit, in quo cum eo non consentio.

EXCURSUS IX

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 9, pag. 131 :

Quod ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres?

Quid ergo? quum res agebatur, nemo in me dixit : et tot annis post tu es inventus, qui diceres. Lib. veteres partim sentiunt cum impressis : partim pro *et*, *at* : nonnulli *ut*, ut Lang. Col. Id quod mihi aditum patefecit ad investigandum verum, atque etiam (fieri potest, ut fallar) inveniendum : sic enim corrigendum puto, « Quod ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis, etc. » Conflati autem mendi causam quum quærerem, hanc inveniebam, quod antiqui, ut *ad* et *at* : *sed* et *set* : sic *quod* et *quot* : *quid* et *quit* : *id* et *it* dicebant. De *quot* apparet Romæ in quodam monumento, in quo ita inscriptum est : « Monimentum, quot filius patri facere debuerat, ipse fecit ». De *quit*, in quadam sanctione in æs incisa hæc sunt verba, « Id ei ne fraudi esto : neve quit ob eam rem populo dare debento ». De *it* Cere in tabula

marmorea vetustissima, in qua cum plurimis aliis hæc quoque verba incisa sunt, IN. QVO. SCRIPTVM. ERAT. IT. QUOD. INFRA. SCRIPTVM. EST. Librarii igitur quum ad hunc locum venissent, hac in re hæsitantes, videntes autem, *it* verbum non convenire, ut alius aliud senserat, ita partim in *et*, partim in *at*, nonnulli in *ut* mutaverunt : quod idem opinor evenisse in eum locum, qui est in lib. III de Leg. quem infra scripsi : « quod qui permovet, quum agi nihil potest, vim quærit, cujus impunitatem amitti hac lege quitur illud » : quod sic emendandum arbitror, « Cujus impunitatem amittit hac lege : quit illud? intercessor rei malæ, etc.» Nam quum illud quasi caput legis interpretatus esset : « Ast, qui turbassit in agendo, fraus actoris esto » : ad aliud huic proximum quum vellet aggredi, dixit : « Quid illud? intercessor rei malæ, etc. » FERR. — Postremo diluit crimen necis Clodianæ a tempore, quo objectum est, quia, quum recens esset nex Clodii, id nemo dixit, quod nunc tot annis, id est, octavo post Clodii necem anno, criminatur Antonius. ABRAM. — Meus liber vetustus ceteris una voce auctior est : « Quid igitur? quum res cæsi agebatur, nemo in me dixit, etc. », non absurde. Si plures libri consentirent, facile meum etiam assensum hæc lectio impetraret. GRÆV. — Ien. « quid ergo? » perperam id quidem, sed præeuntibus plerisque aliis libris, unde factum fuisse dixi, ut librarii, quum bis « quid ergo » scriptum esset, primum paullo ante, iterum hic, intermedia omiserint. HEUS. — Conjecturam Ferrarii a P. Manut. receptam nemo deseruit : nemo tamen monuit ab aliquo eam vetusto codice confirmari. Elegans profecto est, atque probabilis. Sed lectio prius editorum, quæ a Barb. utroque servatur, a qua vix aliqui codices in una particula differre dicuntur, cum superioribus, sine trajectionis ullius ope, nisi fallor, apte connectitur. « Quamquam de morte P. Clodii fuit quæstio non satis prudenter illa quidem constituta (quid enim attinebat, etc.) quæsitum est tamen. Quid ergo? quum res agebatur, nemo in me dixit : et tot annis post tu es in-

ventus qui diceres ». Naug. et Cam. « tum, quum res, etc. » non male. Particula vero *et* ita ponitur, ut pro Dejot. 12, in optimo Erfurt. « quæ semper in civili victoria sensimus, et te victore non vidimus ». Sed Vaticanus conjecturam istam Ferrarii mirifice comprobat, atque in una tantum voce non tam ab ea, quam a ceteris libris omnibus differt, nullo tamen sensus discrimine : habet enim, « quod igitur », et « id tot annis, etc. » plane ut Muret. edidit. Me vero Heusingeri ratio neutra in lectione commovet. GAR. — *Quamquam de morte P. Clodii*, etc. Nescio qui factum sit, ut hoc in loco interpretando Heusingerus cæcutiret, hæc ipsa quippe verba cum superioribus, nulla omnino ante Clodii cædis mentione facta, non cohærere ideoque totum sermonem ita ordinandum esse existimans, ut illam interrogationem : « ergo in tanta læt. etc. » exciperent verba : « quæsitum est tamen », utpote verba Antonii id ipsum obvertentis. At optimo ordine hic omnia sequuntur. Sententiam proximam : « communem omnium lætitiam Clodii cæde excitatam esse », orator quodammodo restringit dicens : « tamen de cæde quæstio constituta, quamquam non satis prudenter », sc. a Pompeio. Nimirum is unus erat in hac causa judicanda paullo difficilior, jam dudum a Milone, cædis auctore, insidias metuens, ideoque, vetere judiciorum ratione mutata, extraordinariam quæstionem institui curabat; v. pro Mil. 5, 6 : « Quod ergo, quum, etc. » Tunc nemo mihi Milonis causam defendenti id obvertit, nunc tu id objicere audes. Gud. et Teeg. « quid igitur ». Ien. « quid ergo ». Teeg. « at tot annis ». Male.

EXCURSUS X

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 11, pag. 134:

Quis enim meum in istius gloriosissimi facti conscientia nomen audivit?

Quis enim meum in istius societate gloriosissimi facti nomen audivit? Scripti libri partim sic, « Quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi »; partim hoc modo, « Quis enim meum in istius facti gloriosissimi conscientia ». In eo congruunt universi, quod *conscientia*, non *societate*, probant : quod minime displicet : siquidem non objiciebat Antonius Ciceroni, quod socius, sed quod conscius fuisset. Hoc ostendit oratio M. Antonii, ex quà locum illum, quem infra scripsi, Cicero transtulit : « M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens Ciceronem nominatim exclamavit : ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse ». Hoc verbum pro Cœl. in eadem sententia ponitur : « Qui non modo a facti, sed etiam a conscientiæ suspicione abest »; et in VII accusat. « Non modo eos persequi, ad quos maxima culpa corrumpendi judicii, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit ». Ferr. — *Quis enim meum in istius conscientia gloriosissimi facti nomen audivit?* Ex antiquo libro ita corrige, « quis enim meum in ista societate gloriosissimi facti nomen audivit? » Faern. — *In istius gloriosissimi facti conscientia.* Editi prius *societate*, procul dubio ignoratione vocis prioris, quam neque cepit Ferrarius, a quo tamen scimus, eam hærere in omnibus libris scriptis : neque aliter Pall. Gembl. Maur. et P. nec non S. Victor. Grut. — Sed nihil planius est scriptura Vaticani codicis, quam expresserunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus, a qua non erat recedendum cum Grutero. Græv. — *Conscientia.* Ita Ien. et meliores : alii *societate*, quod vero

merito exclusum est, quod Cicero non *socius* ejus facti, sed *conscius* fuisse arguebatur. *In conscientia* est *inter conscios.* In Ien. ordo verborum hic est: « quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi nomen audivit? » Mirum, qui ex h. l. in Fabriano thesauro, v. *Gloriosus*, exsculpi potuerit, « gloriosissimum factum salutis capere » : quod si hic legeretur, furcillis expellendum esset. Heusing. — Firmant *conscientia* Barb. ambo : sed Rom. et Ven. cum Vaticano, quem Barbadorius etiam sequebatur, plane consentiunt. Ald. Naug. Cam. et repet. Lambin. « in istius societate ». P. Man. MDXLI, et Car. Steph. Ferrario de more adhæserunt. Nihil admodum interesse arbitror, utrum malis. Statim, « ut fuisse in ea societate viderentur, quum conscii non fuissent », ubi multi libri *socii* ex solita permutatione. Vera est tamen Ferrarii distinctio, etiamsi non semper observata fuerit, eaque vocem *conscii* infra ejicientibus opitulari fortasse potest. Verumtamen inferius cap. 13 : « ego, qui sum illorum. . . ut a te arguor, socius » ; ibid. « in hujus me tu consilii societatem, tamquam in equum Trojanum, cum principibus includis? non recuso ». Gar.

Jactasse se aliquos. Ut C. Octavium, et P. Lentulum Spintherem. Eos tamen non appellat, quia nec necesse fuit, nec voluit Lentulum amicissimi quondam sui filium offendere. Dio lib. XLIII, et Plutarchus in Cæsare : posterioris verba sunt, « Nonnulli vero et cum ipsis (Cæsaris percussoribus) simul adscenderunt in Capitolium, seque cum illis miscuerunt, tamquam facti participes, eamque sibi gloriam arrogarunt. E quibus fuerunt C. Octavius, et Lentulus Spinther : atque hi quidem arrogantiæ suæ postea pœnas dederunt, ab Antonio et Cæsare juniore de medio sublati. Neque opinionis illius, ob quam necati sunt, fructum perceperunt, nemine fidem eorum dictis habente. Neque enim, qui eos affecerunt suppliciis, facti, sed voluntatis pœnas ab iis exegerunt ». Ipse certe Lentulus Spinther epistola quadam ad Ciceronem ait se consilii participem fuisse. Ea est epistola

14, lib. XII, ad Familiares : « Ego me de republica puto esse meritum, ut non provinciæ istius beneficium exspectare debeam, sed tantum, quantum Cassius et Bruti, non solum illius facti periculique societate, sed etiam hujus temporis studio et virtute ». Abr. Colon. « jactasse aliquos ». Bene. GRÆV.

Ut fuisse in ista societate viderentur socii : quum socii non fuissent. Sic libri veteres : « Ut fuisse in ista societate viderentur : socii non fuissent ». Ego sic, « ut fuisse in ista societate viderentur, qui non fuissent ». FERR. — *Ut fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet.* Multum antiquus liber variat ab impressis : sic enim habet : « ut fuisse in ea societate viderentur; quum conscii non fuissent, quam, ut quisquam celari vellet qui fuisset ». FAERN. — *Viderentur socii, quum socii non fuissent.* Hæc est scriptura priscarum editionum; neque abeunt MSS nostri, nisi quod Pal. pr. « viderentur socii quod fuissent » : recentiores admiserunt conjecturam Ferrarii, « viderentur, qui socii non fuissent »; non recte : si enim attendimus, videbimus, voces aliquot esse a librariorum sinistra liberalitate : itaque legendum erat : « viderentur, quam ut quisquam, etc. » etsi non negem, posse etiam abjici, « quam ut quisquam, etc. » GRUT. — Non argutaretur Gruterus, si vidisset Vaticani libri lectionem, quam cum Faerno, Mureto, Manutio complectimur, tamquam certissimam et verissimam. GRÆV. — *Quum conscii non fuissent.* Ita Græv. cum Vatican. pro vulg. « qui socii non fuissent » : at Ien. « socii qui non fuissent ». Hæc varietas nata est e prima scriptura, « conscii qui non fuissent », vel « qui conscii non fuissent ». Nam ex *conscii* factum est *quum socii*, hinc *quum conscii.* HEUS. — Recte omnino conjecerat Ferrarius. A glossa videtur esse tam *socii*, quod bis in utroque Barb. et ante P. Manut. editis legitur, quam *conscii.* P. Man. hanc conjecturam interpolavit edendo, « qui socii non fuissent, quam ut quisquam celare vellet » : eumque sequuti

sunt non modo Car. Stephan. repet. Lamb. et Grut. verum etiam, Vaticano contempto, Verb. Oliv. et Lallem. Permutantur sane *quum* et *qui* : sed unus codex habet *qui*, aut forte alter, si Ienensis a Græviano diversus est. Hic tamen codex Ferrarii conjecturam mirifice confirmat, quum *socii* ponat ante « qui non fuissent » : nam, glossa remota, quæ semel tantum posita non commodo hic loco fuit, cui meliorem alii dare sibi visi sunt, pura ipsa remanet Ferrarii lectio. Quam denique lectionem Vaticanus ipse commendat, dum addit, « qui fuisset » : quid enim aptius respondeat τῷ « qui non fuissent ? » si tamen varietas placet, et fere omnium librorum consensus permovet, legas licet, « quum non fuissent ». Cetera omnia ex Vatic. sunt procul dubio cum Græv. et Heusing. edenda : tantum vox *conscii* merito suspecta est, et utrum *quum* legas, an *qui*, ambigi potest. Gar. — Teeg. « conscientia gloriosissimi facti ». Ien. « quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi nomen audivit ». Gud. « gloriosissimum facti conscientia ». Habent *conscientia* etiam ο, φ, præter ψ, qui refert vulgatam *societate*, merito damnatam ab editoribus, qui Vatic. lectionem propterea prætulerunt illi, quod Cicero non socius conjurationis, sed conscius esse arguebatur ab Antonio. Quapropter etiam paullo post Vat. lectio, Grævio et prioribus editoribus præeuntibus, « quum conscii non fuissent », recipienda est, quum Ern. vulgatam, « qui socii non fuissent », quam etiam omnes libri nostri tuentur, retinuerit. Ien. « socii qui non fuissent ». Teeg. « socii quum socii non fuissent ». Gud. φ, ο, ψ eamdem lect. exhibent.

EXCURSUS XI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 11, pag. 135 :

Hanc rem in Cilicia, ad ostium fluminis Cydni, confecisset, etc.

Hanc rem in Ciliciam ad ostium fluminis Cydni confecisset. Cilicia, l. v. perspicue rectum. Ferr. — *In Cilicia.* Vix ullum exstat hujus rei in historia vestigium. Narrat tamen Appianus lib. II de Bellis civilibus, Cæsari, quum is Pompeium e pugna Pharsalica fugientem paucis et inermibus navigiis sequeretur, obviam in Hellesponto factum esse Cassium, eique classem septuaginta triremium tradidisse, et a Cæsare veniam impetrasse : « Neque aliud in rebus desperatis opus fortunæ fuisse majus existimo, quam Cassium illum bellicosissimum, quum Cæsari imparato ipse septuaginta triremibus occurrisset, ne manus quidem conserere ausum fuisse, etc. » Subdit : « Manus supplices ad Cæsarem, a triremibus ad scaphas tendebat, et veniam petebat ». Haud scio, an res eadem utrobique referatur. Certe conveniunt personæ Cæsar et Cassius, inter quos res transacta est, et locus. Nam et Hellesponto alluitur Cilicia; et Cydnus fluvius juxta Tarsum in Hellespontum devolvitur. Quare fieri potest, ut res eadem narretur, et Cassius, quum per exploratores de adventu Cæsaris comperisset, ad insidias ejus vitæ struendas in aliquo portu clam cum sua classe subsederit, sed videns, insidias sibi non esse processuras, quod Cæsar non ad illam ripam, quam constituerat, sed ad contrariam naves appulisset, mutato consilio et tradita classe veniam postularit. Neque facile dixerim, quid intellexerit per ripam contrariam. Neque enim Cydnus adeo latus videtur fuisse, ut vel duas classes continere potuerit, vel operosum Cassio fuerit Cæsaris aggrediendi causa ad ripam contrariam

navigare. Dicerem, Cassium struentem insidias ad ostium Cydni in quodam Ciliciæ portu subsedisse, sed Cæsarem insidias subodoratum, et ad contrarium Hellesponti litus, id est, ad insulam Cyprum naves appulisse. Sed non invenio, litus maris ripam ab antiquis dictum fuisse. Quare videamus, an aliqua ex Strabone, lib. X, lux affulgeat: « Post Anchialum Cydni sunt ostia ad locum, qui Rhegma, hoc est, ruptura, dicitur. Locus ille stagnat, habetque antiquitus navalia : inque eum incidit Cydnus per mediam lapsus Tarsum, ortus e jacente supra urbem Tauro ». Subdit, ab urbe Tarso ad ostium Cydni quinque tantum esse stadiorum intervallum : « Inde Tarsum sunt centum viginti stadia, atque inde non plura quinque ad ostia Cydni ». Quum igitur illud Tarsensium navale non fluvius tantum, sed etiam palus esset, eaque, ut videtur, aliquanto latior, facile fieri potuit, ut, C. Cassio unam paludis ripam obsidente, Cæsar in contrariam ripam evaderet, seque in portum abderet loco et natura munitum, si præsertim unico lembo Hellespontum trajiciebat, ut narrat Dio lib. XLII. Quo loco fortasse Tarsenses, audita Pompeii calamitate consternati, Cæsari victori portas aperuerunt, et Cassius, omisso Cæsaris obsidendi consilio, classem tradidit. Sed hæc viderint eruditi. Abram. —In hac observatione nihil sani. Quis umquam mare inter Cyprum et Ciliciam vocavit Hellespontum? Confundit fœdissime quæ in Hellesponto acciderunt et in Cilicia : quamvis hæc parum sint nota, utpote quæ tempore sunt obliterata, ut nulla eorum supersit memoria. Nam quomodo Cassius in Hellesponto cum decem navibus rostratis obvius fuerit Cæsari, et in scapha trajicienti Hellespontum, et se dederit, ex Suetonio aliisque notum est. Sed hæc nihil ad Ciliciam, ad Cydnum. Græv.—Rectum esse « in Ciliciam », ut habent ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Naug. Gryph. et Camer. notius jam est, quam ut demonstrari debeat. Credamus tamen libris melioribus. Gar.

Si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contra-

riam navis applicuisset. « Navi appulisset », o. l. v. aperte rectum. Ferr. — *Si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam navis appulisset.* Ferrarius ex libris suis emendavit « navi appulisset »; antiquus tamen liber habet *navis* accusativum pluralem pro *naves :* quod ipsum, id est, *naves*, in aliquibus aliis libris est. Faern. — *Navi appulisset.* Qui *navi* maluerat, non cogitarat, *navis* quarto casu dictum esse, pro *naves:* nam quod de omnium veterum librorum consensu dixerat, falsum est. Sed non habeo necesse omnia sigillatim persequi. — *Navi appulisset.* Sic omnes Ferrariani: nam nostri « navis appulisset »: editio recepta, « navim applicuisset ». Grut. — Vaticani scripturam arripuerunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus. Græv. — Stagnantis ostia Cydni a Strabone, lib. XIV, pag. 462, λιμνάζων τόπος dicuntur, ut propter distantiam riparum nimiam facile interverti Cassii consilium potuerit. Cell. — Ien. « si illum navis appulisset »; alii, « si ille navi, navim ». Vatican. *navis*, pro « naves, appulisset », quod Cicerone dignius. Heus. — *Navis appulisset.* Ita constanter scribunt codices pro *naves.* Lall. — Barb. ambo, Rom. Ven. et Ald. « navis applicuisset ». Accusativi pluralis antiquam illam terminationem ignorantes fecerunt, « navim applicuisset », ut Naug. Cam. Gryph. et repetit. Lamb. et ex eadem ignoratione Muretus recte censuit profectum esse « navi appulisset », quod alioqui Tullianum esset, ut in Verr. V, 56 : « ut eos, qui essent appulsi navigiis, interficere possent ». Sed antequam Vaticani lectio promeretur, P. Manut. eumque sequutus Car. Steph. veterem lectionem *navis*, et Ferrarianam *appulisset* optime conjunxerant. Confunduntur autem *appellere* et *applicare* apud Livium quoque, XXIX, 31, et alibi. Apud eumdem « classe appellere » præferunt Gron. et Drak. XXX, 10; sed Sigon. Gebhard. et Drak. *classem* VIII, 3, ut loquitur etiam Cicero in Verr. I, 18, et V, 33. Dukerus tamen ibi de hoc nostro loco incertus videtur, utrum Ferrarii libris, an Vaticano accedat. Nihil est dubitandum.

In Verr. V, 25 : « appellitur navis Syracusas ». Valer. Max. I, 7, ext. 3: « Is enim quum ad litus navem appulisset ». Ad hanc similitudinem pro Rab. perd. 9 : « nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres ». Quamquam vero sit usitatum et probum « navis applicuisset », de quo Oudendorp. ad Auct. B. Alexandr. XVII, tamen libri quique meliores præferri jubent *appulisset*. Gar. — *Navis appulisset.* Hæc est Vat. lectio, quam eamdem habent Ien. Teeg. *Navi* exhibent ο, φ, ψ, et Gud. quam retinuerunt Ern. et Schütz. illam, *navis* accusativum antiquum, receperunt editores merito.

EXCURSUS XII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 11, pag. 136 :

Quid duos Servilios ?

Quid duos Servilios? Servilia gens nobilissima fuit, et in plures familias distributa. In ea fuerunt Cæpiones, ad quos Marcus Brutus maternam originem referebat, Prisci sive Cascæ, et Ahalæ, ut Geminos et alias Serviliorum familias omittam, quæ minus videntur ad cædem Cæsaris pertinere. Plutarchus non unum Cascam, sed duos fratres agnoscit : vides hoc loco etiam Ahalarum fieri mentionem. Ut non duo, sed quatuor Servilii numerentur. Ut intelligendus sit orator, quasi dicat : « Quid duos Servilios Cascas dicam? quid item duos Servilios Ahalas? » Sed hæc viderint eruditi. Hi autem omnes auctorem facti non desiderabant, quum haberent domesticum exemplum illius Ahalæ Servilii, qui Spurium Melium nova molientem occidit. Abram. — In hac opinione F. Ursinus Abramio præcesserat : sed uterque

longe aberrat a vero, quod vidisse Manutium arbitror. Manutio recte meritoque subscribit cum Spanhemio-Wesselingius Observ. II, 16. Cur enim ab aliis qui percussores Cæsaris recensuerunt, tam præclara nomina silentur? cur nullius omnino Ahalæ mentio iis temporibus? an ea nobilitate homines obscuri esse poterant? cur denique Tullius hoc modo loquitur, nec avitam familiæ gloriam a duobus Ahalis renovatam eo præconio est prosequutus, quod in materno Bruti genere supra captavit? Nihil verisimilius, quam familiam quoque Cascarum suum genus ad Ahalam retulisse. At etiamsi hoc non credamus, Servilia gens, et hominum illorum facinus Ahalam facillime in memoriam redigebat, ut eo cognomine digni duo Servilii judicarentur. Barb. ambo *Cassas*, et hinc Franc. pessime *Cassios*, quod mendum jam nimium hæsit in Suet. Cæsar. 82, ubi «alter e Cascis », non *Cassiis*, et «Cascæ brachium », non *Cassii*, est omnino legendum. GAR.

Et hos auctoritate mea censetis. Censes, o. l. v. FERR.

Longum est persequi ceteros. Ut Cæcilium, Bucolianum, Rubrium Regem, Q. Ligarium, M. Spurium, Sextum Nasonem, Pontium Aquilam, qui ab Appiano numerantur. Addit Plutarchus in Bruto Labeonem, Appianus et Suetonius Sergium Galbam, Dio Cornelium Cinnam. ABRAM.

EXCURSUS XIII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 11, pag. 136:

Idque reipublicæ præclarum, tam multos fuisse; ipsis gloriosum.

Idque reipub. præcl. fuisse tam multos : tum multo ipsis gloriosius est. Tam multos nullis in scriptis lib. reperitur. Itaque sic arbitror scribendum, «Idque reip. præclarum, fuisse

tam multos, ipsis gloriosius est». Sententiam meam confirmat Col. E. in quo pro *tum* scriptum est *tam*. Ferr. — *Ipsis gloriosius est.* Ex eodem corrige «ipsis gloriosum». Faern. — *Præclarum fuisse tum multo ipsis gloriosius est.* Ita edd. priscæ: ita Pall. ambo: nisi quod sec. *tamen*, et vero testatus est, nostram exstare in omnibus suis scriptis, Ferrarius: probo; sed superat adhuc vox *fuisse*, quæ spurium quid sapit: deinde abjiciendum *est* a fine, suasu Pal. pr. neoterici receperunt Ferrarii conjectaneum, «præclarum fuisse tam multos: ipsis gloriosius est»: at Victoriana, «fuisse tam multos, tum multo ipsis gloriosius». Grut. — Nec hic fuit recedendum ab auctoritate præstantissimi codicis, quem sequuti sunt Faernus, Muretus, Lambinus, Manutius, nisi quod hic retineat, «gloriosius: idque reipublicæ præclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum». Fuit id reipublicæ magnæ laudi, fuisse tam multos in illa cives, qui ejus salutem, dignitatem et libertatem assererent contra impotentem dominatum Cæsaris, ipsis autem tot vindicibus libertatis hoc fuit gloriosum. Grævius. — Variant libri in *fuisse*, quod alii post *præclarum*, alii post *multos* locant. Hinc Ciceronem scripsisse puto: «idque reip. præclarum, fuisse tam multos; fuisse, ipsis gloriosum». Heusing. — In Vatic. vetus ille ordo servatur, «fuisse tam multos». Gar. — Vulg. lectionem, quam Ern. retinuit, «idque reip. præclarum, tum multo ipsis gloriosius», non admitti posse, et eam, quam Vatic. affert, præferendam esse, quisque facile videt. Distinguit enim hic inter claritatem et gloriam; quod resp. tam multos bonos cives habebat, claritatem seu nobilitatem eidem attulit, ipsis viris gloriam attulit sc. factum; nam gloria referenda est ad ipsam cædem, seu rem gestam, quoniam gloria meritis, rebus bene gestis, comparatur, ideoque potissimum hominibus, claritas rebus tribuitur; v. c. nascendi, nominis, rerum bellicarum claritas dicitur. Quapropter non gradu inter se differunt, uti ex vulgata existimandum esset, sed re et usu. Nos diceremus: «für den

Staat war es glanzvoll, dasś so viele waren, für die Männer selbst ruhmvoll ». Plura de hoc discrimine Sen. epist. 102. Schütz. recepit: « reip. præclarum tam multos fuisse; fuisse ipsis gloriosum ».

EXCURSUS XIV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 12, pag. 137:

Te excepto, et iis, qui illum regnare gaudebant, etc.

Te excepto, qui illum regnare gaudebas. Antiquus liber, « exceptis iis, qui illum regnare gaudebant » : et recte : non enim solus Antonius Cæsarem regnare gaudebat, sed et multi alii: et paullo post pro, « omnes enim », « omnes ergo »: et post pauca his duobus verbis, « quem suspicatum », interponenda dictio *tu*, et post nonnulla, « numquamne intelliges »; et sequenti versu, « homicidæ sint ». Faern. — *Te excepto et iis, qui eum regnare gaudebant.* Redintegravi hanc periodum ex Pal. sec. Gembl. Lil. et S. Victoris: alludebatque item Pal. pr. in quo « te excepto is qui eum regnare gaudebat ». Grut. — Cum Palatino primo plane consentit meus. Sed Coloniensis suffragatur iis, ex quibus Grut. hunc locum bene restituit. Græv. — Ien. « excepto te is, qui illum regnare gaudebat ». Veræ lectionis vestigia conservavit, quæ fuit, « excepto te, et iis, qui illum regnare gaudebant ». Hinc apparet ratio, cur *et* in aliis, in aliis *te* exciderit. Heus. — Cod. Car. Steph. « te excepto, et ii, qui illum regnare gaudebant». Non malus hic erat codex, quem sæpe Ferrarii lectiones arbitror confirmasse, ubi eas Steph. tacitus exhibuit. Gar.

Omnes enim in culpa. Nonnulli vet. lib. *erunt.* Quod tamen rejicio. Ferr. — *Omnes enim in culpa.* Legit Lambinus

et opinor necessario : « Omnes ergo in culpa ». Abram. — Cur contra libros omnes τῷ *enim* substituamus, nulla est ratio, quamvis id quoque fecerit Paullus Manutius. Ciceronis mens est, æque enim omnes in culpa sunt, qui fecerunt, et qui iis applauserunt. Græv. — Faerno sui, ut videtur, codicis fide rescribenti, « omnes ergo in culpa », Man. Lamb. et Abram. adsensi sunt : Grævius prope unus reclamat, quasi contra libros omnes *ergo* substituatur. Sed primum illud credibile non est, ex sola conjectura Faernum aliquid mutasse : illud quoque certum, non omnes libros conspirare, sed in aliis, quos Ferrarius vidit, fuisse, « omnes erunt in culpa », quod ex *ergo* factum : postremo totus orationis contextus non *causalem*, sed *conclusivam* particulam poscit. Dixit enim, eos quoque, qui lætati sint Cæsaris cæde, accusandos esse, si eam suasisse crimen sit. Nihil enim interesse inter suasorem facti, et probatorem. Jam vero omnes cædem Cæsaris probasse. Hinc ergo consequi ex Antonii sententia, ut omnes sint in culpa. Omnes enim bonos, si voluntatem spectes, Cæsaris interfectores esse. Itaque cum Abr. plane necessariam esse Faerni emendationem sentio. Sed tamen quatuor hæc verba qui deletum ibit, non invito me id faciet. Heus. — Non est dubitandum, quin a Vaticano sit *ergo* : quamvis enim Faernus id sine admonitione receperit, id ego in optimo libro conspexi, et unice verum est : neque cur a Mur. neglectum fuerit, intelligo. Gar. — *Omnes ergo.* Adsentior hic Heusing. qui contendit, contextum talem esse, ut potius requirat part. conclusivam, quam causalem, ideoque non *enim*, quod vulgo legatur, sed Vat. lectionem *ergo* recipiendam esse, quam Lambinus, Manutius, Abramus ac nuper Schütz. amplexi sunt, non item Græv. et Ernest.

EXCURSUS XV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. II, cap. 12, pag. 138:

Homicidæ sint, an vindices libertatis?

Homicidii rei sint, an vindices libertatis. Lang. « homicidæ rei sint ». Col. « homicidæne sint ». Nonnulli vetustatis non minoris libri, « homicidæ sint » : nemo quidem certe (de antiquis loquor) *homicidii*; quorum consensum, etsi libri impressi plus concinnitatis mihi habere videbantur, si quidem paria paribus referunt, silentio tamen prætereundum esse non duxi : præsertim quum id verbum neque superior (quod sciam), neque Ciceronis ætas usurparit. Quod si non contemnimus, postremum sequemur. — *Homicidæ sint.* Ita et Pal. sec. et Maur. non, « homicidii rei sint »; quomodo vulgata. Grut. — Ien. ut Col. « homicidæ rei sint », non *homicidii*, ut vulgo, quo verbo Cicero nusquam usus est. Dispiciant alii, an « homicidam reum esse » dici possit, ut « docere pictorem » pro *picturam*, de qua metonymia Vechner. Hellenol. II, 5, p. 490; Casaubon. ad Sueton. Tiber. 33, et Græv. ad cap. 40 pro Amer. Heus. — Facile mihi persuadeo, veram hujus loci lectionem nobis ab optimo Colotiano esse servatam, « homicidæ ne sint ». Causa interpolationis in eo posita est, quod *utrum* antecedat. Sed optime sequi *ne*, ostendunt ea, quæ notavimus ad c. 30 pro Quint. Quod quum non tulerit vir magnus R. Bentleius, eique adsentientes alii doctissimi : quis jam miretur, idem imperitis olim displicuisse? Itaque alii *ne* sustulerunt, ut accidit in quibusdam Tusculanarum, et de Inventione codicibus; quæ melior visa emendandi ratio bonos libros, et Vaticanum psum pervasit : alii ex *ne* fecerunt inepte *rei*, ut in Colon. Lang. Ien. et in ed. Rom. legitur; unde postea « homicidi rei », ut in vet. Ven. et « homicidii rei », ut Ald. Naug. Cam. P. Man. Car. Steph. et repet. Lamb. et Barb. uterque. Gar.

—*Homicidæ sint.* Ien. et Gud. «homicidæ rei sint». ψ «homicidii rei». Ceterum adsentior Garatonio, et improbo Heusingeri rationem, qui huc traxit quemdam loquendi modum, qui huc non pertinet.

Cogitationemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipe. L. v. partim cum impressis consentiunt : plerique *punctum* tantummodo : nonnulli *puncto ;* omnes probabiles. Ferr. — *Ad punctum temporis suscipe : et ego qui sum.* Delenda præpositio *ad*, et copula *et ;* deinde post aliqua, ubi est, «ab eodem te», vox *te* non est in antiquo exemplari, quæ tamen non videtur tollenda. Faern. — Etiam cod. Car. Steph. *puncto ;* sed vera lectio, *punctum.* Gar.

Suscipe : et ego, qui sum illorum, et c. Omnes fere l. v. «suscipiet : ego». Col. «suscipe : ego» : quod probabilius est. Quidam *etenim* reposuerunt : quod etiam mihi magis arrideret, si vel unum modo librum scriptum haberet auctorem. — Ferr. *Etenim* a libris abest tum ceteris, tum Ien. Heus.

M. TULLII CICERONIS
IN M. ANTONIUM
PHILIPPICA TERTIA

ARGUMENTUM.

Antonius et Dolabella consules erant anno Urbis 709. Ante obitum Cæsar in annum sequentem consules designaverat C. Pansam et A. Hirtium, et deinde D. Junium Brutum et L. Munatium Plancum. D. Junius Brutus autem et C. Cassius, qui præturam ambo exercebant, Macedoniam et Syriam, quas sortiti erant, nonnisi post exactum magistratus sui tempus obtinere poterant. D. Brutus, in annum 711 consul designatus, Galliam citeriorem, sive Cisalpinam, incipiente anno 710 erat possessurus; nam ea destinata ei fuerat, antequam consulatum iniret. Antonius, sicut antea vidimus, postquam aliquamdiu ambitionem texisset, palam postea ad summam est grassatus potestatem. Eo suadente populus Syriam Dolabellæ, et Macedoniam ipsi Antonio irrogarat. Deinde Galliam citeriorem tamquam consiliis magis accommodatam sibi vir ille servaverat, et Macedoniam Caio fratri dederat administrandam. Cæsar autem in Macedoniam quatuor legiones spectatæ virtutis traduxerat, ut bellum Parthis inde inferret. Quas autem Antonius in Italiam arcessivit, et ipse obviam iis ad Brundisium usque processit; quo cum exercitu Romam repetere, urbemque opprimere statuerat. Sed non erat Cæsarem excepturus; nam alter alia de parte in eum arma movebat.

Octavius nepos J. Cæsaris, ab eoque adoptatus, non dubitavit in avunculi locum res tractare, seque ejus heredem professus, sibi nomen C. Julii Cæsaris Octaviani adscripsit. Donec Augustus dictus est, ab historicis Octavius appellatur : in Philippicis autem Tullius eum Cæsaris nomine semper designat. Ratus primum opprimendum esse Antonium, contra eum cum republica coivit, causamque senatus ac libertatis amplecti visus est. Cicero, qui fidem juvenis ambitiosissimi suspicabatur, ut ex literis ad Atticum (XV, 12, XVI, 8, 9, 11) patet, diu incertus remansit, sed tandem se illius patronum ac fautorem est professus. His auxiliis fretus Octavius nomenque Cæsaris præ se ferens, Italiam percurrit, ibique nec populo nec senatu jubente, patris veteranos recolligit, et exercitum ex iis et quarta et Martia legione conflat. Tum ad Galliam citeriorem sese convertere coactus fuit Antonius; sed hanc provinciam servabat D. Brutus tamquam sibi debitam : qui etiam edictis suis palam

declaraverat, se eam sub populi senatusque auctoritate esse retenturum. Antonius quoque edicta protulerat, quibus in Ciceronem, in Cæsarem Octavianum, et in alios invehebatur.

Quum autem Antonius Roma cessisset, nulli in urbe magistratus erant tribunis plebis superiores. Quos inter eminebat Casca, qui inter primos violentas Cæsari manus injecerat. Ut mos erat, magistratum suum x decemb. die iniere tribuni, et senatum ad xx diem convocarunt. Frequens omnino fuit illa concio; designatis consulibus præsidia concedenda esse decretum, ut senatus quam tutissime haberetur: hac ratione senatoribus additi sunt animi, ut quidquid sentirent palam confiterentur.

Cicero, qui statim ac aufugerat Antonius, Urbem regressus fuerat, primus verba de republica fecit. Primum miratur, quod senatores censeant exspectandum esse januarii mensem, ut contra Antonium bellum moveatur, quum ille indesinenter patriæ ruinam moliatur. Conqueritur quod privati cives bellum illud sustineant quod pro tota republica fuit susceptum : petit ut senatus eorum tentamenta auctoritate sua et mercedibus confirmet. Octaviani fortitudinem extollit, qui impedimento fuit, ne Antonius funestissima in rempublicam consilia exsequeretur : laudibus maximis concelebrat quartam Martiamque legionem quæ Antonium quamvis consulem deseruerant. Tum D. Bruti facinus cum primi Bruti virtute confert, qui Romam tyrannis eripuit; inde quoque longa Antonium inter ac Tarquinium Superbum collatio. Non jam consul habendus est Antonius; et D. Brutus Galliaque provincia publicis laudibus exornandi, qui eum tamquam reipublicæ hostem repulere : plebis tribunis applaudit, qui præsidia designatis consulibus danda esse decreverunt. Senatores hortatur, ut milites qui contra Antonium reipublicæ causam suscepere, digna mercede donent. Omnia viri istius edicta refert, ut inde pateat quam graviter libertatem impugnet, et in salutem omnium civium invehatur. Demum senatores excitat et accendit, libertatis amore, et servitutis odio, et omnium memoria flagitiorum, quibus quotidie rempublicam labefactare Antonius aggreditur. Quidquid hac in oratione protulit orator, senatores decrevere (Dion, XLV, 15).

Hanc orationem habuit Tullius die vigesima decembris anno Urbis 709.

ALIUD ARGUMENTUM.

Post Cæsaris necem decrevit senatus consulares provincias, Antonio Macedoniam, Dolabellæ Syriam. Sed Antonius occasionem quærens reipublicæ perturbandæ, Galliam citeriorem sibi mandari cupiebat. Quod quum a senatu non impetraret, qui eam provinciam D. Bruto, jam antea ab ipso Cæsare datam, post ejus interitum confirmaverat, tulit ad populum, et obtinuit, ut citeriorem Galliam regeret: unde se cum exercitu ad Urbem, Cæsaris exemplo, facile venturum sperabat: nam Macedonia, terra marique disjuncta, novis consiliis parum opportuna videbatur. Hac mente Brundisium ivit ad VII id. octob. profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad Urbem adducere, et in cervicibus bonorum collocare. Sic enim scripsit Cicero ad Cornificium: « Quum eum sequi multi recusarent, præsertim ex legione Martia, iracundia percitus, trucidari Suessæ primum, deinde Brundisii quamplurimos jussit ». Qua de re sic in Philipp. XIII, ut alia mittam exempla: « Prorupit subito Brundisium, ut inde agmine quadrato ad Urbem accederet : lautissimum oppidum, nunc municipum, honestissimorum quondam colonorum, Suessam fortissimorum militum sanguine implevit: Brundisii, in sinu non modo avarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris, delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit : inde se quo furore, quo ardore ad Urbem, id est, ad cædem optimi cujusque rapiebat? quo tempore dii immortales ipsi præsidium improvisum nec opinantibus nobis obtulerunt. Cæsaris enim incredibilis, ac divina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit ». Redeuntem a Brundisio Antonium legio Martia reliquit: ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, Urbem est ingressus : vocato in Capitolium senatu, quum de abalienata legione quarta, et Octaviani copiis adjuncta, nuntius ei esset allatus, propere senatum dimisit, et ad occupandam Galliam citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea quum novi tribuni pl. qui IV id. dec. magistratum inibant, XIII kalend. jan. sena-

tum convocassent, deque præsidio consulum designatorum retulissent, ut senatum tuto kalendis januariis habere possent, Cicero, laudata tribunorum mente, totam rempublicam complexus, hæc censuit: res eas, quas Cæsar adolescens privato consilio gesserat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quæ, relicto Antonio, ad rempublicam defendendam se contulerant, laudandas, eisque spem præmiorum decreto senatus ostendendam; D. Brutum, qui se irruenti in Galliam Antonio objecerat, ipsamque Galliam, quæ resisteret, debita laude ornandam; provincias ab iisdem, qui eas obtinerent, obtinendas esse ex lege Julia, quoad ex SC. cuique eorum successum esset; iisque de rebus ad senatum a novis consulibus primo quoque tempore esse referendum. Assensit senatus, et in ejus sententiam SC. factum est. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA TERTIA.

ORATIO QUINTA ET QUADRAGESIMA.

I. Serius omnino, patres conscripti, quam tempus reipublicæ postulabat[1], aliquando tamen convocati sumus[2]: quod flagitabam equidem quotidie; quippe quum bellum nefarium contra aras et focos, contra vitam fortunasque nostras, ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri jam viderem. Exspectantur kalendæ januar.[3] quas non exspectat Antonius, qui in provinciam D. Bruti[4], summi et singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur; ex qua se instructum et paratum ad urbem venturum esse minitatur. Quæ est igitur exspectatio, aut quæ vel minimi[5] dilatio temporis? Quamquam enim adsunt[6] kalendæ jan. tamen breve tempus longum

I. 1. *Postulabat.* Alii, *postularit.* J. V. L.

2. *Convocati sumus.* Decimo scilicet kalendas januarias Patres fuerant convocati. Jam autem ex diebus decem ab Urbe Antonius profugerat; nullique Romæ his temporibus consules, nulli prætores erant.

3. *Kalendæ januar.* Ut scilicet eo die consules qui magistratum ineunt de republica referant, statuatque senatus quid sit agendum.

4. *D. Bruti.* Decimus ille Brutus designatus erat consul: tunc Galliam citeriorem sive Cisalpinam obtinebat.

5. *Minimi.* Aliæ editiones dant *minima.* J. V. L.

6. *Adsunt.* Propinquæ sunt. Nam hæc oratio decem ante eas dies est habita.

est imparatis[7]. Dies enim affert, vel hora[8] potius, nisi provisum est, magnas sæpe clades. Certus autem dies non ut sacrificii, sic consilii exspectari solet. Quod si aut kalendæ jan. fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius[9], aut hæ non essent exspectatæ, bellum jam nullum haberemus. Auctoritate enim senatus, consensuque populi romani facile hominis amentis fregissémus audaciam. Quod confido equidem consules designatos, simul ac magistratum inierint, esse facturos. Sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. Mea autem festinatio non victoriæ solum avida est, sed etiam[10] celeritatis.

II. Quo enim usque tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis consiliis[1] propulsabitur? Cur non quam primum publica accedit auctoritas? C. Cæsar adolescens[2], pæne potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, quum maxime furor arderet Antonii, quumque ejus[3] a Brundisio

7. *Imparatis*. Spatium illud, quamvis breve, nobis officere tamen potest, quia sumus imparati; nec poterimus, quum res evenerit, fructum ullum ex eo percipere, quod non instructos adhuc Antonius occupabit.

8. *Vel hora*. Aliæ editiones dant *et hora*. J. V. L.

9. *Fugit Antonius*. Nam omnino fugæ similis fuit illius profectio; non viis enim, sed tramitibus paludatus abiit, aut potius evasit. Ea enim ipsa die innumerabilia senatusconsulta fecit, quæ quidem omnino citius delata in ærarium et condita quam scripta sunt.

10. *Sed etiam*. In Vaticano particula *sed* omittitur, quod quidem non recte, ut opinor.

II. 1. *Priv. consiliis*. Cæsaris Octaviani et Decimi Bruti, de quibus infra fusius ab oratore dicetur.

2. *C. Cæsar adolescens*. Octavianus hic est, qui Cæsaris nomen sibi adscripsit, ut qui ab eo fuerat adoptatus. Innotuit postea omnino Augusti cognomine insignitus. Quum primum Antonio obstitit, annos XIX tantum natus erat.

3. *Quumque ejus*. Quod quidem Cæsaris Octaviani beneficium summis laudibus Cicero celebravit: et in epistola quadam ad Cornificium sic de ea re agitur: «Puer egregius præsidium sibi primum, deinde summæ reipublicæ comparavit; qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio pestis patriæ fuisset».

crudelis et pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, ne optantibus quidem nobis (quia fieri non posse videbatur), firmissimum exercitum ex invicto[4] genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit[5]. Quamquam non sum usus[6] eo verbo, quo decuit. Non enim effudit, sed in salute[7] reipublicæ collocavit. Cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur; habenda tamen tanta est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat, si M. Antonius a Brundisio cum iis copiis, quas se habiturum putabat[8], Romam, ut minabatur, venire potuisset, nullum genus eum crudelitatis præteriturum fuisse? quippe qui in hospitis tectis Brundisii fortissimos viros[9], cives optimos, jugulari jussit: quorum ante pedes ejus[10] morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, quum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat; cui tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset?

Qua peste rempublicam privato consilio[11] (nec

4. *Ex invicto.* Abest *ex.* J. V. L.

5. *Effudit.* In singulos enim milites, pro menstruo stipendio quingentos denarios erogavit; et tria millia veteranis qui eum sequuti sunt largitus est. Milites autem illos veteranos ex Casilinis et Calatia eduxit, quorum quum alii exemplum imitarentur, brevi in formam justi exercitus coiere.

6. *Sum usus.* Al. *sumus usi.* J.V. L.

7. *In salute.* Insudavere multi commentatores hoc in loco; incerti scilicet an scribendum esset *in salute*, aut potius *in salutem.* Optime congruere videtur cum ceteris vox *in salute*, eamque MSS auctoritate freti servavimus.

8. *Putabat.* Al. *putaverat.* J. V. L.

9. *Fortissimos viros.* Centuriones scilicet et milites, qui numero trecenti erant, jugulari jussit, ut qui partes ipsius sequi recusarent; eo majori quidem scelere, quod hospitii jura horum virorum nece omnino fregit.

10. *Ante pedes ejus.* In Philippica XIII eos in sinu uxoris fuisse trucidatos oratorie dicit.

11. *Privato consilio.* Res enim ita

enim fieri potuit aliter) Cæsar liberavit. Qui nisi in hac republica natus esset, rempublicam scelere Antonii nullam haberemus. Sic enim perspicio, sic judico, nisi unus adolescens illius furentis impetus crudelissimosque conatus cohibuisset, rempublicam funditus interituram fuisse. Cui quidem hodierno die, patres conscripti (nunc enim primum ita convenimus, ut illius beneficio[12] possemus, quæ sentiremus, libere dicere), tribuenda est auctoritas, ut rempublicam non modo a se susceptam, sed etiam a nobis commendatam possit defendere.

III. Nec vero de legione Martia[1] (quoniam longo intervallo[2] loqui nobis de republica licet) sileri potest. Quis enim unus fortior[3], quis amicior umquam reipublicæ fuit, quam legio Martia universa? quæ quum hostem populi romani M. Antonium judicasset, comes esse ejus amentiæ noluit; reliquit consulem: quod profecto non fecisset, si eum consulem judicavisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædem civium, atque interitum civitatis, videret. Atque ea legio consedit Albæ. Quam potuit urbem eligere,

urgebat, ut senatus decretum exspectare longius esset; itaque Cæsar Octavianus propria auctoritate rempublicam capessivit, et solus, exercitu comparato, eam est tutatus.

12. *Illius beneficio.* Nam Antonius Cæsaris metu profugit: audito enim de quarta legione nuntio, statim ab Urbe discessit. Manuscripti quidam et editi plurimi habent, *ut de illius*, quod non probandum videtur.

III. 1. *Nec vero de legione Martia.* Legio illa Antonium Brundisio profectum, et Romam invadere parantem reliquit.

2. *Longo intervallo.* Quia ad hanc usque diem prohibuit Antonius, ne sententiam palam profiteremur.

3. *Unus fortior.* Ferrarius ibi legendum ex quorumdam MSS auctoritate censet, *quis enim umquam fortior.* Quam lectionem, quamvis eam acriter defendat, non sumus probaturi. Vox enim illa, *unus fortior*, majorem vim possidere mihi videtur: nam sic intelligendus est hic locus: Legio Martia universa, ita est populo romano amica, ut ne unus quidem civis sit patriæ amantior. Hunc interpretandi modum, qui optimus videtur, Muretus, Manutiusque et alii quidem tuentur.

aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum[4], aut amiciorum populo romano civium? Hujusce legionis virtutem imitata quarta legio, duce L. Egnatuleio quæstore, cive optimo[5] et fortissimo, Cæsaris auctoritatem atque exercitum persequuta est[6]. Faciundum est igitur nobis, patres conscripti, ut ea, quæ sua sponte clarissimus adolescens atque omnium præstantissimus gessit et gerit, hæc auctoritate nostra comprobentur[7]; veteranorumque, fortissimorum virorum, tum legionis Martiæ, quartæque mirabilis consensus ad rempublicam recuperandam, laude et testimonio nostro confirmetur; eorumque commoda, honores, præmia, quum consules designati[8] magistratum inierint, curæ nobis fore, hodierno die spondeamus.

IV. Atque ea quidem, quæ dixi de Cæsare, deque ejus exercitu, jam diu nota sunt nobis. Virtute enim admirabili Cæsaris, constantiaque militum veteranorum, legionumque earum optimo judicio, quæ auctoritatem nostram, libertatem populi romani, virtutem C. Cæsaris sequutæ sunt, a cervicibus[1] nostris est de-

4. *Fortiorum virorum.* Diu editi scriptum habuere, *fortiorem virorum*, quod omnino latino sermoni repugnabat; Faernus primus *fortiorum* restituit, quem omnes postea sequuti sunt.

5. *Cive optimo.* Priscian. lib. VII, Ciceronem testatur scripsisse *civi optimo;* sic etiam in vetustissimis libris legitur; sed multo potior videtur lectio illa, *cive optimo.*

6. *Persequuta est.* Locus est intelligendus, tamquam si scriptum esset, *prosequuta est:* sensus enim est: Cæsaris Octaviani auctoritate et largitionibus victa, partes illius amplecti non dubitavit. Hoc modo sæpissime veteres apud scriptores usurpatur verbum *persequi.* Sic enim Cicero ad Div. IX, 13: « Cito me ad te esse venturum, te persequar ». Multa quidem hujus generis exempla Garatonius congessit, ut locum illum explanaret, quæ referre non operæ pretium est.

7. *Comprobentur.* Sic enim a principio se gesserat Octavianus, ut omnia patriæ et libertatis causa suscipere videretur, quæ ad fortunam tantum privatam struebat.

8. *Quum consules designati.* Qui, ut antea vidimus, Antonio erant infestissimi.

IV. 1. *A cervicibus.* Nam tum Antonius palam cum Octavio manus conserere non est ausus; et sic infanda

pulsus Antonius. Sed, ut dixi, hæc superiora : hoc vero recens edictum[2] D. Bruti, quod paullo ante propositum est, certe silentio non potest præteriri. Pollicetur enim, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique romani potestate[3].

O civem natum reipublicæ, memorem sui nominis, imitatoremque majorum! neque enim, Tarquinio expulso, majoribus nostris tam fuit optata libertas, quam est, repulso Antonio[4], retinenda nobis. Illi regibus parere jam a condita urbe didicerant : nos post reges exactos servitutis oblivio ceperat. Atque ille Tarquinius[5], quem majores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed superbus habitus est et dictus : quod nos vitium in privatis sæpe tulimus, id majores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem superbum non tulit : Decimus sceleratum atque impium regnare[6] patietur[7]? Quid Tarquinius tale[8], qualia innumerabilia et fecit, et facit

omnia quæ in rempublicam moliebatur ad tempus fuere dilata. Notum est quem exitum habuerint discordiarum illarum semina quæ jam Antonium inter et Augustum intercesserant.

2. *Recens edictum.* Cujus mentio quoque fusius habetur ad Diversos, XI, 6.

3. *Potestate.* Fere omnes manuscripti, et plurimi editi habent *potestatem.* Quam lectionem recepit Lallem. Aldus senior *potestate* invexit; ei auctor erat Vaticanus in quo locus sicuti edidimus est servatus. Garatonio autem codex ille non sanus omnino videbatur.

4. *Rep. Antonii.* Antiquus lib. *depulso tam Antonio.* Editores nonnulli lectionem hanc probabant; et pro *tam* scribendum esse *jam* contendebant.

5. *Ille Tarquinius.* Vividissimus omnino locus ille est, et ad acuendos animos maxime idoneus : nam et ad Brutum et ad omnem populum romanum pertinet. Indecorum enim erit civibus diutius cessare, quum reges expulerint multo minoribus, quam Antonius, flagitiis coinquinatos.

6. *Regnare.* Non sine proposito verbum illud orator usurpat. Nam nihil Romanis æque invisum fuit quam regis nomen ; itaque quum ostendit virum perditissimum Antonium regnare, hac una voce indicat, de republica ac de libertate esse omnino conclamatum.

7. *Patietur.* Al. *patietur Antonium.* J. V. L.

8. *Tarquinius tale.* Non cum historicis consentit hoc in loco orator, qui testantur cognomen Superbi Tarquinio

Antonius? Senatum etiam reges habebant; nec[9] tamen, ut Antonio senatum habenti, in consilio regis versabantur barbari [10] armati. Servabant auspicia reges; quæ hic consul augurque neglexit, neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega una ferente [11] eo, quem ipse ementitis auspiciis vitiosum fecerat [12]. Quis autem rex umquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni venalia? hic quam [13] immunitatem, quam civitatem, quod præmium, non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus: at vero hujus domi inter quasilla [14] pendebatur aurum, numerabatur pecunia; una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi romani nundinabantur [15]. Supplicia vero in cives romanos nulla Tarquinii accepimus: at hic et Suessæ [16] jugulavit eos, quos in custodiam dederat, et Brundisii trecentos fortissimos viros, civesque optimos trucidavit. Postremo Tarquinius pro populo romano bellum gerebat tum, quum est expulsus: Antonius contra populum romanum exercitum adducebat tum, quum a legionibus relictus, nomen Cæ-

fuisse datum propter facta crudelia impiaque: nam libro primo Livius de hoc rege ita scripsit: «Inde L. Tarquinius regnare cœpit, cui Superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum esse dictitans». Talia de hoc principe Florus in scriptis reliquit; in eoque omnes consentiunt, quod eum crudelitate insignem fuisse testentur.

9. *Nec tamen.* Aliæ editiones dant *nec tum*. J. V. L.

10. *Barbari.* Conducti pretio satellites, qui senatorum libertatem frangerent.

11. *Ferente.* Al. *referente*. J. V. L.

12. *Vitiosum fecerat.* Res omnis illa narrata est Phil. II, 33.

13. *Hic quam immunitatem.* Alii, *quam hic imm.* J. V. L.

14. *Inter quasilla.* Cistulæ sunt muliebres.

15. *Nundinabantur.* De his nundinis jam superius est dictum. Omnia hæc assidente Fulvia uxore erant patrata.

16. *Suessæ.* Urbs erat Latii.

saris exercitumque pertimuit, neglectisque sacrificiis solemnibus[17], ante lucem, vota ea, quæ numquam solveret[18], nuncupavit; et hoc tempore in provinciam populi romani conatur invadere. Majus igitur a Decimo Bruto beneficium populus romanus et habet, et exspectat, quam majores nostri acceperunt a L. Bruto, principe hujus maxime conservandi generis et nominis.

V. Quum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabile est servire impuro, impudico, effeminato, numquam, ne in metu quidem, sobrio. Hunc igitur qui Gallia prohibet, privato præsertim consilio[1], judicat, verissimeque judicat, non esse consulem. Faciendum est igitur, patres conscripti, nobis, ut D. Bruti privatum consilium auctoritate publica comprobemus. Nec vero M. Antonium consulem post Lupercalia[2] putare debuistis. Quo enim ille die, populo romano inspectante, nudus, unctus, ebrius concionatus est, et id egit, ut collegæ diadema imponeret; eo die non modo consulatu, sed etiam libertate se abdicavit. Esset enim ipsi certe statim serviendum, si Cæsar[3] ab eo regni insigne accipere voluisset. Hunc igitur ego consulem, hunc civem romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui fœdo illo et flagitioso die, et quid pati,

17. *Sacrificiis solemnibus.* Consules in provincias profecturi, et sacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant, quæ quum rediissent, bene gestis rebus solvebant.

18. *Numquam solveret.* Non enim quæ cogitat, ei prospere succedent, dummodo defensores nostros Octavianum et D. Brutum auctoritate nostra tueamur; et ille posterior se dignum Bruto illo priore ostendat.

V. 1. *Præsertim consilio.* Non enim illi senatus mandavit, auctorve fuit ut Antonium quamvis consulem a Gallia arceret.

2. *Lupercalia.* Omnia quæ ibi flagitiosissime edidit Antonius, Phil. II, 34 narrantur.

3. *Si Cæsar ab eo*, etc. Antonius jam non liber est, quum ipse, quantum in ipso fuit, servitute se obstrinxit, quum Cæsari regnum obtulit.

Cæsare vivo[4], posset, et quid, eo mortuo[5], consequi ipse cuperet, ostendit?

Nec vero de virtute, constantia, et gravitate provinciæ Galliæ taceri potest. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi romani, illud ornamentum dignitatis[6]. Tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majestatemque populi romani defendendam conspirasse videantur. Quamobrem, tribuni plebis, quamquam vos nihil aliud, nisi de præsidio[7], ut senatum tuto consules kalendis jan. habere possent, retulistis[8], tamen mihi videmini magno consilio, atque optima mente potestatem nobis de tota republica fecisse dicendi. Quum enim tuto senatum haberi sine præsidio non posse judicavistis; illud etiam statuistis, intra muros Antonii scelus[9] audaciamque versari.

VI. Quamobrem omnia, mea sententia, complectar, vobis, ut intelligo, non invitis, ut et præstantissimis ducibus[1] a nobis detur auctoritas, et fortissi-

4. *Cæs. vivo.* Nam quum capiti ejus imponere diadema fuerat aggressus, hoc ipso indicabat, se Cæsarem tamquam regem habiturum, ideoque brevi ei esse inserviturum.

5. *Eo mortuo.* Nam hoc artificio, regnum in alio probabat, ut, quum exstinctus ille esset, summam potestatem obtineret, assuetis ad servitutem animis.

6. *Ornamentum dignitatis.* Gallos maxime reformidabant Romani, nec sibi bellum cum iis, sed tumultum potius esse profitebantur, adeo vivido impetu in Italiam populi illi irruebant.

7. *De præsidio.* Quod consules designatos et omnes patres conscriptos erat tutaturum, ut kalendis januariis et ipsi consules, et senatus omnis ad curiam confluere tuto, omnique metu omisso posset.

8. *Retulistis.* Hujus sententiæ auctor fuerat M. Servilius, et eo principe omnes dixerant.

9. *Antonii scelus.* Quamvis ab Urbe procul Antonius aufugerit, decrevistis tamen esse nobis metuendum, quum amici ejus et fautores, id est, civium perditissimi et flagitiosissimi, nova semper molirentur, et essent ad rempublicam evertendam senatumque omnino e medio tollendum accincti.

VI. 1. *Præstantissimis ducibus.* Cæsari scilicet Octaviano et D. Bruto, qui, privato consilio, exercitus contra consules comparaverant.

mis militibus spes ostendatur præmiorum, et judicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. Nam, si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt; sceleratus Cæsar, Brutus nefarius, qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt. Sin autem militibus exquirendi sunt honores novi, propter eorum divinum atque immortale meritum; ducibus autem ne referri quidem [2] potest gratia: quis est, qui eum non hostem existimet, quem qui armis persequuntur, conservatores reipublicæ judicantur?

At quam contumeliosus in edictis? quam barbarus? quam rudis? Primum in Cæsarem ut maledicta congessit, deprompta ex recordatione [3] impudicitiæ et stuprorum suorum? Quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo maledico impurior? Ignobilitatem objicit C. Cæsaris filio [4], cujus etiam naturalis pater [5], si vita suppeditasset, consul factus esset. Aricina mater [6]. Trallianam, aut Ephesiam putes dicere. Videte, quam

2. *Ne referri quidem*. Adeo divinum est ducum meritum, ut gratia par beneficio iis nullo modo possit rependi.

3. *Deprompta ex recordatione impudicitiæ*, etc. Sic Philipp. XIII: « Quem tum ille demens lædere se putabat edictis, ignorans, quæcumque falso is diceret in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiæ suæ ». De Cæsare Octaviano hoc loco agitur.

4. *C. Cæsaris filio*. Huic adolescenti qui per adoptionem filius C. J. Cæsaris est factus.

5. *Naturalis pater*. Is quem erat a natura sortitus; vox illa non inconsulto hic posita, nam lucem verbis superioribus addit *C. Cæsaris filio*. Pater autem Octaviani Cæsaris Cneus Octavius erat; prætor fuerat, Macedoniamque administrarat; consulatum erat petiturus quum morte subita est oppressus.

6. *Aricina mater*. Attia est M. Attii Balbi filia, quam vir ille ex Julia sorore C. J. Cæsaris susceperat. Post obitum Cn. Octavii femina illa Philippo nupsit. Objiciebat Antonius Octaviano, tamquam rem turpem et ignobilem, quod matre Aricina esset oriundus.

despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane: quotus enim quisque non est? quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum, jure fœderatum, propinquitate pæne finitimum[7], splendore municipum honestissimum? Hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges[8]; hinc multæ sellæ curules, et patrum memoria, et nostra; hinc equites romani lautissimi plurimi [et honestissimi]. Sed si Aricinam uxorem non probas, cur probas Tusculanam[9]? quamquam hujus sanctissimæ feminæ atque optimæ pater, M. Attius Balbus, in primis honestus, prætorius fuit: tuæ conjugis, bonæ feminæ[10], locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia[11] traxerit. At avus nobilis. Tuditanus[12] nempe ille, ille[13], qui cum palla et cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat. Vellem hanc contemptionem pecuniæ suis reliquisset[14]. Habetis nobilitatem generis glorio-

7. *Pæne finitimum*. Aberat enim Roma viginti millibus passuum.

8. *Scatiniæ leges*. Voconia lege sancitum erat, ne quis census, id est, pecuniosus filiam heredem relinqueret. — *Scatiniæ*. Lex illa contra impudicos et eos, qui muliebria paterentur a tribuno Scatinio lata fuerat.

9. *Tusculanam*. Quam tu duxisti, M. Fadii libertini hominis filiam.

10. *Bonæ feminæ*. Per ironiam verba illa profert orator, nam brevi subjicit, locupletis quidem certe; quod tu unum sane spectasti, quum eam uxorem duxisti.

11. *Ex contumelia*. Nomen enim a græca voce βαμβαλίζειν erat sortitus. Nullo numero erat, quia et libertinus et corde stupidus habebatur. Nomen ipsum autem contumelia perpetua fuit, quia vitium simul illius hac voce indicabatur.

12. *Tuditanus*. Hoc refertur ad alteram Antonii uxorem Fulviam; cujus maternus avus fuit Sempronius Tuditanus, auctore Asconio. Hujus autem viri tribus de causis stultitiam ridet: primum, quod in foro cum palla processerit, quo vestimenti genere non utebantur senatores; deinde, quod cum cothurnis iret in theatro tantum usitatis; postremo, quod nummos populo e Rostris projiceret, ut pecuniæ contemptor haberetur.

13. *Ille*. Abest *ille*. J. V. L.

14. *Suis reliquisset*. Hoc in Fulviam

sam[15]. Qui autem evenit[16], ut tibi Aricina natus[17] ignobilis videatur, quum tu eodem materno genere[18] soleas gloriari? quæ porro amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam[19], habuerit uxorem; ipse ex libertini[20] filia susceperit liberos? Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem; C. Marcellus, qui Aricinæ filiam[21]: quos[22] certo scio dignitatis optimarum feminarum non pœnitere.

VII. Idem etiam Q. Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto[1]; nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. Quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab hominibus, Cæsaris consiliorum esse socium, Antonii furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris et patrui parricidio cogitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adolescentem hoc[2] scribere audere, quem ego[3], et frater meus, propter ejus suavissimos atque

Antonii uxorem est dictum, quæ avarissima erat. — *Habetis*. Ernestius edidit ex aliquot MSS, *Haberetis*. J. V. L.

15. *Gloriosam*. Ironice. Quum prior uxorum tuarum Fadia libertini hominis filia fuerit: et altera sordidæ sit avaritiæ, et avum eum habuerit, cujus notissima est dementia.

16. *Evenit*. Conjiciunt multi, *convenit*. J. V. L.

17. *Aricina natus*. Al. *Julia natus*. J. V. L.

18. *Materno genere*. Antonii mater Julia fuerat, L. Cæsaris consularis viri soror, ex Aricia oriunda.

19. *Proditoris filiam*. Numitorio quodam natam, qui Fregellam ad seditionem impulerat, ac deinde populo tradiderat romano.

20. *Libertini*. Ex Fadia Bambalionis filia.

21. *Aricinæ filiam*. Octaviam, Octaviani sororem, ex qua genuit Marcellum illum cujus immaturam mortem Virgilius luculentissimis carminibus, Æneid. VI, deplorat.

22. *Certo*. Al. *certe*. J. V. L.

VII. 1. *Compellat edicto*. Hoc est, vituperat et carpit.

2. *Hoc*. Al. *hæc*. J. V. L.

3. *Quem ego*. Attamen Cicero ipse in Epistolis ad Atticum edocet, juvenem hunc, sæpius ac diutissime parentes suos, agendi ratione parum nobili, in se concitavisse. Cum patre a

optimos mores, præstantissimumque ingenium, certatim amamus, omnibusque horis, oculis, auribus, complexu tenemus? Nam me eisdem edictis, nescit, lædat[4] an laudet. Quum idem supplicium minatur optimis civibus, quod ego de sceleratissimis sumpserim, laudare videtur, quasi imitari velit[5]; quum autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat, tum a sui similibus invidiam aliquam[6] in me commoveri putat.

VIII. Sed ipse quid fecit? Quum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d. VIII kalendas decembres[1]; eo die ipse non affuit. At quomodo edixit? hæc sunt, opinor[2], verba in extremo. «Si qui[3] non affuerit, hunc omnes existimare poterunt et interitus mei[4], et perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.» Quæ sunt perdita consilia? an ea, quæ pertinent ad libertatem populi romani recuperandam? quorum consiliorum Cæsari me[5] auctorem

triumviris fuit proscriptus; et tum pietate innotuit. Patrem satellitibus subripuerat; qui, corpus dilacerando, aggressi sunt nomen loci, quo parens tegebatur, juveni extorquere; stetit ille generoso fixus silentio. At pater, qui omnia e latebris auribus percipiebat, non diutius ferre potuit filium ita acriter a tortoribus cruciari, itaque se ipse percussoribus obtulit. Tum certavere inter se pater et filius, uter mortem prior obiret.

4. *Lædat.* Hoc loco sicuti aliis compluribus vox ea intelligenda est, tamquam si scriptum esset *vituperet.*

5. *Imitari velit.* Me scilicet in hominibus improbis pœna afficiendis. Non enim illa verba, *optimis civibus*, erant in Antonii edicto, sed a Cicerone sunt addita, tamquam interprete mentis ac voluntatis ejus; quum ille, civibus, qui ipsi non paruissent, supplicium idem minatus esset, quod Cicero consul de Catilinæ sociis sumpserat.

6. *Invidiam aliquam.* Odium scilicet aliquod.

VIII. 1. *Kalendas decembres.* Die vigesima quarta novembris.

2. *Opinor.* Al. *ut opinor.* J. V. L.

3. *Qui.* Al. *quis.* J. V. L.

4. *Interitus mei.* Tanto in odio erat Antonius, ut semper metueret ne a bonis civibus opprimeretur. Narrat eum Casaubonus, quum deprehendisset in domo sua sicarios, non potuisse palam eos proferre, quia fides ei non adhibita fuisset.

5. *Me auctorem.* Cicero usus fuerat Octaviano ad comprimendos Antonii furores. Quidquid potuit a principio Octavianus ex Tullio pependit:

et hortatorem et esse, et fuisse fateor. Quamquam ille non eguit consilio cujusquam : sed tamen currentem, ut dicitur, incitavi. Nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor, quum in eo salus et vita optimi cujusque, et libertas populi romani dignitasque consisteret ?

Sed quum tam atroci edicto nos concitavisset[6], cur ipse non affuit ? num putatis aliqua re tristi ac severa ? Vino atque epulis retentus est[7], si epulæ potius quam popinæ nominandæ sunt. Diem edicti obire neglexit ; in ante diem quartum kalendas decembres[8] distulit. Adesse in Capitolio jussit : quod in templum ipse, nescio qua, per Gallorum cuniculum[9], adscendit. Convenerunt corrogati, et quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ[10]. Is enim erat dies, ea fama, is, qui senatum vocarat, ut turpe senatori esset, nihil timere[11]. Ad eos tamen ipsos, qui convenerant, ne verbum quidem ausus est facere de Cæsare[12], quum de eo constituisset ad senatum re-

notum quonam modo fautorem ac patronum suum postea dereliquerit ac prodiderit.

6. *Concitavisset*. Convocavisset ad curiam.

7. *Retentus est*. Al. *retentus et alea est*. J. V. L.

8. *Kalendas decembres*. Al. *kalendarum decembris*. J. V. L.

9. *Gallorum cuniculum*. Nonnulli, quos inter Manutius, sic verba illa interpretantur, adscendit occulte, quasi per Gallorum cuniculum, quum noctu Capitolium invaderent : obrepsit nulli visus, tamquam hostes qui arcem per fraudem sunt invasuri. Aliis contra longe alia sententia : per cuniculum iter tectum intelligunt, quod quidem Galli ædificavissent, quum cingeretur obsidione Capitolium. De hoc itinere Cicero in oratione pro Muræna, cap. 30, verba facit : solus tamen de hoc itinere scripsit ; nullisque aliis monumentis confirmatum est an revera exstiterit.

10. *Dignitatis suæ*. Quia non decebat ad senatum ire Patres conscriptos, quum tali viro, et hujusmodi verbis rogarentur.

11. *Nihil timere*. Distulerat diem primum edictam ; et senatoribus certe metuendum erat, ne quid gravius in libertatem insolentissimus ille vir moliretur.

12. *De Cæsare, quum de eo constituisset*, etc. De Octaviano scilicet, qui non jam tacite bellum contra Antonium parabat.

ferre. Scriptam attulerat consularis quidam sententiam. Quid est aliud [13], se ipsum hostem judicare, nisi de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret? Necesse erat enim alterutrum esse hostem; nec poterat aliter de adversariis ducibus judicari. Si igitur C. Cæsar hostis, cur consul nihil refert ad senatum? Sin ille a senatu notandus non fuit, quid potest dicere, quin, quum de illo tacuerit, se hostem [14] confessus sit? Quem in edictis Spartacum [15] appellat, hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet.

IX. At in rebus tristissimis quantos excitat [1] risus! Sententiolas edicti cujusdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare; ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. « Nulla contumelia est, quam facit dignus [2]. » Primum

13. *Quid est aliud.* Omnibus modis vituperandus, et odio omni dignissimus est Antonius: nam si contra Octavianum verba fecisset, mali animi argueretur et insanientis, ut qui optimum juvenem patriæque maxime studiosum, cumque bonis omnibus mire consentientem impugnaret: nunc vero quum de Octaviano tacuerit, hoc ipso silentio, tamquam clarissimo argumento comprobatur, Octavianum bene egisse, Antoniumque esse communem omnium pestem. Nam si bene egit Octavianus qui contra eum arma movit, fatendum est omnes cives ad id conspirare debere, ut causam reipublicæ eodem modo capessant et in libertatem se vindicent.

14. *Se hostem.* Al. *se hostem esse.* J. V. L.

15. *Spartacum.* Gladiator ille fuit: servorum manum in unum congregaverat: quos ut deleret M. Crassus exercitum conscripsit. Oppressi sunt servi, et eorum dux acriter pugnando vulneratus occubuit.

IX. 1. *Excitat risus.* Nonnullis commentatoribus visus est orator diutius in his Antonii sententiolis hærere; quæ nullius momenti sunt, quæque uno verbo quodammodo carpi potuissent.

2. *Facit dignus.* Nemo fuit qui hujus sententiæ sensum plane deprehenderet. Consulendus est Quintilianus, IX, 3, 17. Gronovius vero Observat. III, 8, sexdecim scriptorum varias opiniones his de verbis dinumerat, posteaque, quid ipse sentiat profitetur. Garatonius in unum varias illas opiniones conjungere, ac quasi miscere est aggressus, sed frustra: locus amplam semper quærendi ac disputandi materiam habet: nec omnino planum est statuere, quid sit denuo intelligendum. Credo Antonium hæc

quid est, dignus? nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? quæ autem potest esse major? Quid est porro, facere contumeliam? quis sic loquitur? Deinde: « Nec timor, quem denuntiat inimicus[3] ». Quid ergo? ab amico timor denuntiari solet? Horum similia deinceps. Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? En, cur magister[4] ejus, ex oratore arator factus[5], possideat, in agro publico populi romani, campi Leontini duo millia jugerum immunia; ut hominem stolidum[6] magis etiam infatuet mercede publica[7].

Sed hæc leviora fortasse: illud quæro, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, quum in edictis tam fuisset ferus; quid autem attinuerit, L. Cassio[8], tribuno plebis fortissimo, et constantissimo civi, mortem denuntiare, si in senatum venisset; D. Carfulenum[9], bene de republica sentientem, e senatu vi et minis mortis expellere; Tib. Canutium, a quo erat honestissimis contentionibus[10] et sæpe, et jure vexatus, non templo solum, verum etiam aditu prohibere Capitolii. Cui senatusconsulto ne intercederent[11], verebatur? de supplicatione, credo, M. Lepidi[12], cla-

mente cogitavisse: nulla scilicet contumelia est, quum ab eo nobis est illata, qui ipse contumelia est dignus.

3. *Inimicus*. Nullo modo nobis timendum est, quum inimicus nobis terrorem incutere conatur.

4. *Magister*. Siciliæ rhetor, de quo superiori oratione facta est mentio.

5. *Factus*. Al. *factus sit*. J. V. L.

6. *Stolidum*. Al. *stultum*. J. V. L.

7. *Mercede publica*. Nam merces illa qua magistrum suum Antonius ditaverat, ex agro publico erat sumpta.

8. *L. Cassio*. Frater ille C. Cassii fuit unius e Cæsaris percussoribus. Vide ad Div. XII, 2, et ad Atticum, XIV, 2.

9. *D. Carfulenum*. Nemini notum quid vir ille gesserit; ignoratur quoque prorsus, quid Tib. Canutius boni ad rempublicam contulerit.

10. *Contentionibus*. Al. *concionibus*. J. V. L.

11. *Intercederent*. Scilicet ut qui tribuni plebis essent.

12. *M. Lepidi*. Huic triumphum decreverunt propter has ipsas victorias, de quibus tum agebatur.

rissimi viri. Atque id erat periculum, de cujus honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus, ne ejus usitatus honos impediretur. Ac, ne sine causa videretur edixisse, ut senatus adesset; quum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione[13] quarta, mente concidit, et fugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem[14] fecit, quum id factum esset antea numquam.

X. Quæ vero profectio postea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga? quam fœda? quam turpis? Præclara tamen senatusconsulta illo ipso die vespertina[1], provinciarum religiosa[2] sortitio; divina vero opportunitas[3], ut, quæ cuique apta esset, ea cuique obveniret. Præclare igitur facitis, tribuni plebis, qui de præsidio consulum[4] senatusque referatis; meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere, et habere debemus. Qui enim carere metu et periculo possumus in tanta hominum cupiditate et audacia? Ille autem

13. *Legione quarta.* Vidimus paullo superius uti legio illa Antonii furores exosa, Cæsari se Octaviano conjunxisset. Hac animorum inclinatione, fractæ omnino Antonii opes, et omnis furor pæne compressus.

14. *Per discessionem.* Quum de supplicatione quæstio erat, sententiæ rogabantur. Quo citius autem res patraretur, per discessionem senatusconsultum fecit Antonius; hoc decernendi modo, qui sententias oratoris probabant, in dextram partem, alii in lævam confluebant, resque ita erat quam citissime dijudicata.

X. 1. *Præclara tamen senatusconsulta illo ipso die vesp.* Irrita omnino illa senatus consulta erant, nam post horam decimam nulla de re referre licuit; sic enim testatur Seneca de Tranquillitate vitæ, lib. I, 14, qui senatusconsulta, vel ante ortum solis, vel post occasum lata, inania esse docet.

2. *Religiosa.* Cum ironia; nam nullo modo religiosa fuit, quæ propere facta sit, contra morem, et vespertina die. Itaque provincias, ii, quibus obtigerant, recusarunt, irritam sortitionem judicantes.

3. *Opportunitas.* Indicat his verbis omnia per fraudem et pessimas artes confecta: nam quis ibi sortem fortuitam agnoscat, ubi, ea ipsa, quæ quisque sibi optaret, nescio quo fato obtinere contigit?

4. *Consulum.* Designatorum scilicet, qui hoc die, vel absente Antonio, metu tamen amicorum ejus non aderant.

homo afflictus et perditus, quæ de se exspectat judicia graviora, quam amicorum suorum? Familiarissimus ejus, mihi homo conjunctus, L. Lentulus, et P. Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere provinciam, nullam Antonii sortitionem fuisse judicaverunt. Quod idem fecit L. Philippus[5], vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. In eadem sententia fuit homo summa integritate atque innocentia M'. Turranius. Idem fecit P. Oppius[6]. Ipsi etiam, qui amicitiam M. Antonii veriti, plus ei tribuerunt, quam fortasse vellent, M. Piso[7], meus necessarius, et vir, et civis egregius, parique innocentia M. Vehilius, senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. Quid ego de L. Cinna loquar? cujus spectata multis magnisque rebus singularis integritas, minus admirabilem facit[8] hujus honestissimi facti gloriam; qui omnino provinciam neglexit : quam item magno animo constanti C. Cæsetius repudiavit. Qui sunt igitur reliqui, quos sors divina delectet? L. Antonius[9], et M. Antonius[10]. O felicem utrumque! nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam. Hunc quoque felicem! hanc enim semper habebat in ore provinciam. C. Calvisius Africam. Nihil felicius. Modo enim ex Africa decesserat, et quasi divinans se rediturum, duos le-

5. *L. Philippus*. Non L. Philippus ille est Octaviani vitricus qui consul una cum Lentulo Marcellino fuerat; sed de filio ejus hoc loco agitur, cui nomen idem inditum erat.

6. *P. Oppius*. Al. *Sp. Oppius*. J.V. L.

7. *M. Piso*. Non idem ille est ac M. Pupius Piso Calpurninus, de quo sæpe Cicero in orationibus egit, quemque in philosophicis scriptis sæpissime loquentem inducit. De aliis, quorum nomina hic referuntur, longius esset disserere; qui fuerint, in indice historico denuntiatur.

8. *Facit*. Al. *fecit*. J. V. L.

9. *L. Antonius*. Vitiosum putant. Al. malunt *C. Antonius*; al. conjiciunt *L. Annius*. J. V. L.

10. *M. Antonius*. Lucius et Caius Antonius fratres hujus Antonii, in quem orator invehitur, prætores hoc anno fuerant. Quis vero sit Marcus ille Antonius, de quo hic agitur, nemini liquet. Non ipse est Antonius,

gatos Uticæ reliquerat. Deinde M. Iccius[11] Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. Non habeo, quid suspicer. Duarum credo provinciarum sortes minus divinas fuisse.

XI. O C. Cæsar (adolescentem appello), quam tu salutem reipublicæ attulisti! quam improvisam! quam repentinam! Qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim in concione[1] dixerat, se custodem futurum[2] urbis; usque ad kalendas maias ad urbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ovium[3] (ut aiunt) lupum! Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in urbem dixit, exiturumque, quum vellet. Quid illud? nonne audiente populo, sedens pro æde Castoris, dixit, nisi qui vicisset, victurum neminem[4]?

Hodierno die primum[5], patres conscripti, longo intervallo in possessionem[6] libertatis pedem poni-

qui, postquam populus Macedoniam provinciam ei detulisset, Galliam Cisalpinam obtinuerat. Atqui, non verisimile est eum sorti permisisse provinciam sibi ipsi a plebe antea decretam. Doctus quidam vir arbitratur de Marco Antonio hic agi, qui æqualis Antonii nostri erat. Nihil vero conjecturam illam firmavit. Attamen hæc una via est, qua possit lucem hic locus admittere.

11. *M. Iccius*. M. Iccius et Q. Cassius nullo modo Antonio amici erant. Facillime apparet ironia qua deridetur consul; nam Hispaniam ulteriorem Cassius habuerat, quum antea Lepido per fraudem citerior fuisset delata.

XI. 1. *In concione*. Grævius legendum censebat « in contentione »; quia manuscriptus liber in locum *concione*, *conteptione* admiserat.

2. *Futurum*. Car. Steph. codex post *futurum* reponebat *fore*. Quam lectionem Muretus rejecit.

3. *Custodem ovium*. Usurpabatur sæpissime vox illa. Sic apud Terent. in Eunucho scriptum est: « scelesta ovem lupo commisisti ». Quædam autem ad locum pertinentia tradidit Victorius, lib. I, 21.

4. *Victurum neminem?* His verbis indicabat Antonius civibus romanis aut moriendum esse aut vincendum. Nam ita res erat aggressurus, ut qui partes ejus non amplexi essent, nullam salutis viam haberent, nisi ipsum prius opprimerent.

5. *Hodierno die primum*. Hic tantum in Coloniensi incipit tertia Philippica.

6. *In possessionem*. Ferrarius malebat *in possessione*. Attamen nullo

mus: cujus quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conservator[7] fui. Quum autem id facere non possem[8], quievi; nec abjecte, nec sine aliqua dignitate casum illum temporum et dolorem tuli. Hanc vero[9] teterrimam belluam quis ferre posset, aut quomodo? Quid est in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus[10] est. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quapropter, quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille pœnas reipublicæ luat, an nos serviamus: aliquando, per deos immortales! patres conscripti, patrium animum[11] virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam romani generis et nominis recuperemus, aut mortem servituti anteponamus. Multa, quæ in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus[12], alii spe recuperandæ libertatis, alii vivendi nimia cupiditate. Sed, si ulla tulimus, quæ nos necessitas ferre coegit, quæ vis quædam pæne fatalis; quæ tamen ipsa non tulimus[13]: etiamne

modo immutanda est vox illa *possessionem*: nam pro Cæcina dixit orator: « in possessionem vestigium fecero »; et de Fin. V: « in aliquam historiam vestigium ponimus ».

7. *Conservator*. Scilicet antequam dominaretur C. J. Cæsar.

8. *Non possem*. Postquam armis oppressa est libertas, discordiæque civiles rempublicam pessumdedere.

9. *Hanc vero*. Tuli Cæsarem, quia in eo erant ingenium, ratio, memoria, literæ, cura, cogitatio, diligentia; hæc enim omnia Cæsari in Philippicarum secunda tribuit orator. Nunc vero quis Antonium ferre possit?

10. *Conglutinatus*. Non vitiosus tantum homo est Antonius; sed ex omnibus vitiis conflatus, nihil humani in se habere videtur. Præterea dum Cæsar dominaretur, nullus erat bonis civibus metus: nunc vero quid agendum, quum bellua illa in omnes probos cives, et in omnes bonas ac ingenuas artes impetum faciat?

11. *Patrium animum*. Omnes Romanos ad causam reipublicæ capessendam, præsertimque Brutum, patriæ virtutis memoria, incitat.

12. *Perpessi sumus*. Quum C. J. Cæsar summa rerum potiretur.

13. *Non tulimus*. Nam simul ac occidit Cæsar, qui libertatem oppresserat, jugum excussimus.

hujus impuri latronis feremus teterrimum crudelissimumque dominatum?

XII. Quid hic faciet, si potuerit, iratus, qui quum succensere nemini posset[1], omnibus bonis fuerit inimicus? Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit? refertam ejus domum exhauserit[2]? hortos compilarit? ad se ex his omnia ornamenta transtulerit? cædis et incendiorum causam quæsierit ex funere[3]? duobus aut tribus senatusconsultis[4] bene et e republica factis, reliquas res ad lucrum prædamque revocaverit? vendiderit immunitates? civitates liberaverit? provincias universas ex imperii populi romani jure sustulerit? exsules reduxerit? falsas leges C. Cæsaris nomine, et falsa decreta in æs incidenda, et in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domesticum mercatum instituerit? populo romano leges imposuerit? armis et præsidiis et populum, et magistratus foro excluserit? senatum stiparit armis? armatos in cella Concordiæ, quum senatum haberet, incluserit? ad legiones Brundisium cucurrerit? ex his optime sentientes centuriones jugulaverit? cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, et ad disper-

XII. 1. *Nemini posset.* Non haberet, unde jure in quemquam irasceretur.

2. *Exhauserit.* Quæ omnia in Philippica secunda narrantur.

3. *Ex funere.* Quum Cæsarem defunctum oratione celebraret publica, populum impulit ad Bruti Cassiique domos flammis abolendas. Primis enim temporibus ita animos plebis sibi devinxerat, ut omnes eum reipublicæ causa agere arbitrarentur. Postquam autem satis firmam auctoritatem sibi esse comperit, ad tyrannidem non jam occulta via est grassatus.

4. *Senatusconsultis.* Uno ne qua post idus mart. immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur: altero, ut dictaturæ nomen perpetuo e republica tolleretur. Tertium senatusconsultum fortasse fuit illud, quod in æde Telluris, quo primum die post Cæsaris necem senatus habitus est, in sententiam Ciceronis factum, ut omnis discordiarum memoria oblivione sempiterna deleretur. Vid. Phil. I et II passim.

ditionem urbis venire conatus? Atque is ab hoc impetu abstractus consilio et copiis Cæsaris, consensu veteranorum, virtute legionum[5], ne fortuna quidem fractus minuit audaciam, nec ruere demens, nec furere desinit. In Galliam mutilatum[6] ducit exercitum; cum una legione, et ea vacillante[7], L. fratrem[8] exspectat: quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autem ex mirmillone[9] dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia? Cædit greges armentorum[10], reliquique pecoris, quodcumque nactus est; epulantur milites; ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino[11]; vastantur agri; diripiuntur villæ; matresfamilias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Hæc eadem, quacumque exercitum duxit, fecit M. Antonius.

XIII. His vos teterrimis fratribus portas aperietis? hos umquam in urbem recipietis? non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo romano conspirante, Italia tota ad libertatem recupe-

5. *Virtute legionum.* Quartæ et Martiæ, quæ ad Octavianum Cæsarem defecere.

6. *Mutilatum.* Ex militibus enim quos retinere tentaverat, multi ad Cæsarem defecerant. Galba autem testatur secundam et trigesimam quintam legionem Antonii partes esse amplexas.

7. *Vacillante.* Manutius explanat hoc verbum, tamquam si orator dixisset cum una legione e tironibus conflata: non optimus nobis ille sensus videtur. Per vocem hanc *vacillante* orator intelligit legiones non acriter Antonii partes prosequuturas, et brevi contra derelicturas eum.

8. *L. fratrem.* Natu minimum e tribus. Fuerat autem ille tribunus plebis eodem anno, quo et consul Marcus et prætor Caius.

9. *Mirmillone.* Inde nomen sumpserant hi gladiatores, quod galeæ impressam piscis imaginem gerebant, qui græco sermone μόρμυρος dicebatur.

10. *Cædit greges armentorum.* Servius ad Virg. Eclog. VI, v. 55, habet sic: «Fudit apothecas, cecidit greg. arm.» J. V. L.

11. *Obruit vino.* Lil. atque Gembl. habent, *obruit, ingurgitat vino*. Garatonius censet autem in his duobus bonæ notæ, ut ait, codicibus, non uno verbo locum angeri, sed duas lectiones ut sæpissime evenit in unum conjungi: nec miratur quod indocti verbum illud *ingurgitat* interpretando substituerint.

randam excitata[1], deorum immortalium beneficio utemini? Nullum erit tempus, hoc amisso. A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur[2], si in Galliam venerit. Nec ille armis[3] solum, sed etiam nostris decretis urgendus est. Magna vis est, magnum nomen[4] unum et idem sentientis senatus. Videtis[5] refertum forum[6], populumque romanum ad spem recuperandæ libertatis erectum: qui longo intervallo quum frequentes[7] hic videt nos, tum sperat etiam liberos convenisse. Hunc ego diem exspectans, M. Antonii scelerata arma vitavi, tum, quum ille in me absentem invehens[8], non intelligebat, ad quod tempus me et meas vires reservarem. Si enim illi tum, cædis initium[9] a me quærenti, respondere voluissem, nunc reipublicæ consulere non possem. Hanc vero nactus facultatem, nullum tempus, patres conscripti, dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi romani,

XIII. 1. *Excitata*. Al. *excita*; tamen *excitata* magis placet; est enim verbum illud significantius, multoque acrius recuperandæ libertatis studium declarat: sic etiam infra in Phil. IV est. Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte suoque judicio excitatam.

2. *Tenebitur*. Al. *tenetur*. J. V. L.

3. *Nec ille armis*. Al. *non ille armis*. J. V. L.

4. *Magnum nomen*. MSS complures et edd. plurimi habent *magnum numen*: quod nullo modo rectum videtur. Nomen enim admirabilem quamdam auctoritatem significat, ex fama opinioneque conflatam. Perpetuo occurrit hoc in sensu apud Ciceronem.

5. *Videtis*. Al. *videtisne*. J. V. L.

6. *Refertum forum*. Patebant igitur valvæ templi, in quo habebatur senatus · quæ autem præsente Antonio clausæ manserant. Unde Phil. II, « cur valvæ Concordiæ non patent? »

7. *Frequentes*. Nam, quum senatum haberet Antonius, paucissimi in curiam venerant, satellitum ejus metu.

8. *Invehens*. Die scilicet XIII kal. oct. Quo die non adfuisse Ciceronem, sed ita Philippicam secundam scripsisse, tamquam si adesset, præsensque præsenti responderet, jam superius ostendimus.

9. *Cædis initium*. Sic. Phil. V: « Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venisse licuisset, cædis initium fecisset a me; sic enim statuerat. Quum autem semel gladium scelere imbuisset: nulla res ei finem cædendi, nisi defatigatio et satietas attulisset ». Et in Epist. ad Cassium ita rem narrat: « Cædem gladiator quærit, ejusque initium ad XIII kal. oct. a me se facturum putavit ».

de dignitate[10] vestra quod cogitandum sit, cogitem; quod agendum atque faciendum, idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. Hoc feci, dum licuit; intermisi, quoad non licuit. Jam non solum licet, sed etiam necesse est, nisi servire malumus, quam, ne serviamus, animis armisque decernere. Dii immortales nobis hæc præsidia dederunt: urbi Cæsarem, Brutum Galliæ[11]. Si enim ille urbem opprimere potuisset, statim[12]; si Galliam tenere, paullo post optimo cuique pereundum, reliquis esset serviendum.

XIV. Hanc igitur[1] occasionem oblatam tenete, per deos immortales! patres conscripti, et amplissimi orbis terræ consilii principes vos esse, aliquando recordamini. Signum date populo romano, consilium vestrum non deesse reipublicæ[2], quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. Nihil est, quod moneam vos[3]. Nemo est tam stultus, qui non intelligat, si indormierimus huic tempori[4], non modo crudelem superbamque dominationem nobis, sed igno-

10. *Dignitate.* Nam quid turpius foret, quid absurdius, quam si senatus quum tam clari cives adstent, ab homine impuro, et omnibus flagitiis coinquinato auctoritatem suam imminui pateretur?

11. *Brutum Galliæ.* Eo acrius animos ad libertatem capessendam incitat, quod nullus sit metus, quum et Romam Cæsar cum legionibus suis, et Galliam Brutus cum copiis tueatur.

12. *Potuisset, statim.* Multi locum illum male intellexerunt quod non verborum ordinem, quis fuerit, cogitavere. Sic explanandus est: si ille potuisset invadere Romam, bonis civibus esset pereundum statim; si potuisset tenere Galliam, boni quoque paullo post fuissent oppressi. Inde mors ubique certa, sed tantum Roma capta citior, Gallia devicta, paullo tardior.

XIV. 1. *Hanc igitur.* Omnibus argumentis nititur orator animos Patrum accendere, ut tandem aliquando expergiscantur; vividissime locus ille est scriptus, magnamque vim, et magnam auctoritatem possidere nobis videtur.

2. *Non deesse reipublicæ.* Quod plane demonstrabitur, si non jam verbo, sed re, non vanis sermonibus, sed decretis Antonium urgetis.

3. *Vos.* Abest *vos*. J.V.L.

4. *Huic tempori.* Quidam scriptum malebant *hoc tempore:* sed multo me-

miniosam etiam et flagitiosam[5] ferendam[6]. Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria, summo dedecore conjuncta. Quod si jam (quod dii omen avertant!) fatum extremum reipublicæ venit: quod gladiatores nobiles[7] faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumqne omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil fœdius servitute. Ad decus et libertatem nati sumus: aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur.

Nimium diu teximus, quid sentiremus: nunc jam apertum est[8]; omnes jam patefecerunt, in utramque partem quid sentiant, quid velint. Sunt impii cives, pro caritate[9] reipublicæ, nimium multi; pro multitudine bene sentientium, admodum pauci: quorum opprimendorum dii immortales incredibilem reipublicæ potestatem et fortunam dederunt. Ad ea enim præsidia, quæ habemus, jam accedent consules[10] summa prudentia, virtute, concordia, multos menses

gis est latino sermoni consentaneum *huic tempori*, itaque lectionem hanc servavimus, quam MSS tuentur, quamque Garatonius, ut optimam, acriter defendit.

5. *Flagitiosam*. Nam, si turpe tantum servire, quum, qui rerum summa potitur, dotibus commendatur; flagitium et scelus est, eum pati dominum, qui ex omnibus vitiis sit conglutinatus.

6. *Ferendam*. Al. *esse ferendam*. J. V. L.

7. *Gladiatores nobiles*. Gladiatores, qui servi sunt, decus vitæ anteponunt, mortemque gnaviter obeunt; nos vero qui non modo non servi sumus, sed et principes urbis terrarumque omnium, patiemurne nos a servis fortitudine vinci?

8. *Apertum est*. Scilicet nostris sermonibus, nostraque agendi ratione, bellum quasi Antonio indiximus; nec jam cessare aut torpere licet.

9. *Pro caritate*. Cogitemus quo studio rempublicam quisque prosequi debeat.

10. *Consules*. A. Hirtius et C. Pansa designati consules, qui brevi magistratum erant inituri.

de populi romani libertate commentati atque meditati. His auctoribus et ducibus, diis juvantibus, nobis vigilantibus, et multum in posterum providentibus, populo romano consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore. Jucundiorem autem faciet libertatem servitutis recordatio.

XV. Quas ob res, quod tribuni plebis verba fecerunt, ut senatus kalendis januar. tuto haberi, sententiæque de summa republica libere dici possent[1]: de ea re ita censeo, uti[2] C. Pansa, C. Hirtius, consules designati, dent operam, uti senatus kalendis januar. tuto haberi possit; quodque edictum D. Bruti, imperatoris, consulis designati, optime de republica meriti[3], propositum sit, senatum existimare, D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, optime de republica mereri[4], quum senatus auctoritatem, populique romani libertatem imperiumque defendat.

Quodque provinciam Galliam citeriorem[5], optimorum et fortissimorum virorum[6], amicissimorum populo romano civium, exercitumque in senatus potestate retineat, id eum, exercitumque ejus, municipia, colonias provinciæ Galliæ, recte atque ordine, exque republica fecisse, et facere: senatum ad summam rempublicam pertinere arbitrari, a D. Bruto, et ab

XV. 1. *Possent.* Alii dant *possint.* J. V. L.

2. *Uti.* Al. *ut.* J. V. L.

3. *Optime de republica meriti.* Hæc omnia in Vaticano desunt, et rectissime, si Garaton. loquentem audiamus. Omissa quidem a Mureto fuerunt, sed nemo ei morem gessit; Ern. autem et Schütz. Græviusque verba illa exhibent, quæ nullo modo mihi cum ceteris pugnare videntur; et sequentia etiam verborum iteratione confirmant.

4. *Mereri.* Multi *promereri*, quod an recte dicatur, Muretus valde addubitat. Coloniensis et Grævii liber edidere *mereri.*

5. *Provinciam Galliam citeriorem.* Alii dant *Galliam provinciam citeriorem.* J. V. L.

6. *Virorum.* Faernus vocem illam rejiciendam putabat, quia eam codex Vaticanus omiserat. Retinuit eam Muretus, quem ceteri sequuti edd. non immerito quidem.

L. Planco[7], imperatoribus, consulibus[8] designatis, itemque a ceteris[9], qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia[10], quoad ex senatusconsulto cuique eorum successum sit[11]; eosque dare operam, ut eæ provinciæ exercitusque in senatus[12] populique romani potestate præsidioque reipublicæ sint.

Quumque opera, virtute, consilio[13] C. Cæsaris, summoque consensu militum veteranorum, qui ejus auctoritatem sequuti, reipublicæ præsidio sunt et fuerunt, et a gravissimis periculis populus romanus defensus sit, et hoc tempore defendatur; quumque legio Martia Albæ[14] constiterit, in municipio fidelissimo et fortissimo, seseque ad senatus auctoritatem populique romani libertatem[15] contulerit; et quod pari consilio, eademque virtute legio quarta usa, L. Egnatuleio duce, civi egregio, senatus auctoritatem, populique romani libertatem defendat, defenderit: senatui magnæ curæ esse, ac fore, ut pro tantis eorum

7. *L. Planco.* Is Galliæ præerat citeriori.

8. *Consulibus designatis.* A Julio Cæsare, qui consules in biennium simul designavit; Hirtium et Pansam in annum sequentem; et post eos, Decimum Brutum et L. Plancum.

9. *Ceteris.* Ita Cornificio amico suo Africæ administrationem confirmavit orator. Qua de re sic ad eum scripsit: «Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, et cunctantibus ceteris, ad XIII kalend. januar. fundamenta reipublicæ jeci; eo ipso die providi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ; mihi enim est assensus senatus de obtinendis provinciis».

10. *Lege Julia.* Quæ a Julio Cæsare de provinciis lata fuerat. Quum MSS quidem haberent *lege Tullia*, commentatores diu hoc in loco hæsere. Nullum sensum habere potest lectio illa *lege Tullia*.

11. *Successum sit.* Hoc senatusconsulto, provinciarum sortitio ab Antonio facta tollebatur, et eorum qui provincias obtinebant studia erga rempublicam confirmabantur et augebantur.

12. *Senatus.* Al. MSS, *senati*. J. V. L.

13. *Consilio.* Non minima laus his verbis ad Octavianum Cæsarem accessit: nam in adolescente opera et virtus facile, sed consilium ægre, deprehenditur.

14. *Legio Martia Albæ.* Fuit Marsorum oppidum.

15. *Libertatem contulerit.* Scilicet defendendam, ut ex infra positis verbis apparet.

in rempublicam meritis honores eis habeantur, gratiæque referantur; senatui placere, uti C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, quum magistratum inierint, si eis videbitur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant[16], ita uti e republica fideque sua censuerint.

16. *Ordinem referant.* Hæc omnia Cicero agebat, atque ita laudibus efferebat eos qui pro patria arma contra Antonium susceperant, uti senatores, accensis animis, aliquid decernerent quod prohiberet, ne in gratiam redire posset cum populo publicus reipublicæ hostis. Namque optime noverat summus vir, quam levis et caduca sit populi constantia, et plebem ita cum senatu obligare mente destinatum habebat, ut ipso volente non posset, cum eo rursus consentire Antonius. Attamen quamvis ita res animo providerit, et adnixus fuerit libertatem ad ultimum tueri, vicere tandem hostis pervicacissimi consilia, ceciditque ipse salutis communis defensor.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA QUARTA

18.

ARGUMENTUM.

Eo ipso die quo Cicero in senatu verba fecerat, populum alloquitur : quidquid actum, quidquid prolatum fuerit apud Patres narrat. Laudibus ornatissimis Cæsarem Octavianum, D. Brutum, legionemque Martiam et quartam celebrat. Populus clamoribus suis testatur, quam gratæ ipsi laudes illæ. Antonium orator publicum hostem nuncupat; eum consulem esse negat, iterumque populus voce sua, quid sentiat, profitetur. Romanis generosos nobilesque sensus afflat commemorando, quanam mente majores omnia egerint : victoriam facilem ostendit, et libertatis studio accendit, quam senatus ipso loquente, ipso præeunte, brevi sibi vindicabit.

Tullius, quum postea revocaret memoriam celeberrimi diei quo tertiam quartamque Philippicam egerat, aperte declaravit, se mortem libenter obiisse tunc temporis, quia a populo, communi voce ac consensu, iterum patriæ parens ac propugnator fuerat appellatus.

De hac autem oratione paucissima Manutius expressit, et ita argumentum nonnullis vocibus exprimit : « Exponit, quæ acta sint in senatu : Cæsarem et Decimum Brutum effert laudibus, populum ad libertatem cohortatur ». Orator enim recolligit omnia ea quæ superius egit, et quas senatoribus sententias jam notas fecerat, eas apud populum, nova quidem forma, alioque tenore quodammodo rursus in medium profert. Nescio quid vividius tamen hac in oratione inest, spirant aliquid sublimius voces, et orator quasi populi clamoribus instinctus, novum robur, novum, si dicere ita fas est, ingenium, ex hoc populi consensu unanimi ducit. Quidam eum vituperavere, quod nimiis laudibus Cæsarem et Decimum Brutum extolleret, omnesque alios qui contra Antonium arma susceperant; sed qui Ciceronem hic insimulavere, non videntur optime intellexisse, qua mente ita Cicero apud plebem verba faceret. Fieri enim potest, ut non omnia sentiret quæ de viris illis magnificentissime narrat; sed si peccavit, nimio fecit libertatis studio correptus. Tot et tanta enim de legionibus quæ Antonium deseruere profert, eo

solum consilio, ut verbis illis plebs accensa, arma quoque contra publicam patriæ pestem suscipiat; et se quoque iis laudibus dignam præstare aggrediatur. Præterea hanc orationem apud populum habuit orator, simul ac patres fuerat alloquutus, atque iis clamoribus fuit exceptus, eo civium consensu plausuque celebratus, ut animus, sicuti antea prædiximus, acriori fuerit stimulo impulsus, et ultra veritatem fuerit forsan progressus.

Qui vero ultra pergunt, et Ciceronem contendunt in primis stetisse causam, cur libertas omnino pessumdaretur, quum nimiis Cæsarem Octavianum laudibus ornarit, nimiisque cumularet quasi beneficiis: hi omnino errant: noverat optime enim juvenis ambitiosam mentem Cicero, et reipublicæ eam addicere modis omnibus conabatur; resque omnino male cessit, quia Octavianum senatus neglexit, nec novos conferendo honores, passus est cum Antonio in gratiam redire, atque una contra rempublicam consilia inire impia, quæ, si Ciceroni fides fuisset adhibita, fortasse oppressissent.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA QUARTA.

ORATIO SEXTA ET QUADRAGESIMA.

I. FREQUENTIA vestrum incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse non videor, et alacritatem mihi summam affert reipublicæ defendendæ, et spem recuperandæ [libertatis[1]]. Quamquam animus[2] quidem mihi numquam defuit, tempora defuerunt : quæ simul ac primum aliquid lucis ostendere visa sunt, princeps vestræ libertatis defendendæ fui. Quod si ante facere conatus essem, nunc facere non possem[3]. Hodierno enim die, Quirites, ne mediocrem rem actam arbitremini; fundamenta jacta sunt reliquarum actionum[4]. Nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re jam judicatus Antonius. Nunc

I. 1. *Libertatis*. Multi hoc in loco hæsere commentatores, remque verbis aliquot mancam sunt arbitrati : si vero restituitur vox illa *libertatis*, nihil jam erit amplius desiderandum.

2. *Quamquam animus*. Hoc pertinet ad alacritatem de qua superius actum est, et tum primum, facta rerum conversione exortam. Paucissima sunt hac in oratione quæ ambigua aut difficilia dici possint, itaque brevitatem sequemur, ne temere jactura temporis fiat in expeditis atque apertis locis.

3. *Non possem*. Namque si in Antonium impotenti abreptum cupidine iissem, is me de medio sustulisset; sic hanc sententiam in tertia Philippica expressit : « Si enim tum illi cædis initium a me quærenti respondere voluissem; nunc reipublicæ consulere non possem ».

4. *Reliquarum actionum*. Omnium quæ postea in Antonium sumus acturi,

vero[5] multo sum erectior, quod vos quoque, hostem illum esse, tanto consensu, tantoque clamore approbavistis. Neque enim fieri potest, ut non aut ii sint impii[6], qui contra consulem exercitus comparaverunt; aut ille hostis, contra quem jure arma sumpta sunt. Hanc igitur dubitationem, quamquam nulla erat, tamen, ne qua posset esse, senatus hodierno die sustulit[7]. C. Cæsar, qui rempublicam libertatemque vestram suo studio, consilio, patrimonio denique tutatus est et tutatur, maximis senatus laudibus ornatus est. Laudo, laudo[8] vos, Quirites, quum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri[9] potius. Sunt enim facta ejus, immortalitatis; nomen, ætatis[10]. Multa memini, multa audivi, multa legi; nihil ex omni sæculorum memoria tale cognovi[11]: qui, quum servitute premeremur, in dies[12] malum cresce-

5. *Nunc vero.* Populus simul ac audierat Antonium, re nec jam verbis hostem esse a senatu judicatum, clamorem sustulerat, certissimum infensissimi in hanc pestem publicam animi argumentum. Quo omnium consensu, novas vires se concepisse fatetur orator, tamquam plebs omnia partes ipsius sit amplexa.

6. *Impii.* Octavianus Cæsar, qui propria auctoritate bellum contra Antonium moverat.

7. *Sustulit.* Quum Cæsarem præstantissimis laudibus exornavit, decrevitque, ut Galliæ Brutoque publicæ ob fortem animum grates agerentur.

8. *Laudo.* Audito Cæsaris nomine, populus clamores, lætitiæ suæ indicia, tulit; rursusque aversos ab Antonio animos testatus est.

9. *Pueri.* Minime mirum quod hoc nomine Octavianum dicat; nam pueri nomen usque ad vigesimum ætatis annum civibus imponebatur, Cæsarque Octavianus XIX annis tunc erat natus.

10. *Nomen, ætatis.* Sic Ferrarius ex MSS, et post eum multi. Ernest. vero ex edd. pr. et aliquot MSS restituit *non ætatis.* Sed conferre decet Phil. XIII, 11. J. V. L. — Sensus vero sic habendus; quamquam immortalia sint ejus facinora, nullo alio ac pueri nomine dici potest propter ætatem.

11. *Tale cognovi.* Cicero, quo certius Antonium, peculiarem inimicum perdaret, malo consilio, Octavii partes est amplexus; et populo Cæsarem semper prætendit, nedum et oblivionem induceret. Octavius cum Cicerone acutissime egit: eum laudibus ornavit, consiliorum fecit participem, et omnibus eum artificiis involvit, quæ numquam vanus nimium animus suspicatus est.

12. *In dies.* Aliæ edd. dant *et in dies.* J. V. L.

ret, præsidii nihil haberemus, capitalem et pestiferum a Brundisio[13] M. Antonii reditum timeremus, hoc insperatum omnibus cousilium, incognitum certe[14], ceperit, ut exercitum invictum ex paternis militibus[15] conficeret[16], Antoniique furorem, crudelissimis consiliis incitatum, a peruicie reipublicæ averteret.

II. Quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi Cæsar exercitum paravisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri, cruentus sanguine civium[1], quos Suessæ, quos Brundisii occiderat, ut nihil, nisi de reipublicæ pernicie[2] cogitaret. Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris fortissimorumque[3] sui patris militum exercitus non fuisset? cujus de laudibus, et honoribus, qui ei, pro divinis et immortalibus meritis, divini immortalesque debentur, mihi senatus assensus paullo ante decrevit, ut primo quoque tempore referretur[4]. Quo decreto, quis non perspicit, Antonium hostem esse judicatum? quem enim[5] appellare possumus eum, contra quem qui

13. *A Brundisio*. Abest *a*. J. V. L.

14. *Incognitum certe*. Sic eodem modo Phil. III : « Nec postulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis ».

15. *Ex paternis militibus*. Al. *Hispania*. J. V. L.

16. *Conficeret*. Alii, *conduceret*. J. V. L.

II. 1. *Civium*. Post hanc vocem Vaticanus habet *romanorum*, quam lectionem Faernus, Muretus, Lambinus, Manutiusque retinuere. Rejiciebat Ferrarius tamquam prorsus inutilem, hunc sequuti sumus.

2. *Reipublicæ pernicie*. Vaticanus habet *de pernicie populi romani*: Garatonius locum sic expressum non probat, et usitatam lectionem quam ipsi servavimus, expressit.

3. *Fortissimorumque*. Antiquus liber non habet copulam *que;* et, illa absente, sic Faernus locum interpretatur : « Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsar, si fortissimorum sui patris militum exercitus non fuisset ». Acuta sane est illa explanandi loci illius ratio, sed contra MSS omnes pugnat : nec admitti quidem potest. Quam Garatonius, postquam modis omnibus expendit, e libris suis rejecit.

4. *Referretur*. A novis scilicet consulibus qui magistratum erant inituri.

5. *Quem enim*. Quo nomine dicere possumus.

exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores? Quid? legio Martia, quæ mihi videtur divinitus ab eo deo traxisse nomen, a quo populum romanum generatum accepimus, non[6] ipsa suis decretis prius, quam senatus, hostem judicavit Antonium? Nam, ille si non hostis, qui consulem reliquerunt, hostes necesse est judicemus[7]. Præclare et loco[8], Quirites, reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis[9]: qui se ad senatus auctoritatem, ad libertatem vestram, ad universam rempublicam contulerunt; hostem illum, et latronem, et parricidam patriæ reliquerunt. Nec solum id animose et fortiter[10], sed considerate etiam, sapienterque fecerunt. Albæ constiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum virorum, fidelissimorum civium atque optimorum. Hujus Martiæ legionis[11] legio quarta imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, quem senatus merito paullo ante laudavit, C. Cæsaris exercitum persequuta[12] est.

III. Quæ exspectas, M. Antoni, judicia graviora?

6. *Non*. Al. *nonne*. J. V. L.

7. *Judicemus*. Jamdiu in hac argumentandi ratione versatur orator: hostis est habendus Antonius, quia qui contra eum arma ceperunt, publicis sunt laudibus celebrati.

8. *Præclare et loco*. Al. *præclare et luculenta recl.* J. V. L.

9. *Comprobastis*. Sicuti antea populus clamoribus suis quid sentiret testatus est. Nam simul ac orator verba illa protulit martiales hostes judicandos esse, communi reclamatione testatus est populus quantum ab hac sententia abhorreret. Itaque rursus eum laudat orator, quod ita recte de republica judicet.

10. *Fortiter*. Magna enim eis, ex hac agendi ratione, pericula instabant: namque quum contra consulem rebellaverant, legibus argui potuissent; et metus erat præterea ne ab Antonio paullo post novis viribus instructo opprimerentur.

11. *Hujus Martiæ legionis*. Manut. tollendum verbum illud *Martiæ* tamquam supervacaneum judicat. Nobis autem novam vim huic loco addere quum videretur, illud servavimus.

12. *Persequuta*, pro *prosequuta*. Jam in oratione superiori verbum illud hoc sensu usurpavit orator; ibique quis sit illius sensus, fuse explanavimus. Si Tacito creditur, non sponte sua omnino, sed ab Octavio corruptæ legiones illæ Antonium deseruerunt.

Cæsar fertur in cælum, qui contra te exercitum comparavit. Laudantur exquisitissimis verbis legiones, quæ te reliquerunt, quæ a te arcessitæ sunt[1], quæ essent, si te consulem quam hostem maluisses[2], tuæ. Quarum legionum fortissimum verissimumque judicium confirmat senatus, comprobat universus populus romanus; nisi forte vos, Quirites, consulem, non hostem, judicatis Antonium[3]. Sic arbitrabar, Quirites, vos judicare, ut ostenditis[4]. Quid? municipia, colonias, præfecturas[5], num aliter judicare censetis? Omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorum, qui hæc salva velint, contra illam pestem esse capienda. Quid? D. Bruti judicium, Quirites, quod ex hodierno ejus edicto[6] perspicere potuistis, num cui tandem contemnendum videtur? Recte et vere[7] negatis[8], Quirites. Est enim quasi deorum immortalium beneficio et munere datum reipublicæ Brutorum ge-

III. 1. *Arcessitæ sunt.* Cum Manutio propter hunc locum pugnat Garatonius. Legiones a Brundisio arcessitas censet Manutius his verbis Phil. VI fretus : « Qui ad opprimendam rempublicam Brundisio legiones arcessiverit ». Garatonius autem in hoc errat, quod contendit legiones ad opprimendam urbem et Galliam arcessitas; et hoc quidem nullo modo negat Manutius.

2. *Maluisses, tuæ.* Duæ lectiones præcipuæ hic occurrunt, ex quibus duplex sensus oritur. Legunt nonnulli *maluisses*, tunc locus sic explanandus: Si tu maluisses esse consul quam hostis patriæ. Alii vero, pro *maluisses*, reponunt *maluissent*. Hoc est si maluissent habere te consulem potius quam hostem patriæ. Uterque scribendi modus a MSS defenditur; quacumque vero ratione locus deprehendatur, sensus ferme idem ex utraque parte occurrit.

3. *Judicatis Antonium.* Paullum restitit orator populum interrogaturus; et exspectans donec verbis testaretur quidnam de Antonio cogitaret.

4. *Ut ostenditis.* Declaraverant voce sua Quirites, se judicare Antonium publicum hostem esse habendum.

5. *Præfecturas.* Hoc nomine dicebantur urbes, in quas præfecti mittebantur, qui lites dirimerent.

6. *Edicto.* In hoc D. Brutus indixerat, se Galliam sub senatus populique romani potestate retenturum : populumque incitaverat ad arma contra Antonium capessenda.

7. *Recte et vere.* Clamoribus suis iterum testatus est populus, quo in odio Antonium haberet.

8. *Negatis.* Aliæ editiones dant *negastis*. J. V. L.

nus et nomen, ad libertatem populi romani vel constituendam, vel recuperandam. Quid igitur D. Brutus de M. Antonio judicavit? Exclusit provincia; exercitu obstitit; Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte, suoque judicio excitatam[9]. Si consul Antonius; Brutus hostis. Si conservator reipublicæ Brutus; hostis Antonius[10]. Num igitur, utrum horum sit, dubitare possumus?

IV. Atque[1], ut vos una mente, unaque voce dubitare vos negatis: sic modo decrevit senatus, D. Brutum optime de republica mereri, quum senatus auctoritatem, populique romani libertatem imperiumque defenderit[2]. A quo defenderit? nempe ab hoste. Quæ est enim alia laudanda defensio? Deinceps laudatur provincia Gallia, meritoque ornatur verbis amplissimis a senatu, quod resistat Antonio[3]. Quem si consulem illa provincia putaret, neque eum reciperet, magno scelere se adstringeret. Omnes enim in consulis jure et imperio debent esse provinciæ. Negat hoc[4] D. Brutus imperator, consul designatus, natus reipublicæ civis[5]; negat Gallia, negat cuncta Italia, negat senatus, negatis vos. Quis igitur illum consu-

9. *Excitatam*. Multis in locis orator Galliam multis laudibus exornat, quod semper romanæ libertatis fuerit studiosissima.

10. *Hostis Antonius*. Eodem continuo in argumento versatur orator; Antoniusque quantum sit abominandus, ostendit, illum cum ceteris qui rempublicam tuentur conferendo.

IV. 1. *Atque*. Al. *atqui*. J. V. L.

2. *Defenderit*. Cod. Vatican. bis, *defenderet*. J. V. L. — Quam lectionem probat valde Garaton. Grævium enim impugnat qui primus admisit *defenderit*.

3. *Resistat Antonio*. Vidimus supra, quonam modo provincia illa, Bruto impellente, arma ad tutandam contra Antonium libertatem ceperit.

4. *Negat hoc D. Brutus imperator*. Sensus hic paullo obscurior est: non negat D. Brutus omnes provincias sub jure et imperio consulis esse debere, sed negat hoc scilicet, Antonium consulem esse.

5. *Natus reipublicæ civis*. Sæpissime in Philippicis protulit Tullius, Brutorum genus reipublicæ esse natum, hoc sensu, quod eam semper a tyrannis tueatur ac protegat.

lem, nisi latrones, putant? quamquam ne ii quidem ipsi, quod loquuntur, id sentiunt[6]; nec a judicio omnium mortalium, quamvis impii nefariique sint, sicut sunt, dissentire possunt. Sed spes rapiendi atque prædandi occæcat animos eorum : quos non bonorum donatio[7], non agrorum assignatio, non illa infinita[8] hasta satiavit; qui sibi urbem, qui bona et fortunas civium ad prædam proposuerunt; qui, dum sit quod rapiant, quod auferant, nihil sibi defuturum arbitrantur; quibus M. Antonius (o dii immortales, avertite et detestamini, quæso, hoc omen!) urbem se[9] divisurum esse promisit. Ita vero, Quirites, ut precamini, eveniat, hujusque amentiæ pœna in ipsum familiamque ejus recidat, quod ita futurum esse confido.

Jam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad rempublicam conservandam arbitror consensisse. Sive enim prodigiis atque portentis dii immortales nobis futura prædicunt; ita sunt aperte

6. *Id sentiunt.* Adeo omnibus est flagitiis coinquinatus Antonius, ut ii ipsi qui partes ejus amplexi sunt, eum contra rempublicam agere optime sentiant.

7. *Bonorum donatio.* Palatini lib. et Gemblac. habent *bonorum damnatio*, quod Gruterus recepit. Grævius autem, quamvis in tribus quos excussit MSS, *damnatio* occurrisset, vulgatam lectionem *donatio* sequutus est. In hoc tamen mihi errare videtur, quod ibi intelligitur ab eo bonorum damnatio, tamquam si scriptum fuisset bonorum largitio, publicatio. Si vero scribitur bonorum damnatio, de civibus hic, non jam de agris agitur, nec minime verba illa latino sermoni repugnant. Quum autem non appareat qui boni cives hoc tempore fuerint damnati, lectionem illam rejecimus, alteramque admisimus, ex qua multo clarior sensus oritur.

8. *Infinita hasta.* Perpetua bonorum auctio : de Pompeii bonis hic verisimiliter agitur. Quidam sic locum illum exhibent : « infinita Pompeii hasta », quod nullorum MSS auctoritate fretum repulimus : proinde locus sic scriptus nihil sonat. Nam numquam alicujus hasta dicitur, ut inde ipsius bonorum significetur venditio.

9. *Urbem se divisurum esse promisit*, etc. Sic Philippic. XIII, « ingressus urbem est, quo comitatu, vel potius agmine? Quum dextra, sinistra, gemente populo romano, minaretur dominis, notaret domos, divisurum se urbem palam suis polliceretur ».

denuntiata[10], ut et illi pœna, et nobis libertas appropinquet: sive tantus consensus omnium sine impulsu deorum esse non potuit; quid est, quod de voluntate cælestium dubitare possimus? Reliquum est, Quirites, ut vos in ista sententia, quam præ vobis[11] fertis, perseveretis.

V. Faciam igitur, ut imperatores instructa acie solent, quamquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur[1]: sic ego vos, ardentes et erectos ad libertatem recuperandam, cohortabor. Non est, non est[2] vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit. Neque enim ille servitutem vestram, ut antea, sed jam iratus sanguinem concupiscit[3]. Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium[4]. Non est vobis, Quirites, res cum scelerato homine atque nefario, sed cum immani tetraque bellua: quæ quoniam in foveam incidit[5], obruatur. Si enim illinc emerserit, nullius

10. *Aperte denuntiata.* De prodigiis hic agitur, quibus dii populum ad arma contra Antonium capessenda impellere videbantur. Sed nusquam in historia de prodigiis illis mentio facta est. Frustra de his portentis apud Annalium scriptores quæsivi, nusquam, quæ, et quo tempore fuerint deprehendi.

11. *Præ vobis fertis.* Quam toties vestris clamoribus palam in illa concione declarastis.

V. 1. *Adhortentur.* Ferrarius cum nonnullis quibusdam reposuit *adhortantur.* Nam locum sic intelligebat: Quemadmodum eos adhortantur, ita ego vos cohortabor. In hoc vero erravit; lectionem tamen illam defendit Ernest. non merito, ut opinor. Wopkensius, Lect. Tull. II, 15, p. 213, multa exempla collegit, ex quibus patet *ut* omitti sæpissime ante *sic.*

2. *Non est, non est.* Pro omnibus his verbis Barb. primus habet, *non enim vobis.* Cui non assensus est Grævius, et recte quidem.

3. *Sanguinem concupiscit.* Namque a militibus suis desertus, et a Gallia, Bruto impellente, repulsus; injurias illas sibi illatas gravissimis pœnis ulciscetur. Atqui quum servitutem nostram antea concupiscebat, nihil in nos reliqui nisi supplicia et mortem habet.

4. *Trucidatio civium.* Quod probavit, quum trecentos cives Brundisio mactavit, ut Phil. III passim narratur.

5. *In foveam incidit.* Nam undique

supplicii crudelitas erit recusanda. Sed tenetur, premitur, urgetur nunc iis copiis, quas jam habemus, mox iis, quas paucis diebus novi consules comparabunt[6]. Incumbite in causam, Quirites, ut facitis. Numquam major vester consensus in ulla causa fuit; numquam tam vehementer cum senatu consociati fuistis.

Nec mirum: agitur enim non qua conditione victuri, sed victurine simus, an cum supplicio ignominiaque perituri. Quamquam mortem quidem omnibus natura proposuit[7]: crudelitatem mortis et dedecus virtus propulsare solet; quæ propria est romani generis et seminis. Hanc retinete, quæso, Quirites, quam vobis tamquam hereditatem majores vestri reliquerunt. Quamquam alia omnia[8] incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus; quæ numquam ulla vi labefactari potest, numquam demoveri loco. Hac virtute majores vestri primum universam Italiam[9] devicerunt, deinde Carthaginem exsciderunt, Numantiam everterunt, potentissimos reges[10], bellicosissimas gentes[11] in ditionem hujus imperii redegerunt.

VI. Ac majoribus quidem vestris, Quirites, cum eo

premitur et tenetur; instat cum exercitu Octavius, urget a Gallia Brutus, et urbe arcetur totius populi senatusque communi consensu. Itaque facillime, dummodo in unum boni coeant, opprimetur.

6. *Comparabunt.* Oratio illa habebatur decembre exeunte; et novi consules magistratum anno incipiente inibant: itaque brevi exercitus novos contra grassantem Antonium erant comparaturi.

7. *Natura proposuit.* Jam Phil. III, 11, hæc orator in senatu disseruit.

8. *Alia omnia.* Alii, *omnia alia.* Cod. Vaticanus addit *falsa*. J. V. L.

9. *Universam Italiam.* In qua debellanda plus consumptum est temporis, quam in reliquo terrarum orbe subigendo. Italia vero ad imperium adjuncta, exteris gentibus formidabilis fuit Romanorum potentia.

10. *Potentissimos reges.* Perseum Macedoniæ, Antiochum Asiæ, Mithridatem Ponti regem; quorum quisque diuturna in imperium romanum bella suscitavit.

11. *Bellicosissimas gentes.* Hispanos et Gallos, recens omnino reipublicæ adjunctos.

hoste[1] res erat, qui haberet rempublicam, curiam, ærarium, consensum et concordiam civium, rationem aliquam, si res ita tulisset[2], pacis et fœderis: hic vester hostis vestram rempublicam oppugnat, ipse habet nullam; senatum, id est, orbis terræ consilium, delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet; ærarium vestrum exháusit, suum non habet. Nam concordiam civium qui habere potest, nullam qui habeat civitatem? Pacis vero quæ potest esse cum eo ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla? Est igitur, Quirites, populo romano, victori omnium gentium, omne certamen cum percussore[3], cum latrone, cum Spartaco[4].

Nam, quod se similem esse Catilinæ gloriari[5] solet: scelere par est illi, industria inferior[6]. Ille, quum exercitum nullum haberet, repente conflavit: hic eum ipsum exercitum, quem habebat, amisit[7]. Ut igitur Catilinam diligentia mea[8], senatus auctoritate[9], vestro studio et virtute[10] fregistis: sic Antonii nefarium latrocinium vestra cum senatu concordia tanta, quanta numquam fuit, felicitate et virtute exercituum ducumque vestrorum, brevi tempore oppressum audietis.

VI. 1. *Cum eo hoste.* Quovis cum hoste majores nostri pugnarent, ille rempublicam, etc. habebat.

2. *Si res ita tulisset.* Si fortuna adversa factum fuisset, ut de pace et fœdere cum eo ageretis; sed ideo res non tulit, quia semper vicistis.

3. *Percussore.* Al. *excussore.* J. V. L.

4. *Cum Spartaco.* Servorum duce; quo victo, M. Crassus myrtea corona, ovans in Albano monte triumphavit: nota satis historia.

5. *Gloriari solet.* Oratorie, fingit enim, quod credi possit: quia talem se contra patriam et libertatem, qualem olim Catilina, præberet Antonius.

6. *Scelere par est illi, industria inferior.* Al. *scilicet par est, belli industria inferior.* J. V. L.

7. *Amisit.* Quum duæ legiones illum ex improviso reliquerunt. — *Amisit.* Al. *accepit.* J. V. L.

8. *Diligentia mea.* Qui conjurationem patefeci, et occurri quantum in me fuit malis impendentibus.

9. *Senatus auctoritate.* Qui, quum Catilinam hostem publicum judicasset, de conjuratis capitale supplicium sumendum esse decrevit.

10. *Virtute.* Qui contra Catilinam

Equidem, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio, eniti atque efficere potero, nihil prætermittam, quod ad libertatem vestram pertinere arbitrabor. Neque enim id pro vestris amplissimis in me beneficiis sine scelere[11] facere possum. Hodierno autem die primum, referente viro fortissimo vobisque amicissimo, M. hoc Servilio[12], collegisque ejus, ornatissimis viris, optimis civibus, longo intervallo, me auctore et principe[13], ad spem libertatis exarsimus[14].

duce C. Antonio profecti, feliciter pugnam pro patria dimicavistis.

11. *Sine scelere.* Si quid prætermitterem erga vos, qui me summis honoribus, novum hominem, et a me ipso ortum affecistis, plane me scelestum ac nefarium esse confiterer.

12. *Hoc Servilio.* Qui tribunus plebis erat: sane ille auctor fuerat ut ad populum referretur; oratorique potestatem fecerat rostra conscendendi, et coram populo agendi. Ex sequentibus verbis patet in id omnes plebis tribunos consensisse.

13. *Principe.* Nam ceteri cunctabantur, et nemo erat qui sustineret ad populum contra Antonium referre.

14. *Exarsimus.* Acerrimam libertatis cupidinem nullo alio verbo aptiore declarare potuisse videtur.

M. TULLII CICERONIS
IN M. ANTONIUM
PHILIPPICA QUINTA

ARGUMENTUM.

Tandem kal. jan. tam vehementer exspectatæ venerant: novi consules, C. Vibius Pansa, et Aulus Hirtius magistratum ann. 710 inierant. Senatum convocaverant, et sicuti statutum fuerat, retulerant de honoribus et præmiis quæ concedere æquum erat ducibus et copiis quæ bene de republica meruerant, quum Antonii nefarios fregissent impetus. Q. Fufius Calenus, Pansæ consulis vitricus, primus sententiam rogatus, censuerat legatos Antonio mittendos, qui D. Brutum Mutina clausum obsidebat: pluresque senatores, quos inter L. Piso, in hanc sententiam iverant, tamquam si injustum omnino esset, civem inauditum damnare.

Cicero, postquam sententiam est rogatus, conquestus primum quod exspectatæ fuissent kal. jan. consulibusque collaudatis, Fufii Caleni consilium impugnavit. Quam absurdum sit et absonum indicat, legatos ad eum mittere, quem reipublicæ hostem decretis suis, et laudibus quas Cæsari exercituique tribuerant, declaravere. Ibi narrat quæ Antonius audaciter, injuste, violenter, cum fraude egerit; omniaque miro prorsus eloquentiæ flumine explicat. Deinde legatos mitti, non modo absurdum, sed et inutile contra ac reipublicæ perniciosum fore demonstrat: nullas conditiones, si æquæ sint, Antonium accepturum; tempusque his cunctationibus pretiosissimum elapsurum. Ad arma concurrendum, sumenda saga, justitium indicendum, sicuti summis in reipublicæ temporibus. Sic priorem orationis partem absolvit, quam verborum copia non minus quam vehementia commendat.

Altera autem in parte, præmia decernenda proponit orator, D. Bruto, Lepido, et C. Cæsari Octaviano, et quæstori Egnatuleio, et legionibus quæ bonorum civium partes ita acriter sunt amplexæ. In Cæsare præsertim moratur, cui imperium et honores extra ordinem poscit, pro eo promittit, recipit, spondet, eumque talem semper futurum testatur, qualem eum maxime esse, velle et optare debent.

Quinta hæc Philippica habita est in Capitolio kal. jan. anno Urbis 710.

ALIUD ARGUMENTUM.

Obsidente Mutinam Antonio, non modo sine senatus auctoritate, sed invito etiam senatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto, jam antea a Cæsare datam, post ejus necem confirmaverat, novi consules Pansa, et Hirtius kalendis jan. primo consulatus die, convocato de more senatu, non solum de Mutinæ obsidione, sed omnino de tota rep. deque honoribus et præmiis bene de rep. meritorum ac merentium, de quibus XIII kal. SC. factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, censuit is, qui sententiam primus rogatus est, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, ut ab ejus urbis obsidione desisteret. Cicero autem, suo loco rogatus, turpe et indignum dicit esse senatus ac populi romani majestate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tamquam de hoste, gravissima et severissima judicia idem senatus fecerit : decreverat enim XIII kal. jan. quo die habitam esse tertiam orationem diximus, ut de honoribus Cæsaris et Bruti, qui remp. privato consilio defendendam susceperant, deque præmiis Martiæ et quartæ legionum, quæ Antonio relicto, ad Cæsarem se contulerant, primo quoque tempore novi consules referrent. Deinde vehementer incubuit Cicero, ut hostis judicaretur Antonius, et ea decernerentur de honoribus et præmiis, quæ senatus ex novorum consulum relatione decerni sibi placere ostenderat. Senatus eo die nihil decrevit, sed triduo post mittendos omnino censuit, qui Antonio nuntiarent, ne consulem designatum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne provinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in senatus populique romani potestate. Quæ in concione Cicero exposuit, ut in Philipp. VI. P. MANUT.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA QUINTA.

ORATIO SEPTIMA ET QUADRAGESIMA.

I. NIHIL umquam longius his [1] kalendis jan. mihi visum est, patres conscripti: quod idem intelligebam per hos dies unicuique vestrum videri. Qui enim bellum cum republica gerunt, hunc diem non exspectabant [2]. Nos autem tum, quum maxime consilio nostro subvenire communi saluti oporteret [3], in senatum non vocabamur [4]. Sed querelam præteritorum dierum sustulit oratio consulum: qui ita [5] loquuti sunt, ut magis exoptatæ kalendæ jan. quam seræ esse videantur. Atque ut oratio consulum animum meum erexit, spemque attulit non modo salutis conser-

I. 1. *His.* Abest *his*. J. V. L.

2. *Non exspectabant.* Cœlius Curio existimat unum Antonium plurium numero intelligi; et quodam ex Virgilii loco argumentum ad firmandam opinionem suam sumit. Sed non intelligo cur orator non loquutus esset de Antonio simul et de ejus sociis; et errasse Cœlius videtur. Pro *exspectabant* alii habent *exspectant*.

3. *Oporteret.* Sæpe queritur, postquam ab Urbe ad invadendam Galliam profectus est Antonius, non statim senatum esse habitum, quum de communi re, ac salute publica ageretur. Urbem enim reliquerat Antonius III kalend. dec. ut tertia docet Philippica; senatus autem non ante XIII kal. jan. est habitus, ut ex sexta Philippica, et epistolis ad Brutum et Cornificium probatur.

4. *Vocabamur.* Al. *convocabamur*. J. V. L.

5. *Qui ita l. sunt.* Ita propensum in

vandæ, verum etiam dignitatis pristinæ recuperandæ: sic me perturbasset ejus sententia, qui primus rogatus est[6], nisi vestræ virtuti constantiæque confiderem. Hic enim vobis, patres conscripti, dies illuxit, hæc potestas data est, ut, quantum virtutis, quantum constantiæ, quantum gravitatis in hujus ordinis consilio esset, populo romano declarare possetis. Recordamini, qui dies nudius tertius decimus[7] fuerit,
5 quantus consensus vestrum, quanta virtus, quanta constantia; quantam sitis[8] a populo romano laudem, quantam gloriam[9], quantam gratiam consequuti. Atque illo die, patres conscripti, ea constituistis, ut vobis nihil jam sit integrum, nisi aut honesta pax, aut bellum necessarium. Pacem vult M. Antonius? arma po-

remp. animum, atque ita defendendæ libertatis cupidiuem ostenderunt, ut, si quid tarditate amisimus, id studio, cura, celeritate sua, reparare velle videantur.

6. *Qui primus rogatus est.* Multi hoc loco erravere, alii alium esse opinantes; quum autem luce clarissima P. Manutius hunc locum illustraverit, quid protulit sumus exhibituri. Sic autem rem egit. Nihil minus ab initio cogitavi, quam ut eorum, qui Ciceronis orationes explanandas susceperunt, opiniones refellerem. Infinitum enim quiddam esset. Hic tamen, oblitus instituti mei, temeritatem eorum cogor ostendere, quod, nullo Ciceronis testimonio, nulla suffragante historia, L. Pisonem hunc esse confirmarunt, qui primus sententiam rogatus est. Quod si diligenter hos Philippicarum libros evolvissent, non hunc esse L. Pisonem, sed Q. Fufium Calenum facile cognovissent. Nam Philipp. X sunt hæc: « Quæ est ista tua ratio, Calene, quæ mens, qui numquam post kalend. jan. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? » Cur autem eum primum rogare maluerit Pansa consul, quam de consularibus quemvis alium, affinitas effecit: erat enim Caleni gener Pansa. Testis oratio octava in qua scriptum sic est: « Satis multa cum Fufio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore: credo autem, qui generi querelam moderate ferat, æquo animo laturum amici ». Sic Cæsar consul, collocata Pompeio filia, primum eum rogare sententiam cœpit, quum Crassum soleret, essetque consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias consul kal. jan. instituisset, eum toto anno conservaret.

7. *Nudius tertius decimus.* XIII kal. jan. quum novi tribuni plebis senatum convocassent, et de consulum designatorum ac de senatus præsidio retulissent.

8. *Quanta sitis.* Al. *quam s.* J. V. L.

9. *Quantam gloriam, quantam gratiam.* Al. *quam gl. quam gr.* J. V. L.

nat, roget, deprecetur. Neminem æquiorem me reperiet: cui, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus, maluit. Nihil est profecto quod dari possit bellum gerenti; erit fortasse aliquid quod concedi possit roganti.

II. Legatos vero ad eum mittere, de quo gravissimum[1] judicium nudius tertius decimus[2] feceritis, non jam levitatis est, sed, ut, quod sentio, dicam, dementiæ. Primum duces eos laudavistis[3], qui contra illum bellum privato consilio suscepissent; deinde milites veteranos, qui, quum ab Antonio in colonias[4] essent deducti, illius beneficio libertatem populi romani anteposuerunt. Quid? legio Martia: quid? quarta, cur laudantur? si enim consulem suum reliquerunt, vituperandæ sunt; si inimicum reipublicæ, jure laudantur[5]. Atqui, quum consules nondum haberetis, decrevistis, ut et de præmiis militum, et de honoribus imperatorum primo quoque tempore referretur. Placet, eodem tempore præmia constituere iis, qui contra Antonium[6] arma ceperint, et legatos ad

II. 1. *Gravissimum.* Addunt multi e codice Vaticano, *et severissimum.* J. V. L.

2. *Nudius tertius decimus.* Ph. Beroald. hoc in loco sapientissime eos reprehendit, qui dici tantum posse affirmant, nudius tertius, nudius quartus, nec ultra progredi hunc numerum. Ciceronis enim vocibus facillime confutantur: Plautus ipse in Trinummo sic habet: « ad forum ibo: nudius sextus cui talentum dedi mutuum reposcam ».

3. *Laudavistis.* Nam senatusconsultum ex Ciceronis sententia scriptum fuerat, et ibi Cæsar Octavianus maximis laudibus erat celebratus.

4. *Colonias.* Casilinum scilicet.

5. *Jure laudantur.* Eodem argumento rursus utitur, quod jam in præcedentibus orationibus usurpaverat.

6. *Contra Antonium.* Hi sunt milites Octaviani, de quibus ad Atticum, XVI, 8, sic scriptum est: « Veteranos quique Casilini et Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam ». Coloniam ab ipso Antonio Casilinum deductam constat ex Philip. II, 40. Hinc etiam suspicari Calatiam licet ab eodem colonis fuisse adsignatam. Colonia certe ibi fuit militum Cæsaris veteranorum. Quod quum Velleius et Appianus testentur, mirum est a Dione, XLV, 12, unam pro iis Capuam nominari, ex qua maximam partem veteranorum Octavianus habuerit. Credo autem eos

Antonium mittere? ut jam pudendum sit, honestiora[7] decreta esse legionum, quam senatus : si quidem legiones decreverunt senatum defendere contra Antonium; senatus decernit legatos ad Antonium[8]. Utrum hoc est confirmare militum animos, an debilitare virtutem? Hoc dies duodecim profecerunt, ut, quem nemo, præter Cotylam[9], tum inventus sit, qui defenderet, is habeat jam patronos etiam consulares[10]. Qui utinam omnes[11] ante me sententiam rogarentur (quamquam suspicor, quid dicturi sint[12] quidam eorum, qui post me rogabuntur)! facilius contra dicerem, si quid videretur.

Est enim opinio, decreturum aliquem[13] M. Antonio illam ultimam Galliam, quam Plancus obtinet. Quid est aliud, omnia ad bellum civile hosti arma largiri? primum nervos belli, pecuniam infinitam[14], qua nunc eget; deinde equitatum, quantum velit. Equitatum dico? dubitabit, credo, gentes barbaras secum adducere. Hoc qui non videt, excors est; qui, quum videt, decernit, impius. Tu civem sceleratum et perditum, Gallorum et Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues? Nullæ

Capuæ convenisse, Ex libro Epist. ad Attic. XVI, 9, multosque illum etiam inde habuisse. Quo tamen coloniam, quum vellet, Antonium deducere non potuisse conjicitur, ex Philipp. II, 39 et 40. — *Ceperint.* Al. *ceperunt.* J. V. L.

7. *Honestiora.* Magis dignitati romani nominis et reipublicæ consentanea.

8. *Antonium.* Alii, *M. Antonium.* J. V. L.

9. *Cotylam.* L. Varium Cotylam, ædilitium, qui tum in senatu affuit, postea profectus est Mutinam ad Antonium, quemque legatum ad senatum Antonius remisit. Hæc omnia fusius Philipp. VIII narrantur.

10. *Consulares.* Calenum intelligit, qui consulatum cum Vatinio gesserat.

11. *Omnes.* Cuncti scilicet consulares, qui tum in senatu erant.

12. *Sint.* Al. *sunt.* J. V. L.

13. *Decreturum aliquem M. Antonio.* Ex istis consularibus, de quibus supra actum.

14. *Pecuniam infinitam.* Quam ei consularis ille decreturus putabatur, cumque pecunia equitatum quantum ex provincia conflare vellet.

istæ excusationes sunt : Meus amicus est. Sit patriæ prius. Meus cognatus. An potest cognatio ulla propior esse, quam patriæ, in qua[15] etiam parentes continentur? Mihi pecuniam attribuit. Cupio videre, qui id audeat dicere. Quid autem agatur, quum aperuero, facile erit statuere, quam sententiam dicatis, aut quam sequamini.

III. Agitur, utrum M. Antonio facultas detur opprimendæ reipublicæ, cædis faciendæ bonorum, diripiendæ urbis, agrorum suis latronibus condonandi[1], populum romanum servitute opprimendi; an horum nihil facere ei liceat. Dubitate, quid agatis[2]. At non cadunt hæc in Antonium. Hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. Quid enim in eum non cadit? qui, cujus acta[3] se defendere dicit, ejus eas leges pervertit, quas maxime laudare poteramus. Ille paludes[4] siccare voluit : hic omnem Italiam[5] moderato homini, L. Antonio, dividendam dedit. Quid? hanc legem[6] populus romanus accepit? quid? per auspicia ferri[7] potuit? Sed augur verecundus sine collegis[8] de auspiciis.

15. *Etiam parentes*. Alii, *parentes etiam*. J. V. L.

III. 1. *Condonandi*. Multi reposuere *condonandorum*, quasi hoc latino esset sermoni magis consentaneum. Sed similiter aliis in locis egit; itaque servandum arbitror *condonandi*. Conf. *Gramm. latine de Port-Royal*, sect. IV, c. 1, *sur les Gérondifs*, p. 456, ed. 1819.

2. *Quid agatis*. Indignatur orator merito in senatores, qui, quid sit agendum exposcant. Multi habent, *dubitatis quod agat*, quod rejiciendum puto tamquam multo minus acre ac validum.

3. *Cujus acta*. C. J. Cæsaris scilicet, cujus se patronum ac defensorem profitebatur Antonius.

4. *Ille paludes*. Ita de hac Cæsaris mente Sueton. « Siccare Pontinas paludes, emittere Fucinum lacum, viam munire a mari superò per Apennini dorsum ad Tiberim usque, talia agentem, atque meditantem mors prævenit ».

5. *Italiam moderato homini*. Oratorie : nam dederat tantummodo Italiæ partem fratri suo Lucio dividendam Antonius.

6. *Hanc legem populus romanus accepit?* De agris a L. Antonio dividendis.

7. *Ferri*. Al. *ferre*. J. V. L.

8. *Sed augur verecundus sine collegis de auspiciis*. Agit et interpretatur solus.

Quamquam illa auspicia non egent interpretatione[9]. Jove enim tonante cum populo agi non esse fas, quis ignorat? Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris[10]: ille biennii, iste sexennii. Num etiam hanc legem populus romanus accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factam vidimus[11], quam futuram quisquam est suspicatus? Ubi lex Cæcilia et Didia[12]? ubi promulgatio trinundinum, ubi pœnæ[13], recenti lege Junia et Licinia? possuntne hæ leges ratæ esse sine interitu legum reliquarum? Eccui potestas in forum insinuandi[14] fuit? Quæ porro illa tonitrua? quæ tempestas[15]? ut, si auspicia M. Antonium non moverent, sustinere tamen eum, ac ferre posse[16] tantam vim tempestatis, imbris ac turbinum, mirum videretur. Quam legem igitur se augur dicit tulisse, non modo tonante Jove, sed prope cælesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? Quid? quod cum eo collega[17] tulit,

9. *Interpretatione.* Al. *interpr. augurum.* J. V. L.

10. *Acta Cæsaris.* Ille enim tulerat legem, qua vetabatur, ne plus quam annum prætoriæ provinciæ, consulares vero plus quam biennium obtinerentur. Antonio autem consule, duo tribuni plebis, lege lata, prætoriis biennium, consularibus sexennium ex ipsius Antonii sententia dederunt.

11. *Factam vidimus.* Vatic. quem Grævius et Garaton. maxime probant habet, *nonne arte factum*, et paullo infra *futurum*. Hoc sermoni latino magis congruens judicant, quia non dicitur lex facta, sed scripta. Nos vulgatam retinuimus.

12. *Cæcilia et Didia?* Quæ sunt de tempore legum ferendarum, easque patere populo promulgatas, per trinas nundinas jubent.

13. *Ubi pœnæ.* In eos latæ, qui legitimum promulgationis tempus non servassent.

14. *Insinuandi.* Alii, *introeundi*; sed multo melius *insinuandi*. Omnes enim Antonius aditus clauserat, ne cui potestas obnuntiare aut intercedere fieri posset. Lex autem illa de dividendis agris a septemviris lata, a senatu postea abrogata fuit.

15. *Tempestas.* Hæc omnia acciderunt, quum Antonius de tertia judicum decuria legem ferret.

16. *Posse.* Aliæ editiones dant *potuisse*. J. V. L.

17. *Eo collega.* Dolabella scilicet, de quo superius actum.

quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum, nihilne ad auspicia bonus augur [18] arbitratus est pertinere?

IV. Sed auspiciorum nos fortasse erimus interpretes [1], qui sumus ejus collegæ. Num ergo etiam armorum [2] interpretes quærimus? Primum omnes fori aditus ita septi [3], ut etiamsi nemo obstaret armatus, tamen, nisi septis evulsis, introiri in forum nullo modo posset. Sic vero erant disposita præsidia, ut, quomodo aditus hostium prohibetur castellis et operibus, ita ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres.

Quibus de causis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes, censeo, per vim et contra auspicia latas, iisque legibus populum non teneri. Si quam legem, de actis Cæsaris confirmandis, deve dictatura [4] in perpetuum tollenda, deve coloniis in agros deducendis, tulisse M. Antonius dicitur; easdem leges de integro, ut populum teneant, salvis auspiciis ferri [5] placet. Quamvis enim leges [6] bonas vitiose, per vimque tulerit; tamen hæ leges non sunt habendæ; omnisque audacia gladiatoris amentis auctoritate nostra repudianda [7] est.

18. *Bonus augur*. Nonne vidit insanus ille augur non recte latam esse hanc legem, quum eam tulit cum eo collega, quem ipse vitiose fuisse electum nuntiaverat.

IV. 1. *Erimus interpretes*. Sic Phil. II: « Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar convellere : quæ, necesse est, aliquando ad nostrum collegium deferantur ».

2. *Etiam armorum*. Vis populo illata satis manifesta luce apparet, ut non sit opus interpretari.

3. *Ita septi*. Alii, *ita sunt septi*.

4. *Deve dictatura*. Sustulit eam non lex, sed senatusconsultum, ut ex prima Philippica colligere licet. Sed fieri potest ut ex senatusconsulto legem ad populum tulerit Antonius.

5. *Ferri*. Al. *ferre*. J. V. L.

6. *Leges bonas*. Ex antiquo libro Faern. legendum putat, *quamvis enim res bonas*. Hanc etiam scripturam Lambinus et Muretus recepere, quam valde probabat Garatonius. Ern. sic corrigendum locum censebat : Quamvis ergo leges bonas tulerit; tamen, quia vitiose, perque vim tulit, hæ leges non sunt habendæ.

7. *Repudianda est*. Fulv. Ursinus

Illa vero dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam septies millies[8] falsis perscriptionibus[9] donationibusque avertit: ut portenti simile videatur, tantam pecuniam populi romani tam brevi tempore perire potuisse. Quid? illi immanes quæstus ferendine, quos M. Antonii tota exhausit domus? Decreta falsa vendebat; regna, civitates, immunitates, in æs, accepta pecunia, jubebat incidi. Hæc se ex commentariis Cæsaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. Calebant in interiore ædium parte totius reipublicæ nundinæ: mulier, sibi felicior[10], quam viris, auctionem provinciarum regnorumque faciebat; restituebantur exsules, quasi lege, sine lege: quæ nisi auctoritate senatus[11] rescindantur, quoniam ingressi in spem reipublicæ recuperandæ sumus, imago nulla liberæ civitatis relinquetur. Neque solum commentariis commentitiis, chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, quum, quæ vendebat Antonius, ea se ex actis Cæsaris agere diceret: sed senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat[12]; syngraphæ obsignabantur[13]; senatusconsulta, tamquam facta, ad ærarium[14] deferebantur. Hujus turpitudinis testes erant etiam exteræ

legendam censebat *retundenda est.*

8. *Septies millies.* Al. exhibent *sestertium septies millies.* Nummorum Franc. 143,500,000. J. V. L.

9. *Falsis perscriptionibus.* In tabulis, quæ erant ad Opis, quantum cuique pecuniæ Cæsar dari voluisset, perscripsit, quum id non esset in commentariis Cæsaris, eaque pecunia collegam suum Dolabellam corrupit.

10. *Mulier, sibi felicior.* Fulvia, uxor ejus; quæ Clodio et Curioni nupta fuerat, qui interfecti fuerant.

11. *Rescindantur.* Al. *rescinduntur.* J. V. L.

12. *Referebat.* Ad eos a quibus pecuniam acceperat.

13. *Obsignabantur.* Ab iis, qui emebant, ut a Dejotari legatis, sicuti secunda testatur Philippica.

14. *Ad ærarium.* Senatusconsulta primum in senatu scribebantur, deinde in æs incidebantur, tum in Capitolio figebantur, postremo ad ærarium deferebantur; quodque de senatusconsultis, idem de legibus fieri solitum.

nationes. Fœdera interea facta; regna data; populi, provinciæque liberatæ; earumque rerum falsæ tabulæ[15], gemente populo romano, toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut, si hoc genus in unum[16] redigatur, non sit pecunia populo romano defutura.

V. Legem etiam judiciariam tulit[1], homo castus atque integer[2] judiciorum et juris auctor. In quo nos fefellit. Antesignanos, et manipulares, et[3] Alaudas, judices se constituisse dicebat. At ille legit aleatores[4], legit exsules, legit Græcos[5]. O consessum judicum præclarum! o dignitatem consilii admirandam! Avet animus apud consilium illud pro reo dicere. Cydam Cretensem, portentum insulæ, hominem audacissimum et perditissimum. Sed fac ita non esse[6], num latine scit? num est ex judicum genere et forma[7]? num, quod maximum est, leges nostras, moresve novit? num denique homines? Est enim Creta vobis notior, quam Roma Cydæ. Delectus autem[8], et notatio judicum etiam in nostris civibus haberi solet. Gortynium vero judicem quis novit, aut quis nosse potuit? Nam Lysiadem Atheniensem plerique novimus. Est enim

15. *Falsæ tabulæ*. Leges tamquam a Cæsare latæ, de quibus agit orator ad Attic. IV, 12.

16. *In unum*. Rectius *in* abesset. J. V. L.

V. 1. *Judiciariam tulit*. De his omnibus vide Philippicam primam, quà hæc fusius narrantur.

2. *Castus atque integer*. Antonium irridet: nam ex iis quos judices legit, quam sit integer, quamque gravis auctor juris et judiciorum facillime potest intelligi.

3. *Et Alaudas*. In Philippica prima dixit: «Manipulares ex legione Alaudarum»: nunc auget turpitudinem, quum addit et Alaudas, id est, et manipulares, et gallicæ gentis homines.

4. *Aleatores*. Curium scilicet, de quo eodem capite fusius dictum.

5. *Græcos*. Cydam et Lysiadem.

6. *Non esse*. Pone hunc non audacissimum esse ac perditissimum.

7. *Genere et forma*. Ex eo genere, eaque forma, qua oportet judices esse, ut leges romanas possint noscere.

8. *Delectus autem*. Tantum abest ut Græci judices legantur, ut ex nostris civibus delectus habeatur, et notentur ii, id est, seponantur, qui aptio-

Phædri[9], philosophi nobilis, filius : homo præterea festivus[10], ut ei cum M'. Curio, consessore eodem et collusore, facillime possit convenire. Quæro igitur, si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ et Athenis res judicare[11] : accipietne excusationem is, qui quæstioni præerit, Græculi judicis, modo palliati, modo togati? an Atheniensium antiquissimas leges negliget? Qui porro ille consessus, dii boni! Cretensis judex, isque nequissimus. Quem ad hunc reus alleget[12]? quomodo accedat? Dura natio est. At Athenienses misericordes. Puto, ne Curium quidem esse crudelem, qui quotidie periculum fortunæ[13] faciat. Sunt item lecti judices, qui fortasse excusabuntur[14]. Habent enim legitimam excusationem, exsilii causa solum vertisse[15], nec esse postea restitutos. Hos ille demens judices legisset; horum nomina ad ærarium detulisset; his magnam partem reipublicæ credidisset, si ullam speciem reipublicæ cogitavisset?

VI. Atque ego de notis judicibus dixi. Quos minus nostis, nolui nominare : saltatores, citharistas, totum

res ad judicum munus sanctissimum adimplendum videntur esse.

9. *Phædri*. Epicurei philosophi; de hoc agitur etiam de Fin. V, 1; de Nat. Deor. I, 33; et in Epistolis ad Div. XIII, 1, et ad Attic. XIII, 37.

10. *Homo præterea festivus*. « Quo nemo præterea festivus », Lang. « quo nemo præterea festivior », Sc. quam sequuti sumus lectionem Vaticanus tuetur.

11. *Res judicare*. Lege græca cautum erat, ne quis Areopagi judex munus illud apud aliquam urbem exteram exerceret.

12. *Alleget*. Quem patronum reus legere poterit, qui causam ejus agat coram homine rudi et omnium rerum ignaro.

13. *Periculum fortunæ*. In alios misericors erit Curius, nam quum ipse semper fortunæ periculum facit, iis indolebit qui adversa fortuna prementur. Notissimum aleatorem fuisse Curium Asconius testatur, et in eum a Calvo scriptum dicit versiculum illum : « Et talis Curius pereruditus ».

14. *Excusabuntur*. Si citati non responderint.

15. *Solum vertisse*. Solum vertere

denique comissationis Antonianæ chorum in tertiam decuriam judicum scitote esse conjectum[1]. En causam[2], cur lex tam egregia, tamque præclara, maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua ferretur[3]: ut eos judices haberemus, quos hospites habere[4] nemo velit. Scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio ejus pecuniæ, cujus ratio[5] in æde Opis confecta est, hanc tertiam decuriam excogitavit; nec ante turpes judices quæsiti, quam honestis judicibus nocentium salus desperata est. Sed illud os[6], illam impuritatem cœni fuisse, ut hos judices legere auderet! quorum lectione duplex imprimeretur reipublicæ dedecus: unum, quod tam turpes judices essent; alterum, quod patefactum cognitumque esset, quam multos in civitate turpes haberemus. Hanc ergo, et reliquas ejusmodi leges, etiamsi sine vi, salvis auspiciis, essent rogatæ, cen-

est exsilii causa, sedem ac locum mutare, ut eleganter docuit M. Tullius in oratione pro Cæcina. Et sic apud Livium legitur: « Collegæ eorum exsilii causa solum verterunt, bona publicata sunt ». Notissimumque illud carmen: « Qui vertere solum Baias et ad Ostia currunt ».

VI. 1. *Conjectum.* Nonnulli et quorumdam MSS auctoritate legendum censuerunt *collectum*: quum vero lectio nostra multis libris firmetur, multoque majorem vim habere videatur, eam retinuimus.

2. *En causam.* Alii, *hæc causa.* J. V. L.

3. *Inter fulmina et tonitrua ferretur.* Fulminante ac tonante Jove, nefas erat agere cum populo, et ex disciplina augurum vitium fieri dicebatur, si tantummodo tonuisset: vitium vero et calamitas, si et tonitrua, et grando, et fulmina simul intervenissent.

4. *Quos hospites habere nemo velit.* Multi locum illum variis modis scripsere.

5. *Cujus ratio in æde Opis confecta est*, etc. Ab Antonio ipsius arbitratu, ne ratio tabularum ab ipsius divisione discreparet: diviserat enim, quibus ipse voluerat, pecuniam illam, ad ædem Opis a Cæsare depositam. Huc pertinet illud quod in Philippica octava legitur: « Ne tangantur rationes ad Opis », id est, ne septies millies recuperetur.

6. *Sed illud os, illam impuritatem cœni fuisse*, etc. Desiderari aliquid ibi videtur, nihil tamen deest: nam indignatione abreptus orator verbum omisit, sensusque, quis sit, facillime apparet. Ceterum hæsere multi in verbis illis, quæ multis modis immutavere.

serem tamen abrogandas. Nunc vero cur[7] abrogandas censeam, quas judico[8] non rogatas?

An illa non gravissimis ignominiis[9], monumentisque hujus ordinis, ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe post conditam urbem palam secum habuit armatos? quod neque reges fecerunt, neque ii, qui, regibus exactis, regnum occupare voluerunt. Cinnam memini; vidi Sullam; modo Cæsarem. Hi enim tres, post civitatem a L. Bruto liberatam, plus potuerunt, quam universa respublica. Non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse; hoc dico, nec multis, et occultis. At hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustella, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum; certum agminis locum tenebant barbari[10] sagittarii. Quum autem erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ[11] collocabantur: non quo ille scuta occulta[12] esse vellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent.

VII. Illud vero teterrimum auditu, non modo adspectu, in cella Concordiæ collocari armatos, latro-

7. *Cur abrogandas censeam.* Alii, *cur non abr. c.* J. V. L.

8. *Quas judico.* Abrogari enim solent leges quæ rogatæ fuerunt; nunc vero cur abrogandas censeam, quæ numquam fuere rogatæ?

9. *Gravissimis ignominiis.* Ordinem hunc, id est, senatum, decet omni modo in Antonium invehi; atque ita gravem ei infamiæ ignominiæque inurere notam, ut ad posteros usque scelerum ejus memoria transeat.

10. *Barbari.* Ithyræi, de quibus plurimis locis Philipp. secund. agitur. Sæpissime his in Philippicis orator contra Antonium invehitur, quod armatos secum habuerit, tamquam si rempublicam, non jam fraude, sed palam vi et armis opprimere cogitavisset.

11. *Lecticæ.* Armis refertæ; ad quas, si quid gravius in Antonium ausum fuisset, dato signo sagittarii cucurrissent.

12. *Occulta.* Rei infamiam his verbis auget orator: non enim arma in lecticis condebat Antonius, ne oculos Romanorum offenderent, sed ne familiares sui defatigarentur, dum in senatu ageret.

nes, sicarios; e templo[1] carcerem fieri[2]; opertis valvis Concordiæ, quum inter subsellia senatus versarentur latrones, patres conscriptos sententias dicere. Huc etiam nisi venirem kalend. septemb. fabros se missurum[3], et domum meam disturbaturum esse dixit. Magna res, credo, agebatur. De[4] supplicatione referebatur. Veni postridie: ipse non venit. Loquutus sum de republica[5], minus equidem libere, quam mea consuetudo; liberius tamen, quam pericula minæque postulabant. At ille homo vehemens et violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet (fecerat enim hoc idem, maxima cum laude, L. Piso[6] xxx diebus ante[7]), inimicitias mihi denuntiavit; adesse in senatu jussit a. d. XIII kalend. octob. Ipse interea XVII dies de me[8] in Tiburtino Scipionis[9] declamitavit, sitim quærens. Hæc enim ei causa esse solet declamandi. Quum is dies, quo me adesse jusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit. Quo die, si per amicos mihi cupienti in sena-

VII. 1. *E templo.* Alii, post cod. Vatic. *de templo*. J. V. L.

2. *Carcerem fieri.* Hoc in loco Manutius erravit, qui testatur hæc a Cicerone dicta esse, « quoniam sicarii et latrones sunt in carcere collocandi ». Sed sensus sic nobis intelligendus esse videtur: ædes Concordiæ, tamquam carcer, senatores tenebat, quia ab armatis septi, nec libere loqui, nec abire poterant.

3. *Fabros se missurum.* Hæc omnia prima in Philippica narrantur.

4. *De supplicatione.* Ad mortui Cæsaris honorem.

5. *De republica.* Prima his verbis Philippica significatur habita IV nonas septembres, de qua sic ipse Cicero in Epist. ad Cornificium: « In summa reliquorum servitute liber unus fui: sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet ».

6. *L. Piso XXX.* Triginta et unus dies, si recte animadverteris, inveniuntur; sed mos est Ciceroni, sicuti Asconius Pedianus multis est locis testatus, numeros rotundare.

7. *Ante.* Al. *ante me*. J. V. L.

8. *XVII dies de me.* Al. codd. exhibent « decem et septem dies (ut digestio potius, quam declamatio videretur) de me ». J.V. L.

9. *In Tiburtino Scipionis.* In villa Scipionis Metelli, qui Pompeii Magni fuit socer.

tum venire licuisset, cædis initium fecisset a me. Sic enim statuerat. Quum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem cædendi, nisi defatigatio et satietas, attulisset. Etenim aderat L. frater, gladiator Asiaticus[10], qui mirmillo Mylasis[11] depugnarat: sanguinem nostrum sitiebat; suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. Hic pecunias nostras æstimabat; possessiones notabat et urbanas, et rusticas; hujus mendicitas aviditate conjuncta, in fortunas nostras imminebat; dividebat agros, quibus, et quos volebat; nullus aditus erat privato, nulla æquitatis deprecatio. Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius. Quæ quamquam, si leges[12] irritas feceritis, rata esse non possunt; tamen separatim suo nomine notanda censeo; judicandumque, nullos septemviros fuisse, nihil placere ratum esse, quod ab iis actum diceretur.

VIII. M. vero Antonium quis est qui civem possit judicare potius, quam teterrimum et crudelissimum hostem, qui pro æde Castoris sedens, audiente populo romano, dixerit, nisi victorem, victurum[1] nemi-

10. *Gladiator Asiaticus*. Quia, cum familiari suo, tamquam mirmillo gladiator, cum Thrace gladiatore, in Asia depugnaverat.

11. *Mylasis depugnarat*. Ibi comitem et familiarem suum L. Antonius occidit, sicuti ex octava Philippica deprehendere licet : ibi enim ita est scriptum : « Mirmillo in Asia depugnavit; quum ornasset Trecidiri comitem et familiarem suum,, illum miserum fugientem jugulavit : luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix ». Mylasa autem urbs erat Cariæ, in qua Mausolum regem natum fama testatur. Unam ex quatuor urbibus, quas Phocioni Atheniensi Alexander Magnus dono dedit, Plutarchus nominat. Mylasis antiquissimum fuisse Carii Jovis templum traditum est. Liberam hanc urbem, id est, quæ suis regeretur legibus, nec stipendium Romanis penderet Plinius appellat. In libris græcis Μύλασσα gemino σ, in Cicerone Mylasis unico scriptum est, et Mylasii in Epist. ad Thermum.

12. *Si leges*. M. Antonio scilicet latæ. — *Irritas*. Tamquam per vim et contra auspicia latas.

VIII. 1. *Nisi victorem, victurum neminem?* De his Antonii minis dictum est superius, Philippic. III, cap. 11.

nem? Num putatis, patres conscripti, dixisse eum minacius, quam facturum fuisse? Quid vero, quod in concione dicere ausus est, se, quum magistratu abisset, ad urbem futurum cum exercitu? introiturum, quotiescumque vellet? quid erat aliud [2], nisi denuntiare populo romano servitutem? Quod autem ejus iter Brundisium? quæ festinatio? quæ spes, nisi ut ad urbem, vel in urbem potius, exercitum maximum [3] adduceret? Qui autem delectus [4] centurionum? quæ effrenatio impotentis animi? Quum ejus promissis legiones fortissimæ reclamassent, domum ad se venire jussit centuriones, quos bene de republica sentire cognoverat; eosque ante pedes suos, uxorisque suæ, quam secum gravis imperator ad exercitum duxerat, jugulari coegit. Quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos, quos oderat, quum in eos, quos numquam viderat, tam crudelis fuisset? et quam avidum in pecuniis locupletum, qui pauperum sanguinem concupisset [5]? quorum ipsorum bona, quantacumque erant, statim comitibus suis compotori-

2. *Quid erat aliud.* Sæpissime usitatum est Ciceroni sic scribere, *quid erat aliud, denuntiare*, etc. Sed nonnullis in locis *nisi* occurrit, sicut in oratione contra Pisonem habita, ad calcem; quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines. Itaque locus ille, sicut scripsimus, servandus videtur.

3. *Vel in urbem potius, exercitum maximum adduceret?* Quatuor legiones, ex quibus duæ ad Octaviani Cæsaris partes transiere. Profectus est Antonius, ut ad eas legiones tenderet VII idus octob. de quo sic ad Cornificium: « Ad VI id. octob. Brundisium venerat, profectus obviam legionibus macedonicis quatuor; quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad Urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare ». Macedonicæ autem legiones illæ vocabantur, quia Cæsar iturus in Parthos, eas in Macedonia locaverat; inde vero Brundisium eas Antonius consul post Cæsaris necem arcessiverat.

4. *Delectus centurionum.* Delegit eos ad necem quos bene de republica sentire cognoverat: non tantum vero centuriones neci dedit; nam Philippica tertia trecentos ab Antonio mactatos fuisse testatur: atqui numquam in una vel gemina legione trecenti centuriones esse potuerunt.

5. *Qui pauperum sanguinem concupisset?* Ut inde in eorum bona, tenuissima licet, invaderet.

busque descripsit[6]. Atque ille furens infesta jam patriæ signa Brundisio inferebat: quum C. Cæsar deorum immortalium beneficio, divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quamquam sua sponte, eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meæ[7], colonias patris adiit; veteranos milites convocavit; paucis diebus exercitum fecit; incitatos latronis impetus[8] retardavit. Postea vero, quam legio Martia ducem præstantissimum vidit, nihil egit aliud, nisi, ut aliquando liberi essemus; quam est imitata quarta legio.

IX. Quo ille nuntio audito[1], quum senatum vocasset, adhibuissetque consularem[2], qui sua sententia C. Cæsarem hostem judicaret, repente concidit. Post autem neque sacrificiis solemnibus[3] factis, neque votis nuncupatis[4] non profectus est, sed profugit paludatus[5]. At quo? in provinciam firmissimorum et

6. *Descripsit.* Divisit, dono dedit: hoc sensu *describere* occurrit in epistola ad Cassium, quæ legitur: « pecuniæ maximæ describuntur ».

7. *Auctoritatis meæ.* Multis in epistolarum locis gloriatur Cicero, quod Octavianum in Antonium impulerit: sic enim ad Brutum scribit: « Tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum ». Et in alia ad Cornificium verba hæc occurrunt: « Quem ego ructantem et nauseantem conjeci in Cæsaris Octaviani plagas ».

8. *Latronis impetus.* Sæpius hanc sententiam his in orationibus profert Cicero; eam enim jam in tertia Philippica vidimus expressam, posteaque non semel occurrit.

IX. 1. *Nuntio audito.* Omnino ad hunc nuntium mente concidit Antonius, sicut Phil. XIII expressum est: « Affertur ei de quarta nuntius: quo perculsus abjecit consilium referendi ad senatum de Cæsare ».

2. *Consularem.* Q. Fufium Calenum sane his verbis designat orator: sic saltem viri docti conjecere.

3. *Solemnibus.* Quæ fieri solebant a consule, antequam in provinciam proficisceretur.

4. *Votis nuncupatis.* Pugnare secum hoc in loco videtur orator, quum nulla vota fuisse nuncupata proclamat; namque in tertia sic est scriptum: « Neglectis sacrificiis solemnibus, ante lucem, vota ea, quæ numquam solveret, nuncupavit ». Hæc tamen inter se ita docti composuere: nam Cicero vota illa non esse nuncupata ait, quia ante lucem et contra morem ac usum fuere nuncupata.

5. *Profugit paludatus.* Sic Philipp.

fortissimorum civium[6] : qui illum, ne si ita quidem venisset, ut nullum bellum inferret, ferre potuissent, impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit provinciæ Galliæ : circumsedit Mutinam, firmissimam et splendidissimam populi romani coloniam; oppugnat D. Brutum, imperatorem, consulem designatum[7], civem non sibi, sed nobis et reipublicæ natum[8]. Ergo Hannibal hostis, civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non aut fecerit, aut faciat, aut moliatur et cogitet? Totum iter Antoniorum[9] quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multa ad usum[10] reservabat : at hi, qui in horam viverent[11], non modo de fortunis et de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt.

Ad hunc (dii boni!) legatos mitti placet? Norunt isti homines formam reipublicæ, jura belli, exempla majorum? cogitant, quid populi romani majestas, quid senatus severitas postulet? Legatos decernitis? si, ut deprecentur, contemnet; si, ut imperetis, non audiet; denique quamvis severa legatis mandata dederimus, nomen ipsum legatorum[12], hunc, quem

XIII, « egressus est non viis, sed tramitibus paludatus ».

6. *Fortissimorum civium*. Citeriorem Galliam.

7. *Cons. designatum*. Consul enim a C. J. Cæsare fuerat cum L. Planco in annum sequentem designatus.

8. *Reipublicæ natum*. Eumdem jam in tertia Philippica præstantissimis laudibus ornavit, quum in verba illa prorupit : « O civem natum reipublicæ, memorem sui nominis imitatoremque majorum! Est enim quasi deorum immortalium beneficio, et munere datum reipublicæ Brutorum genus et nomen, ad libertatem populi romani vel constituendam, vel recuperandam ».

9. *Antoniorum*. Al. codd. exhibent *Antonii*. J. V. L.

10. *Ad usum*. Al. *ad usum suum*. J. V. L.

11. *In horam viverent*. Multis modis locum hunc docti scripsere.

12. *Nomen ipsum legatorum*. Namque hac una re demonstrabitur aliquid

videmus, populi romani restinguet ardorem; municipiorum atque Italiæ franget animos. Ut omittam hæc, quæ magna sunt: certe ista legatio moram[13] et tarditatem afferet bello. Quamvis dicant, quod quosdam audio dicturos: Legati proficiscantur; bellum nihilominus paretur: tamen legatorum nomen ipsum et animos hominum molliet[14], et belli celeritatem morabitur.

X. Minimis momentis, patres conscripti, maximæ inclinationes[1] temporum fiunt, quum in omni casu reipublicæ, tum in bello, et maxime civili; quod opinione plerumque et fama gubernatur. Nemo quæret, quibuscum mandatis legatos miserimus: nomen ipsum legationis ultro missæ, timoris esse signum videbitur. Recedat a Mutina[2], desinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia: non est verbis rogandus, cogendus est armis.

Non enim[3] ad Hannibalem mittimus, ut a Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum et Q. Bæbium Tampilum: qui, si Hannibal non pareret, Carthaginem ire jussi sunt. Nostros le-

commune inter Antonium senatumque esse posse. Præterea, si legatos miserit senatus, videbitur Antonium reformidare, quum bellum non subito capessiverit, ad precesque prior quasi descenderit.

13. *Moram.* Nam exspectabitur quid Antonius responderit, et interea defervescet ardor animorum, qui nunc omnes ultro ad defendendam senatus auctoritatem, nominisque majestatem romani consurgunt.

14. *Hominum molliet.* Abest *hominum*. J. V. L.

X. 1. *Maximæ inclinationes.* Usitata sententia plane illa est, et a multis usurpata scriptoribus; sed ibi huic suus est locus aptissimus; namque in verum articulo, quo romana res versabatur, ex nihilo animorum inclinatio pendebat.

2. *Recedat a Mutina.* Hæc sit tamquam si quis objiceret non esse timoris signum legatos mittere, qui Antonio hæc senatus mandata reportent. Sed si patribus conscriptis animus est hæç jussa ei indicere, multo melius armis quam inanibus verbis declarabuntur.

3. *N. enim.* Non cum hoste illo nobis res est, cum quo pacem possimus habere: nam quum erumpunt civilis belli incendia, cum viro principe stare, aut contra eum arma movere necesse est.

gatos quo jubebimus ire, si non paruerit[4] Antonius? Ad nostrum civem[5] mittimus[6], ne imperatorem, ne coloniam populi romani oppugnet? Itane vero? hoc per legatos rogandum est[7]? Quid interest, per deos immortales! utrum hanc urbem oppugnet, an hujus urbis propugnaculum, coloniam populi romani, præsidii causa[8] collocatam? Belli Punici secundi, quod contra majores nostros Hannibal gessit, causa fuit Sagunti oppugnatio. Recte ad eum legati missi. Mittebantur ad Pœnum, mittebantur pro Hannibalis hostibus, nostris sociis. Quid simile tandem? Nos ad civem mittemus, ne imperatorem populi romani, ne exercitum, ne coloniam circumsedeat, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne sit hostis[9]?

XI. Age, si paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut possumus? Ante diem XIII kalendas jan. decretis vestris eum concidistis[1]; constituistis, ut hæc ad vos kalend. jan. referrentur, quæ referri videtis, de honoribus et præmiis bene de republica meritorum, et

4. *Si non paruerit.* Al. *nisi paruerit.* J. V. L.

5. *Ad nostrum civem mittimus.* Verba hæc *ad nostrum civem mittimus* Gruterus et Ernestius omisere; fere omnes alii assumpserunt e codice Vaticano. J. V. L.

6. *Mittimus.* Non ita semper scriptus fuit ille locus, sicuti ille qui paullo inferius occurret, *mittebantur pro Hannibalis hostibus.*

7. *Rogandum est?* Al. *rogandus.* J. V. L.

8. *Præsidii causa.* Quum majores nostri legatos ad Hannibalem misere, non urbem hanc, neque hujus urbis coloniam oppugnabat, sed socios populi romani, et ab imperio nostro remotos; nunc vero nos ipsi bello petimur, non socii, sed coloni, non remota gens, sed totius Italiæ propugnaculum opprimitur: itaque non iisdem rationibus hostis arcendus, non legatis, sed legionibus, non voce, sed ferro est exterminandus. Proinde bellum felicissime ab Octaviano Cæsare auspicatum non derelinquere decet, quum eos qui illud susceperunt, laudibus præstantissimis exornavimus.

9. *Ne sit hostis.* Quanta labes nomini romano inureretur, si pestem illam communem, Antonium, nos rogaremus, ne libertatem omnino tollat, ne patriam depopuletur, ne denique hostis esse quam amicus malit.

XI. 1. *Eum concidistis.* Quæ fuerint illa decreta, ex tertia quartaque Philippica dignoscere licet.

merentium : quorum principem judicastis eum, qui fuit, C. Cæsarem, qui M. Antonii impetus nefarios ab urbe in Galliam avertit[2]; deinde milites veteranos, qui primi Cæsarem sequuti sunt; tum illas cælestes divinasque legiones, Martiam et quartam[3], quibus quum consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur, honores et præmia spopondistis : eodemque die D. Bruti, præstantissimi civis, edicto allato atque proposito, factum ejus collaudastis[4]; quodque ille bellum privato consilio susceperat, id vos auctoritate publica comprobastis. Quid igitur illo die aliud egistis, nisi ut re hostem judicaretis Antonium? His vestris decretis[5] aut ille vos æquo animo adspicere poterit, aut vos illum sine summo dolore videbitis? Exclusit illum a republica, distraxit, segregavit non solum scelus ipsius, sed etiam, ut mihi videtur, fortuna quædam reipublicæ. Qui si legatis paruerit, Romamque redierit[6] : num quando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis?

Sed hoc minus vereor[7] : sunt alia, ob quæ[8] magis

2. *Avertit.* Diu multi edidere *vertit;* sed ex Vaticano hausta est optima lectio *avertit*, quam doctissimi recepere editores.

3. *Martiam et quartam.* Post verba illa in antiquo libro legitur *comprobavistis;* quod quidem omnino supervacaneum videtur : hanc lectionem Faernus rejecit, omnesque postea hoc exemplum sequuti sunt librarii.

4. *Collaudastis.* Omnia hæc fuerant, suadente Cicerone, perfecta.

5. *His vestris decretis.* Ita cum Antonio egistis, ut nulla pax vos inter et illum ullo modo fieri possit : namque semper vobis iratus erit quod eum decretis vestris judicaveritis hostem; et vos semper eum odio vestro urgebitis, ut qui rempublicam evertere prorsus tentaverit.

6. *Romamque redierit.* Semper in eo versatur Cicero, ut Antonium e Roma arceat; ne, si Urbem regrederetur, iterum mente conciderent senatores, nec bellum contra eum acriter persequerentur.

7. *Minus vereor.* Quia certe legatis non parebit.

8. *Ob quæ magis numquam parebit*, etc. Al. *quæ magis timeam et cogitem; n.* Legendum forte, *sunt alia, quæ magis. Numquam*, etc. J. V. L.

numquam parebit ille legatis. Novi hominis insaniam, arrogantiam; novi perdita consilia amicorum, quibus ille est deditus. Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregre[9] depugnavit[10], familiam ducit[11]. Si per se ipse sanus, quod numquam erit; per hos esse ei tamen non licebit. Teretur interea tempus; belli apparatus refrigescent. Unde est adhuc bellum, nisi ex retardatione et mora? Ut primum post discessum latronis, vel potius desperatam fugam, libere senatus haberi potuit; semper flagitavi, ut convocaremur. Quo die primum[12] convocati sumus, quum designati consules non adessent[13], jeci, sententia mea, maximo vestro consensu, fundamenta reipublicæ, serius omnino, quam decuit, nec enim ante potui: sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus. Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius. Sed tum exspectabantur kalendæ jan. fortasse non recte.

XII. Verum præterita omittamus. Etiamne hanc moram afferemus, dum proficiscantur legati? dum revertantur? quorum exspectatio dubitationem belli afferet. Bello autem dubio, quod potest studium esse delectus?

Quamobrem, patres conscripti, legatorum mentionem nullam censeo faciendam; rem administran-

9. *Peregre*. Peregrinis in regionibus pugnavit: vidimus supra capite septimo eum in Thracia pugnavisse.

10. *Depugnavit*. Alii, *depugnarit*, J. V. L.

11. *Familiam ducit*. Princeps eorum est, per quos ei ad sanitatem redire non licet. Familiam autem ducere dicitur, qui primas partes tenet: hoc sensu verba illa habentur: ad Div. VII, 5, et de Fin. IV.

12. *Quo die primum*. XIII kal. jan. quo die tertiam Philippicam in senatu Cicero recitavit.

13. *Non adessent*. Metu, licet absente Antonio; verebantur enim ne intra muros Antonii sicarii versarentur, qui eos per vim opprimerent.

dam arbitror sine ulla mora, et confestim gerendam; tumultum decerni, justitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi, sublatis vacationibus in urbe, et in Italia, præter Galliam[1], tota. Quæ si erunt facta, opinio ipsa, et fama vestræ severitatis obruet scelerati gladiatoris amentiam. Sentiet sibi bellum cum republica esse susceptum[2]; experietur consentientis senatus nervos atque vires. Nam nunc quidem partium contentionem esse dictitat. Quarum partium? alteri victi sunt[3], alteri sunt e mediis C. Cæsaris partibus. Nisi forte Cæsaris partes a Pansa[4] et Hirtio consulibus, et a filio C. Cæsaris oppugnari putamus. Hoc vero bellum non est ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum civium excitatum: quibus bona fortunæque nostræ notatæ sunt, et jam ad cujusque opinionem[5] distributæ. Legi epistolam Antonii, quam ad quemdam septemvirum, capitalem hominem, collegam suum[6], miserat. QUID CONCUPI-

XII. 1. *Præter Galliam*. Manutius sic locum illum annotavit: non excipit Galliam, sed addit. In hoc autem loco virum præstantissimum erravisse pæne constat. Multi quidem verba illa multis modis contorsere, quia non satis certum erat, quanam ratione scribi deberent. Si autem servantur, sicuti nos, MSS auctoritate freti, expressimus, nullo modo sensus in dubium adduci potest.

2. *Esse susceptum*. Nam quamvis decretis vestris D. Brutus et ceteri collaudati fuerint, qui Antonium a Gallia arcuere, nondum tamen aperte causam reipublicæ cepistis: nec contra senatus auctoritatem agere videtur Antonius.

3. *Victi sunt*. Qui Pompeii partes sunt amplexi.

4. *A Pansa et Hirtio consulibus*. Quos fuisse Cæsari, tum amicitia, tum veteri consuetudine conjunctissimos nemo ignorat.

5. *Opinionem*. Sibi hoc in loco plaudit Manutius, quod non *opinionem*, sed *optionem*, expresserit. Sane verba, si sic locus scriberetur, multo clariora et magis lucida apparerent; sed quum nulla manuscriptorum aut editionum auctoritate fretus sit P. Manutius, conjecturam ejus repulimus. Præterea sensus satis per se apertus est, ut non discrepans omnino vox illa *opinio* videatur.

6. *Collegam suum*. Quidam ex his verbis conjecere Antonium fuisse ex septemviris unum. Res tamen non aperte omnino verbis illis denuntiabatur; namque forsan, vir ille, de quo hic agitur, collega Antonii in alio quovis magistratu esse poterat.

SCAS, TU VIDERIS: QUOD CONCUPIVERIS, CERTE HABEBIS. En, ad quem legatos mittamus; cui bellum moremur inferre: qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit[7], sed libidini cujusque nos ita addixit, ut ne sibi quidem quidquam integrum, quod non alicui promissum jam sit, reliquerit. Cum hoc, patres conscripti, bello, bello, inquam, decertandum est, idque confestim. Legatorum tarditas repudianda est.

Quapropter, ne multa nobis quotidie decernenda sint: consulibus totam rempublicam commendandam[8] censeo, hisque permittendum[9], ut rempublicam defendant, provideantque, ne quid respublica detrimenti accipiat[10]: censeoque, ut iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante kalendas febr. ab eo discesserint. Hæc si censueritis, patres conscripti, brevi tempore libertatem populi romani, auctoritatemque vestram recuperabitis. Sin autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis. De republica quod retulistis[11], satis decrevisse videor.

XIII. Altera res est de honoribus: de quibus deinceps intelligo esse dicendum. Sed qui ordo[1] in sen-

7. *Qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit.* Locus ille multis modis intelligitur: quisque suam opinionem quadam auctoritate commentator tuetur.

8. *Commendandam.* Al. *committendam.* J. V. L.

9. *Permittendum.* Ernest. *committendum.* J. V. L.

10. *Detrimenti accipiat.* Numquam hoc senatus, nisi difficillimis reipublicæ temporibus, decernere erat solitus, et quum decernebat, summum dabat consulibus imperium. Neque umquam latum est hoc decretum, quin ad arma, ut in præsenti reipublicæ discrimine, cives concurrerent. Primum, consule Opimio, latum est; et statim C. Gracchus, tribunus plebis, est interfectus. Alterum, consule Cicerone, et oppressi subito per consulis imperium Catilinæ socii; tertium autem, L. Lentulo et M. Marcello consulibus, quum belli civilis Pompeium inter et Cæsarem prima erupere incendia.

11. *Quod retulistis.* Satis dixi de iis quæ de republica retulistis; non sic autem omnes locum scripsere.

XIII. 1. *Qui ordo.* A consulibus designatis orditur, quoniam ipsi non aderant consules.

tentiis rogandis more majorum[2] servari solet, eumdem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igitur, consule designato, capiamus exordium[3] : cujus ut superiora omittam, quæ sunt maxima illa quidem[4], sed adhuc hominum magis judiciis, quam publice laudata; quibusnam verbis ejus laudes hujus ipsius[5] temporis consequi possumus? Neque enim ullam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis gloriæque, desiderat : qua etiamsi careat[6], tamen sit se ipsa contenta, atque in memoria gratorum civium, tamquam in luce, posita lætetur. Laus igitur judicii, testimoniique vestri, tribuenda Bruto est. Quamobrem his verbis, patres conscripti, senatusconsultum faciendum censeo.

Quum D. Brutus, imperator, consul designatus, provinciam Galliam[7] in senatus populique romani potestate teneat; quumque exercitum tantum, tam brevi tempore, summo studio municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, optime de republica meritæ, merentisque, conscripserit, compararit : id eum recte et ordine, exque republica fecisse; idque D. Bruti præstantissimum meritum in rempublicam senatui populoque romano gratum esse, et fore. Itaque senatum populumque romanum existimare, D. Bruti, imperatoris, consulis designati, opera, con-

2. *More majorum*. Abest *more majorum*. J. V. L.

3. *Capiamus exordium*. Al. *more majorum c. e.* J. V. L.

4. *Maxima illa quidem*. C. J. Cæsaris necem verbis illis dat intelligendam. Boni enim omnes D. Brutum ceterosque collaudarant, sed non publice gratiæ iis fuerant habitæ, quia reformidabantur Antonius ejusque sicarii.

5. *Hujus ipsius*. Quo tempore enim Antonium a Gallia prohibuit.

6. *Etiamsi careat*. Si quando fieri posset, ut factum illud recens D. Bruti silentio, sicuti præclarissimum quod edidit antea facinus prætermitteretur, tamen vir ille optimus, contentus esset quod bonorum civium memoria semper coleretur. Unde senatus ingratus videretur, si in communi illo omnium animorum consensu conticesceret.

7. *Provinciam Galliam*. Citeriorem sive Cisalpinam.

silio, virtute, incredibilique studio et consensu provinciæ Galliæ, reipublicæ difficillimo tempore esse subventum[8]. Huic tanto merito Bruti, patres conscripti, tantoque in rempublicam beneficio, quis est tantus honos, qui non debeatur? Nam si M. Antonio patuisset Gallia, si oppressis municipiis, et coloniis imparatis, in illam ultimam Galliam[9] penetrare potuisset: quantus reipublicæ terror impenderet? Dubitaret, credo, homo amentissimus atque in omnibus consiliis præceps et devius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariæ[10] bellum inferre nobis: ut ejus furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. Hæc igitur habenda gratia est D. Bruto, qui illum, nondum interposita auctoritate vestra, suo consilio atque judicio, non ut consulem recepit, sed, ut hostem, arcuit Gallia; seque obsideri, quam hanc urbem, maluit. Habeat ergo hujus tanti facti, tamque præclari decreto vestro testimonium sempiternum; Galliaque, quæ semper præsidet atque præsedit huic imperio, libertatique communi, merito vereque[11] laudetur, quod se suasque vires non tradidit, sed opposuit Antonio.

XIV. Atque etiam M. Lepido[1] pro ejus egregiis in

8. *Esse subventum*. Ibi finem habet senatusconsultum, remque orator persequitur.

9. *Ultimam Galliam*. Cui L. Plancus præerat, cujusque populi multo ferociores ac ceteri erant.

10. *Immanitate barbariæ*. Si enim in hanc Galliam penetrare licuisset Antonio, exercitum ex omnibus Gallis remotissimis conscripsisset, quos, quia rudes adhuc et feroces erant, barbaros et immanes vocat orator.

11. *Merito vereque*. Quidam censent scribendum esse *merito jureque*, quia scilicet voces illæ latino magis sermoni congruunt: quos inter Faernus est: quum autem lectio illa nulla sit manuscriptorum auctoritate confirmata, rejiciendam arbitrati sumus. Præterea Manutius, Garatonius, multique alii habent, sicuti scripsimus, *merito vereque*.

XIV. 1. *Atque etiam M. Lepido pro ejus egregiis*, etc. Citerioris Hispaniæ proconsuli, in quam tamen nondum pervenerat; sed in Gallia Narbonensi, cognita reipublicæ perturbatione, morabatur.

rempublicam meritis decernendos honores quam amplissimos censeo. Semper ille populum romanum liberum voluit, maximumque signum illo die dedit voluntatis et judicii sui, quum, Antonio diadema Cæsari[2] imponente, se avertit, gemituque et mœstitia declaravit, quantum haberet odium servitutis; quam populum romanum liberum cuperet; quam illa, quæ tulerat[3], temporum magis necessitate, quam judicio tulisset. Quanta vero is moderatione usus sit in illo tempore civitatis, quod post mortem Cæsaris consequutum est, quis nostrum oblivisci potest? Magna hæc: sed ad majora properat oratio. Quid enim (o dii immortales!) admirabilius omnibus gentibus, quid optatius populo romano accidere potuit, quam, quum bellum civile[4] maximum esset, cujus belli exitum omnes timeremus, sapientia ejus[5] id potius exstingui, quam armis et ferro rem in discrimen adducere? Quod si eadem ratio Cæsaris fuisset, in illo tetro miseroque bello, ut omittam patrem, duos Cn. Pompeii, summi et singularis viri, filios incolumes haberemus[6]; quibus certe pietas[7] fraudi esse non debuit. Utinam omnes M. Lepidus servare potuisset! factu-

2. *Diadema Cæsari*. Factum illud Cicero narravit Phil. II, 34.

3. *Tulerat*. Quum sentiret C. J. Cæsarem summam occupaturum esse potestatem.

4. *Bellum civile*. Quum Sext. Pompeius in Hispaniam contra Cæsaris prætores bellum ageret.

5. *Sapientia ejus*. Mendum hoc esse in loco conjicit Manutius, novaque verba invehit quæ nulli habent MSS. Sic de his agit : « Duas Lepidi virtutes, quæ ferro et armis, quasi contraria contrariis opponuntur, nominari necesse est : una memoratur sapientia, altera deest : quid igitur cum sapientia conjungamus? quid? nisi humanitatem ». Erravisse tamen vir doctissimus videtur, primum quia nulla auctoritate immutatio illa sancitur; deinde quia sæpissime hujus generis in Cicerone multa occurrunt.

6. *Incolumes haberemus*. Perierat enim in Lusitania Cneus a Cæsare ad Mundam victus.

7. *Pietas fraudi esse non debuit*. Quia, ut patrem suum ulciscerentur, bellum in Hispania conflaverunt, resque suas in meliorem statum restituere sunt aggressi.

rum fuisse declaravit in eo, quod potuit; quum Sextum Pompeium restituit[8] civitati, maximum ornamentum reipublicæ, clarissimum monumentum clementiæ suæ. Gravis illa fortuna populi romani, grave fatum. Pompeio enim patre, quod imperii populi romani lumen fuit, exstincto, interfectus est patris simillimus filius. Sed omnia mihi videntur deorum immortalium judicio expiata, Sext. Pompeio reipublicæ conservato.

XV. Quam ob causam justam atque magnam, et quod periculosissimum civile bellum, maximumque, humanitate et sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque convertit, senatusconsultum his verbis censeo perscribendum : Quum a M. Lepido[1], imperatore, pontifice maximo, sæpenumero respublica et bene, et feliciter gesta sit, populusque romanus intellexerit, ei dominatum regium maxime displicere; quumque ejus opera, virtute, consilio, singularique clementia et mansuetudine bellum acerbissimum civile sit restinctum; Sextusque Pompeius, Cnæi filius, Magnus, hujus ordinis auctoritate ab armis discesserit, et a M. Lepido, imperatore, pontifice maximo, summa senatus populique romani voluntate, civitati restitutus sit : senatum populumque romanum pro maximis plurimisque in rempublicam M. Lepidi me-

8. *Sextum Pompeium restituit.* Auctor fuit ut, pace facta, Sext. Pompeius in patriam restitueretur, eique pro paternis bonis a Cæsare ademptis, et ad hastam venditis, darentur, ut ait Appianus lib. III, atticarum drachmarum quinque millia myriades : quæ summa, quum Pompeii Magni divitias nemo ut immensas extulerit, modum excedere videtur.

XV. 1. *A M. Lepido, imperatore, pontifice maximo*, etc. Quos honores senatus tribuerit, ex epistola 27 ad Div. X, colligere licet. Maxima in observantia habuit duces omnes qui a Cæsare fuerant electi : qui vero reipublicæ causam fere omnes postea deseruere. Victorius annotavit se vidisse antiquos libros in quibus Lepidus hoc loco iterum consul appellatur. Quam lectionem nulla auctoritas tuetur; attamen infra Lepidus (Phil. XIII, 4) imperator iterum dicitur. Facillime hoc in loco, quem nunc tractamus, omitti vox illa *iterum* potuit, nec ita multum ad rem referre videtur.

ritis, magnam spem in ejus virtute, auctoritate, felicitate, reponere otii, pacis, concordiæ, libertatis; ejusque in rempublicam meritorum senatum populumque romanum memorem fore, eique statuam equestrem [2] inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro velit, ex hujus ordinis sententia statui placere. Qui honos, patres conscripti, mihi maximus videtur primum, quia justus est; non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur [3] : nec vero cuiquam possumus commemorare hunc honorem a senatu tributum judicio senatus soluto [4] et libero.

XVI. Venio ad C. Cæsarem [1], patres conscripti, qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset? Advolabat ad urbem a Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius. Quid hujus audaciæ et sceleri poterat op-

2. *Eique statuam equestrem inauratam in Rostris*, etc. Quæ quidem ei a senatu est cum præclara inscriptione decreta.

3. *Meritis redditur.* Hic Muret. stellam apposuit corruptionis indicem; in Lambini vero editione stellulæ plures subjiciuntur, relicto unius alteriusve versus spatio. In margine autem legitur forte sic mutandum esse locum: « sed etiam pro amplissimis præmiis redditur ». Si vero ii, qui locum tamquam mutilum impugnaverunt, propius res adspexissent, non in errorem illum se passi essent adduci. Nam vulgata sana est, et omnia satis per se cohærent, ut non opus sit alia verba invehere, quæ sensum omnino mutant.

4. *Judicio senatus soluto.* Tributus quidem erat hic honos L. Sullæ, et C. Cæsari, sed quum summam potestatem obtinerent. Manutius vero decretum fuisse uni Pompeio a libero senatu testatur, hoc Velleii loco fretus, in quo de Cæsare Octaviano agitur. Sic autem est scriptum: « Eum senatus honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita ætatem ejus scripturæ indicat; qui honor non alii per trecentos annos, quam L. Sullæ, et Cn. Pompeio, et C. Cæsari contigerat, proprætore cum consulibus designatis Hirtio et Pansa ».

XVI. 1. *C. Cæsarem.* Octavianum scilicet. Cujus quidem virtutem orator nimiis ornare laudibus videtur, quasi non sentiret, non reipublicæ, sed sui ipsius causa egisse Octavianum. Namque in eo vir ille sapientissimus erravit; ut enim pestem patriæ subverteret et opprimeret omnino, alium impotentis quoque animi ad summam evehebat potestatem, viamque illi ad imperium latam patefaciebat.

poni? nondum ullos duces habebamus, non[2] copias; nullum erat consilium publicum, nulla libertas; dandæ cervices erant crudelitati nefariæ : fugam quærebamus omnes, quæ ipsa exitum non habebat. Quis tum nobis, quis populo romano obtulit hunc divinum adolescentem[3] deus, qui, quum omnia ad perniciem nostram pestifero illi civi paterent[4], subito præter spem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonii opponeret, quam quisquam hoc eum cogitare suspicaretur? Magni honores habiti Cn. Pompeio, quum esset adolescens; et quidem jure; subvenit enim reipublicæ[5] : sed ætate multo robustior[6], et militum ducem quærentium studio paratior[7], et in alio genere belli[8]. Non enim omnibus Sullæ causa grata. Declarat multitudo proscriptorum, tot municipiorum[9] maximæ calamitates. Cæsar autem, annis multis minor, veteranos cupientes jam requiescere, armavit; eam complexus est causam, quæ esset senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis hominibusque[10] gratissima. Et Pompeius ad L. Sullæ

2. *Non copias*. Quæ reipublicæ causam suscipere potuissent, et nobiscum pro ea graviter pugnare.

3. *Divinum adolescentem*. Jam superius tertia quartaque Philipp. Octavianum his laudibus exornavit.

4. *Paterent*. Ernest. malit *parerent*. Frustra. J.V. L.

5. *Subvenit enim reipublicæ*. Quum bellum contra Marianas partes suscepit. Nam Sullæ causam a principio Pompeius est amplexus.

6. *Multo robustior*. Annos natus erat tres et viginti : sic enim historici omnes, præsertimque Velleius, et in Pompeii vita Plutarchus, memoriæ prodiderunt.

7. *Studio paratior*. Exercitum enim facillime conflavit ex voluntariis Piceni militibus. Regio autem illa in clientela patris fuerat, unde factum est, ut, quum belli signum sustulit, quam celerrime omnes ad eum confluxerint.

8. *Genere belli*. Namque ea, quæ gerebat, ab omnibus non probabantur.

9. *Tot municipiorum*. Quæ Marium quondam adjuverant; quibus autem Sulla victor et jus civitatis et agros etiam ademit.

10. *Diis hominibusque*. Conjunguntur cum hominibus dii in re maxime grata, ut in epistola est ad Quintum fratrem : « Vatinium arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus ». Ceterum quidam locum ali-

maximum imperium, victoremque exercitum accessit: Cæsar se ad neminem adjunxit; ipse princeps exercitus faciendi, et præsidii comparandi fuit. Ille in adversariorum partibus agrum Picenum habuit amicum: hic ex Antonii amicis[11], sed amicioribus libertatis, contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sulla regnavit: hujus præsidio Antonii dominatus oppressus est. Demus igitur imperium Cæsari: sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest[12]. Sit pro prætore eo jure, quo qui optimo. Qui honos, quamquam est magnus illi ætati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet.

XVII. Itaque illa quæramus, quæ vix hodierno die consequemur[1]. Sed sæpe, spero, fore hujus adolescentis ornandi honorandique et nobis, et populo romano potestatem: hoc autem tempore ita censeo decernendum. Quod C. Cæsar, Caii filius, pontifex[2], pro prætore[3], summo reipublicæ tempore[4] milites veteranos ad libertatem populi romani cohortatus sit, eosque conscripserit; quodque legio Martia, quarta-

ter legendum putant, et conjiciunt scriptum fuisse: « diis omnibus gratissima ».

11. *Antonii amicis*. Oratorie dictum: nam quarta legio et Martia ostenderunt, quanti Antonium facerent; quum eum quamvis consulem dereliquere.

12. *Geri non potest*. Hoc ita expressum in epist. ad Brutum deprehendimus. Marcus enim Brutus iis honoribus adversabatur, quia Cæsaris filio erant concessi; itaque hæc ad eum, excusandi causa, scribit Cicero: « Decrevi imperium, quod quamquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium ».

XVII. 1. *Hodierno die consequemur*. Ita bene de nobis meritus est Octavianus Cæsar, ut hodierno die vix liceat nobis ea consequi quæ ad honorem et gloriam ejus quærenda sunt et excogitanda.

2. *Pontifex*. Lepidus erat tunc pontifex maximus; sed hic Octavianus pontifex dicitur, tamquam augur, ut fuerat ipsius pater C. J. Cæsar.

3. *Pro prætore*. Ille hoc nomine dicebatur, qui in exercitu extra ordinem imperium exercebat.

4. *Summo reipublicæ tempore*. Intelligendus sic est locus: Quum in maximo periculo versaretur respublica; hoc significant voces illæ, *summum reipublicæ tempus*.

que, summo studio, optimoque in rempublicam consensu, C. Cæsare duce et auctore, rempublicam, libertatem populi romani defendant, defenderint; et quod C. Cæsar, pro prætore, Galliæ provinciæ cum exercitu subsidio profectus sit; equites, sagittarios, elephantos [5] in suam populique romani potestatem redegerit, difficillimoque reipublicæ tempore, saluti dignitatique populi romani subvenerit: ob eas causas senatui placere, C. Cæsarem, Caii filium, pontificem, pro prætore, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere; ejusque rationem, quemcumque magistratum appetet [6], ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor [7] fuisset. Quid est enim, patres conscripti, cur eum non quam primum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus [8] quum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis exspectari non oportere. Itaque majores nostri, veteres illi, admodum antiqui [9], leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent

5. *Elephantos in suam pop. romani potest. redegerit.* Multis mirum omnino visum est, quod de elephantis hoc in loco ageretur, et anxii quæsivere quanam ratione in Antonii exercitu invenirentur. Res autem per se omnino clara, illud paullo attentius perpendentibus, videbitur. Namque ex historia conjicere licet, hos elephantos a Mauris ad Cæsarem dictatorem missos fuisse, quos postea secum adsumpsit Antonius, unaque ad bellum cum exercitu protraxit.

6. *Appetet.* Ernestius dat *appeteret.* J. V. L.

7. *Quæstor.* Ernest. e conjectura F. Ursini, *prætor.* J. V. L.

8. *Legibus enim annalibus.* Quibus definiebatur tempus, quo magistratus inire liceret: latæ fuerant a Villio, cui inde nomen Annalis fuit adscriptum propter leges eas quas tulerat. Quæ omnia Cicero Octaviano irroganda censebat, ea difficillime impetravit; namque contra eum pugnabant, qui Bruto ceterisque Cæsaris interfectoribus favebant.

9. *Admodum antiqui*, etc. Non tempore remotissimi, sed moribus admodum casti et integri.

petitionis inter æquales[10]. Ita sæpe magna indoles virtutis, priusquam reipublicæ prodesse potuisset, exstincta fuit. At vero apud antiquos, Rulli[11], Decii[12], Corvini[13], multique alii; recentiore autem memoria, superior Africanus, T. Flamininus, admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid? Macedo Alexander, quum ab ineunte ætate[14] res maximas gerere cœpisset, nonne tertio et tricesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis[15]. Ex quo judicari potest, virtutis esse, quam ætatis, cursum celeriorem.

XVIII. Nam quod ii, qui Cæsari invident, simulant, se timere, ne verendum[1] quidem est, ut tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus utatur. Ea natura rerum est, patres conscripti, ut, qui sensum veræ gloriæ ceperit, quique se ab senatu, ab equitibus[2], populoque romano universo senserit civem carum[3] haberi

10. *Inter æquales.* Varie locus ille intelligitur; alii, *æquales*, tamquam ejusdem ordinis; alii, tamquam ejusdem ætatis viros habent. Non facile est, qua parte stet, rectum decernere; namque omnino cum ceteris hujus loci partibus quisque sensus congruit.

11. *Rulli.* Q. Fabius Rullus, qui consul quinquies fuit, de Samnitibus Etruscisque triumphavit; avusque fuit illius, qui Hannibalem patientia et cunctatione sua vicit.

12. *Decii.* P. Decius Mus, qui consul quater fuit, et in ultimo consulatu per bellum gallicum se devovit.

13. *Corvini.* M. Valerius, qui sexies consul fuit, primumque consulatum annos natus tres et viginti adeptus est: sæpe triumphavit.

14. *Ineunte ætate.* Ab anno ætatis sextodecimo, quum contra Byzantios pater ejus Philippus est profectus.

15. *Quam consularis.* Gerere consulatum ante quadragesimum et tertium annum per leges non licebat.

XVIII. 1. *Ne verendum.* Non modo sperare debemus, eum nostris elatum honoribus, in potestate senatus populique romani semper mansurum; sed ne vereri quidem licet, ne continere se non possit, aut moderari in imperio a nobis dato.

2. *Equitibus.* Plures edd. habebant post hanc vocem *Romanis*, quam Vaticanus ipse admiserat: sed recte illam Faernus rejecit, quam Naug. Cam. et Gryp. quoque ante illum repulerant.

3. *Carum haberi.* Vatican. et MSS.

salutaremque reipublicæ, nihil cum hac gloria comparandum putet. Utinam C. Cæsari, patri dico, contigisset adolescenti, ut esset senatui atque optimo cuique carissimus! quod quum consequi neglexisset, omnem vim ingenii, quæ summa fuit in illo, in populari levitate consumpsit. Itaque quum respectum[4] ad senatum, et ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Ejus autem filii longissime diversa[5] ratio : qui quum omnibus est, tum optimo cuique carissimus. In hoc spes libertatis posita est[6]; ab hoc accepta jam salus; huic summi honores et exquiruntur, et parati sunt. Cujus igitur singularem prudentiam admiramur, ejus stultitiam timemus? Quid enim stultius, quam inutilem potentiam[7], invidiosas opes, cupiditatem dominandi præcipitem et lubricam anteferre veræ, gravi, solidæ gloriæ? An hoc vidit puer; si ætate processerit, non[8] videbit?

omnes habent *clarum*, sed Ferrarius reposuit *carum*, quam vocem inferiores loci bonam et rectam esse testabantur. Garatonius quoque in editione sua recepit.

4. *Respectum*. Omnes ibi erravisse videntur commentatores, namque sic locum intelligunt : quum non respiceret ad senatum; quem sensum gallicus interpres amplexus est : sed aliquid majus continere nobis videtur vox illa *respectum habere :* his verbis orator indicat, non fuisse Cæsari unde ad bonos et ad senatum confugeret; hoc sensu Livius *respectum habere* adhibuit, tamquam si scripsisset perfugium habere. Sensus autem hic noster cum omnibus quæ antecedunt, et quæ sequuntur, optime congruit.

5. *Longissime diversa*. Plures corruptum hunc esse locum arbitrati sunt, ob vocem illam *longissime*, quæ male sonat cum *diversa ;* sed omnes MSS lectionem hanc tuentur, quæ non ita a latini sermonis elegantia aliena est.

6. *In hoc spes libertatis posita est.* Facile omnibus apparet quam graviter erraverit Cicero, quum talia de adolescente ad senatum prædicaret. Non sensit, odio in Antonium obcæcatus, se illa agendi ratione, rempublicam et libertatem omnino pessumdare; quum cervicibus populi romani juvenem audacissimum imponeret.

7. *Inutilem potentiam*. Qua non indiget, quum suis virtutibus summam sortitus sit auctoritatem, et apud patres et apud populum romanum.

8. *Si ætate processerit, non videbit?* Immo quum erit ætate provectus, tantam potestatem a senatu concessam in libertatem convertet; et

At est quibusdam[9] inimicus clarissimis atque optimis civibus. Nullus iste timor esse debet. Omnes Cæsar inimicitias reipublicæ condonavit; hanc sibi judicem constituit, hanc moderatricem omnium factorum. Ita enim ad rempublicam accessit, ut eam confirmaret, non ut everteret. Omnes habeo cognitos sensus adolescentis. Nihil est illi republica carius, nihil vestra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum judicio optatius, nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed majora et meliora exspectare debetis; neque, in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quæ plus apud eum possit, quam salus civitatis. Audebo etiam obligare fidem meam, patres conscripti, vobis, populoque romano; quod profecto, quum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerem que in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo[10], patres conscripti, C. Cæsarem, talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse, velle et optare debemus. Quæ quum ita sint, de Cæsare satis hoc tempore dictum habebo.

XIX. Nec vero de L. Egnatuleio, fortissimo et constantissimo cive, amicissimoque reipublicæ, silendum arbitror; sed tribuendum testimonium virtutis egregiæ, quod is legionem quartam ad Cæsarem adduxe-

vir sententiam immutabit, quam puer juvenili ardore amplexus erat.

9. *Quibusdam...clarissimis*. Patris sui interfectoribus.

10. *Spondeo*. Expressit ab oratore verba illa, vel odium in Antonium, vel studium erga rempublicam: promittere autem de altero, præsertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cujus prudentiæ fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit: hæc enim ad M. Brutum scripsit: « Maximo, quum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod, quum me pro adolescente, ac pæne puero respublica accepisset, vadem, vix videbar quod promiseram præstare posse ».

rit, quæ præsidio[1] consulibus, senatui, populoque romano, reique publicæ esset: ob eam causam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. In quo, patres conscripti, non tam commodum tribuitur L. Egnatuleio, quam honos[2]. In tali enim re satis est nominari.

De exercitu autem C. Cæsaris ita censeo decernendum: Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæsaris, pontificis, auctoritatemque hujus ordinis defenderint, atque defendant, iis liberisque eorum militiæ vacationem esse; utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, S. E. V.[3] cognoscerent, qui ager iis coloniis[4] esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Juliam possideretur[5], ut is militibus veteranis divideretur[6]; de agro Campano separatim cognoscerent, inirentque rationem de commodis militum veteranorum augendis: legionique Martiæ, et legioni quartæ, et iis militibus, qui de legione secunda quinta, tricesima, ad C. Pansam, A. Hirtium, consules, venissent[7], suaque nomina dedissent, quod

XIX. 1. *Quæ præsidio.* Quum Antonii impetus nefarios refrenaret.

2. *Quam honos.* Nam illi honorificum est in senatusconsulto nominari; quum autem nullus hoc edicto magistratus ei donetur, nihil nisi honorem a nobis est sortitus.

3. *Ambove, S. E. V.* Quidam commentatores, qui ignorabant quidnam literæ illæ *S. E. V.* significarent, locum multis modis contorsere. Legendum esse putabant *seu*, quum autem verbum illud cum ceteris non congrueret, nova inserebant quæ nullo modo sensus postulabat. Nam positæ sunt tres illæ literæ pro iis verbis, « si eis videretur »; locusque ita minime est obscurus.

4. *Iis coloniis esset.* Quidam scribebant: « qui ager colonus esset »; sed mendose.

5. *Possideretur.* Ab iis, quibus contra leges Antonius dedisset.

6. *Divideretur.* Quum pulsi essent qui non recte possidebant. — *Agro Campano.* Quem Antonius comprausoribus ac collusoribus suis diviserat.

7. *Venissent.* Secunda et tricesima quinta cum Antonio remanserant, sed quidam ex his legionibus milites ad Hirtium Pansamque venerant. Sic locum illum intellexere Manutius multi-

iis auctoritas senatus populique romani libertas carissima sit, et fuerit, vacationem militiæ ipsis liberisque eorum esse placere, extra tumultum Gallicum Italicumque[8]; easque legiones, bello confecto, missas fieri placere; quantamque pecuniam militibus earum legionum in singulos C. Cæsar, pontifex, proprætor, pollicitus sit, tantam dari placere: utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, S. E. V. rationem agri habeant, qui sine injuria privatorum dividi possit; isque[9] militibus legionis Martiæ et legionis quartæ ita daretur, assignaretur, ut quibus militibus amplissime dati, assignati essent.

Dixi ad ea omnia, consules, de quibus retulistis: quæ si erunt sine mora matureque decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus et necessitas flagitat[10]. Celeritate autem opus est; qua si essemus usi, bellum, ut sæpe dixi, nullum haberemus.

que commentatores. Ferrarius autem sensum illum impugnat: de iis hic agi censet, non qui ad consules venere, sed venturi sunt: nam cap. 12 superius dixit Cicero, impunitatem iis offerri, qui in exercitu Antonii sunt, si ante kalend. febr. ab eo discesserint: nunc eos orator præmiis etiam allicit, ut Antonii partes derelinquant. Manutii autem ceterorumque, qui locum sicut ille intelligunt, sensus potior videtur; namque facillime fieri potuit, ut quidam ex militibus licet legiones apud Antonium manerent, ad consules aufugerent.

8. *Extra tumultum Gallicum Italicumque*. Nulla his in bellis vacatio militiæ erat. Vide orationem pro Fonteio, cap. 19.

9. *Isque*. Sic Ferrarius. Vulgo, *iisque*. J. V. L.

10. *Flagitat*. Postulat autem res, ut delectus habeatur, copiæque ad Mutinam obsidione liberandam, Antoniumque opprimendum, primo quoque tempore deducantur.

M. TULLII CICERONIS
IN M. ANTONIUM
PHILIPPICA SEXTA

ARGUMENTUM.

Post quintam Philippicam in senatu habitam kal. jan. anno Urbis 710, patres conscripti honores et præmia, quæ ducibus et exercitibus danda Cicero postulaverat, concessere. Quin immo quamvis, quidquid pro Cæsare Octaviano expetiverat orator, esset maximum, quidam senatores non satis esse rati, præstantiora etiam exquisivere. Philippus, ut statua erigeretur, auctor fuit; Serviusque Sulpitius ac Servilius petebant, uti paterent Cæsari magistratus omnes, citius etiam quam Cicero postularat.

Quod autem inter se senatores de legatis ad Antonium mittendis disceptavere, multo fuit longius et acrius inter variarum partium fautores agitatum. Consules, qui pacem malebant, quum viderent multos senatores in Ciceronis sententiam ituros, rem ad noctem usque transtulere. Crastina die res iterum agitata fuit, et ad noctem usque concio quoque habita est. Tandem tertia die senatusconsultum ex Ciceronis sententia scripturi erant, quum Salvius tribunus obstitit. Tam longa Antonii amicorum pertinacia moti senatores legatos mittendos decrevere. Pridie nonas hæc habita sunt; Ciceroque tribus legatis conditiones a senatu impositas, vel potius senatus mandata erat traditurus. Quæ autem fuerint jussa illa, oratio docet.

Tam graviter disceptata res populum perculit, et omnes ad forum coiere, ut audirent quidnam novi fuisset a senatu decretum: quumque Ciceronis nomen proclamarent, eum communi voce ac consensu ad Rostra quodammodo protraxere. Apuleius plebis tribunus ad concionem perduxit; et coram populo orator sextam egit Philippicam.

Ut omnia ordine narret, ea commemorat quæ, ipso suadente, jam antea senatus decrevit. Deinde exponit quæ fuerit ipsius sententia, in concione kal. jan. habita, et quanam ratione, postquam per tres dies valuisset, neglecta tandem fuerit et abolita. Quamvis quæ senatus decreverit de legatis non probet, tamen indicat id non adeo esse dissolutum. Coram populo prædicat, Antonium non legatis crediturum justa renuntiantibus, tempusque sic consumptum iri quam pretiosissimum. Cives ad saga

capienda excitat, quia certe ea capere cogentur. Postquam acriter satis in Antonii fratrem, ac præcipuos partium ejus fautores invectus est, nuntiat se libertatis defensores antecessurum, plus quam possit ad hanc causam se collaturum pollicetur; studium illud, quo omnes in Antonium invehuntur, probat maximisque ornat laudibus. Hortatur simul ut diu in hac sententia maneant, si libertatem tueri ac ceteris imperare gentibus cupiant.

Sexta hæc Philippica in foro habita est IV kal. jan. anno Urbis 710.

ALIUD ARGUMENTUM.

Proxima superior oratio kalendis jan. habita est : quo die nihil senatus decrevit : satis tamen ejus voluntas de Antonio hoste judicando, quod Cicero censuerat, perspicua fuit : postridie, ne discessio fieret, quæ si facta esset, Ciceronis in sententiam senatores multis partibus plures ituri videbantur, intercessit Salvius trib. pl. De honoribus tamen Cæsaris, deque statua (1) in Rostris ei ponenda, quod censuisse L. Philippum scripsit Cicero ad M. Brutum ; et ut sententiam consulari loco (2) diceret, quum de prætorio loco Cicero suasisset ; consulatumque decem annis ante, quam per leges liceret, petere posset ; quod P. Servilio placuisse (3), ad eumdem Brutum Cicero scripsit ; utique cum Pansa et Hirtio coss. bellum Antonio inferret, nisi ex Gallia discederet ; et simul de laude D. Bruto tribuenda, quia privato consilio, exercitu comparato, Antonium Gallia prohibuisset, SC. esse factum, Appianus et Dio prodiderunt. Iidem, post diem ter-

(1) *Deque statua.* Conf. Fabricium ad Dion. Cass. XLVI, 9. GARATON.

(2) *Consulari loco.* Nimium Appiano credidisse Manutius videtur. Nam cui prætorium imperium dabatur, ei non consularis, sed prætorius dicendæ sententiæ locus æque decernebatur ; ut magnus hic quidem, ille autem plane immodicus honos existimari debeat. Quin etiam rectius a Dione, XLVI, 41, traditur, postquam pugnatum ad Mutinam fuit, tum demum consularem illum locum fuisse Octaviano decretum. Hæc res, opinor, decepit Appianum : quod factum acceperat, alienum in tempus contulit ; quo sæpe vitio laborat. Nihil Tullii sententiæ hac in re additum censuit etiam Sigonius ad Epitom. Livii CXVIII. IDEM.

(3) *P. Servilio placuisse.* Locus Epist. ad Brut. 15 hic est : « Statuam Philippus decrevit : celeritatem petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius ». Ibi adnotat Manut. opinari se, decrevisse Servium, ut tamquam quæstorius petere posset Octavius, Servilium, ut tamquam prætorius. Quum consularis annus esset XLIII, quæstorius XXXI, anni autem sint Octavio computandi a superiore proximo, id est, a XIX, consequitur, Servium in ea Manut. sententia, et ipsum Tullium, V, 18, petitionem XII annis celeriorem Octavio decrevisse. Quid ergo nunc vir doctissimus decennium illud Appiani, quod etiam Dioni, XLVI, 29, Cl. Reimar. ex MS restituit, Servilio adscribit, quasi Cicero minus Octavio remiserit ? Quod si Servilius Octavii petitionem, tam-

tium, qui fuit III non. jan. decretos esse ad Antonium legatos, confirmant: mihi tamen, pridie non. potius decretos esse, conjectura oritur ex eo, quia suam sententiam per triduum valuisse Cicero dicit: quod si ita est, quarto mensis die SC. illud esse factum cogimur credere. Venit igitur pridie non senatu dimisso, in concionem Cicero, productus ab Apuleio tribuno pl. et senatus voluntatem de mittendis legatis exposuit: de qua legatione quid ipse sentiat, et quid auguretur, hac oratione multis verbis ostendit. Clausula postremo utitur ea, qua solet, ut et suum omne studium, consilium, laborem in tuenda rep. polliceatur; et populum romanum ad servitutem repellendam, libertatemque retinendam cohortetur. P. MANUT.

quam prætorii, esse voluerit, annos XXI remisisset, quum XL prætura gereretur. Hoc vero decretum non fuisse, credendum Appiano est, atque Dioni; qui adeo τὰς ἄλλας ἀρχὰς, *reliquos magistratus*, non dixisset, opinor, si unus reliquus fuerit consulatus: nam censuræ non erat ordinaria petitio. Quidquid Ser. Sulpitius et P. Servilius censuerint, a Tullii sententia discessum non videtur. Ab eo sic Dion Appianusque dissentiunt, ut minus Octavio tribuant, ac proinde significent, ipsum hac in re senatusconsultum non dissensisse. Neque enim detractum aliquid, sed potius additum fuisset: « Nihil, ut ait Cic. Ep. 15 ad Brut. tum nimium videbatur ». Non est autem numerus apud Græcos accuratus, quia in senatusconsulto is non erat expressus; nec raro ejusmodi calculi reperiuntur, qui paullulum a veritate deflectunt. GARATON.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA SEXTA.

ORATIO OCTAVA ET QUADRAGESIMA.

I. Audita vobis[1] esse arbitror, Quirites, quæ sint acta in senatu, quæ fuerit cujusque sententia. Res enim ex kal. jan. agitata[2], paullo ante confecta est: minus quidem illa severe, quam decuit, non tamen omnino dissolute. Mora est allata[3] bello, non causa sublata[4]. Quamobrem, quod quæsivit a me Apuleius[5], homo et multis officiis mihi, et summa familiaritate conjunctus, et vobis amicissimus, ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. Causa

I. 1. *Audita vobis.* Manutius contendit, populum audiisse, apertis loci valvis, in quo senatus habebatur, quidquid a patribus actum fuisset. Sed non hic optimus est sensus; nam orator intelligit rumore ac fama per populum manavisse quæ fuerit cujusque senatoris sententia.

2. *Res enim ex kal. jan. agitata.* Vividissime rem per tres dies senatus disceptavit, quum Antonii fautores Ciceroni obsisterent.

3. *Mora est allata.* Viginti scilicet dierum. Namque tempus illud necessarium erat legatis, ut Mutinam peterent, et inde Romam reverterentur.

4. *Causa sublata.* Ita decretum est ut bellum tantummodo sit dilatum, non autem confectum; namque Antonius non morem geret legatis justa a senatu mandata renuntiantibus; et inde fiet, ut inutili mora allata arma capessere populus cogatur.

5. *Apuleius.* Tribunus plebis qui Ciceronem ad Rostra perduxit, et quo, tamquam interprete, populus fuerat usus, ut quidquid actum esset, plane intelligeret.

fortissimis optimisque consulibus kalendis januar. de republica primum referendi fuit ex eo, quod XIII kalendas jan. senatus, me auctore, decrevit[6]. Eo die primum, Quirites, fundamenta jacta sunt reipublicæ. Fuit enim longo intervallo ita liber senatus, ut vos aliquando liberi essetis. Quo quidem tempore, etiamsi ille dies vitæ finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam fructum, quum vos universi, una mente atque voce, iterum[7] a me conservatam esse rempublicam conclamastis. Hoc vestro judicio tanto, tamque præclaro, excitatus, ita kalendis jan. veni in senatum, ut meminissem, quam personam impositam a vobis sustinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipublicæ quum viderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi; hominemque audacissimum, qui, multis nefariis rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum; tumultum[8] esse decerni, justitium edici[9], saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas reipublicæ injurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. Itaque hæc sententia, Quirites, sic per triduum[10] valuit, ut, quamquam dis-

6. *Decrevit.* Quum omnia, quæ senatus auctore Cicerone decrevit, in tertia quartaque Philippica occurrant, non inutilem ea rursus commemorandi laborem suscipere æquum censuimus.

7. *Iterum.* Conservaverat jam antea, quum nefaria Catilinæ consilia patefecit, atque oppressit.—*Conclamastis.* Quum quartam Philippicam egit, clamoribus suis ac plausibus testatus est populus, quantam se Ciceroni gratiam debere confiteretur.

8. *Tumultum esse.* Ernestius delet *esse*. J. V. L.

9. *Justitium edici.* Quum in Philippica quinta scriptum sit *indici justitium*, quidam verbum hoc pro *edici* hic reposuere, sed nulla manuscriptorum auctoritate freti.

10. *Sic per triduum valuit, ut, quamquam*, etc. Per tres dies usque ad noctem habitus est senatus, acriterque ibi de his rebus inter patres disceptatum est.

cessio[11] facta non esset, tamen, præter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. Hodierno autem die, nescio qua objecta re[12], remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam sequuti sunt, ut, quantum senatus auctoritas, vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.

II. Intelligo, Quirites[1], a vobis hanc sententiam repudiari: neque injuria. Ad quem enim legatos? ad eumne[2], qui pecunia publica dissipata atque effusa, per vim et contra auspicia[3] impositis populo romano legibus, fugata concione, obsesso senatu, ad opprimendam rempublicam Brundisio legiones arcessierit? ab his relictus, cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumsedeat? Quæ vobis potest cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis esse communitas? Quamquam, Quirites[4], non est illa legatio, sed denuntiatio belli, nisi paruerit. Ita enim est decretum, ut si legati ad Hannibalem mitterentur. Mittuntur enim, qui nuntient, ne oppugnet consulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur, ne delectus habeat[5], sit in senatus populique romani potestate.

11. *Discessio.* Quamquam non res fuisset constituta; discedere dicebantur senatores quum in duas se partes scindebant, inde demonstraturi cujusnam sententiam amplecterentur.

12. *Qua objecta re.* Si Appiano credendum, per noctem Antonii mater, atque uxor, et liberi etiam, cum amicis senatores deprecatum iverant, ne quid in eum gravius statueretur.

II. 1. *Intelligo, Quirites.* Declaravere Quirites voce sua, quam acriter sententiam illam detestarentur. In illa, quam nunc tractamus, Philippica, sicuti in quarta, subsistit interdum orator, ut populus quid sentiat, possit explicare.

2. *Ad eumne.* Rursus omnia coram populo repetit, quæ in senatu contra Antonium jactitaverat.

3. *Contra auspicia.* Supra vidimus quanam ratione leges suas, fulgura inter ac tonitrua, populo imposuerit.

4. *Quamquam, Quirites.* Festinat orator exponere populo, qua mente legati ad Antonium sint profecti.

5. *Ne delectus habeat.* Muret. ibi, ut in omnibus locis quibus vox delectus occurrit, legendum *dilectus* arbitratur. Jejune nimis ac breviter Dion,

Facile vero huic denuntiationi parebit, ut in patrum conscriptorum, atque in vestra potestate sit, qui in sua numquam fuerit? Quid enim ille umquam arbitrio suo fecit, semper eo tractus, quo libido rapuit, quo levitas, quo furor, quo vinolentia? Semper eum duo dissimilia[6] genera tenuerunt, lenonum et latronum : ita domesticis stupris, forensibus parricidiis delectatur, ut mulieri citius avarissimæ[7] paruerit, quam senatui populoque romano.

III. Itaque, quod paullo ante feci in senatu, faciam apud vos. Testificor, denuntio, ante prædico[1], nihil M. Antonium eorum, quæ sunt legatis mandata, facturum; vastaturum agros, Mutinam obsessurum, delectus, qua possit, habiturum. Is est enim ille, qui semper senatus judicium et auctoritatem, semper voluntatem vestram potestatemque contempserit. An ille id faciat, quod paullo ante decretum est, ut exercitum citra flumen Rubiconem[2], qui finis est Galliæ, educeret, dum ne propius urbem Romam CC mill. ad-

XLVI, 29, hæc legatis tantum mandata scribit, ut Antonium juberent Gallia relicta in Macedoniam proficisci, ejusque milites domum discedere. Immo hæc ipsa falso prodita dixeris, si hunc locum et alterum Phil. VII, 9, attente consideres. Cui enim delectus interdicitur, qui exercitum jubetur intra Rubiconem, et millia passuum ab Urbe cc continere, ejusne milites exauctorantur? aut is in Macedoniam mittitur? Dioni quoque repugnant ea quæ Phil. VII, 1, ab amicis Antonii jactitari ac prædicari dicuntur.

6. *Dissimilia genera*. Alii scripsere *dissimillima*.

7. *Avarissimæ*. Uxori ejus; quum ea domi rerum omnium quasi mercatum instituerit, invito senatu populoque romano. Quod quidem Cicero sæpissime jam suis in Philippicis revocavit.

III. 1. *Denuntio*, *ante prædico*. Multi verborum redundantiam ibi deprehenderunt, itaque locum sic scribendum arbitrabantur : « denuntio ante, prædico »; namque verba illa mutuo sibi officiunt *ante* et *prædico*, si in unum fuerint conjuncta.

2. *Flumen Rubiconem*. Rubicone quidem a Galliæ parte, ducentis millibus ab adverso circumscribebatur Antonius, ut exiguum plane ei longitudinis spatium relinqueretur, sed latitudine tanta, quanta est a supero mari ad inferum. Similis fuerat relegationis forma quam L. Lamiæ Gabinius consul edixit, pro Sext. 12 : «Ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta».

moveret? huic denuntiationi ille pareat? ille se fluvio Rubicone CC mill. circumscriptum esse patiatur? Non is est Antonius. Nam si esset, non commisisset, ut ei senatus, tamquam Hannibali initio belli Punici, denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum. Quod vero ita avocatur a Mutina, ut ab urbe, tamquam pestifera flamma, arceatur, quam habet ignominiam? quod judicium senatus? Quid? quod a senatu dantur mandata legatis[3], ut D. Brutum, militesque ejus adeant, iisque demonstrent, summa[4] in rempublicam merita, beneficiaque eorum grata esse senatui populoque romano, iisque[5] eam rem magnæ laudi, magnoque honori fore: passurumne censetis Antonium, introire Mutinam legatos? exire inde tuto? Numquam patietur, mihi credite. Novi violentiam[6], novi impudentiam, novi audaciam. Nec vero de illo, sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua, cogitare.

Quæ quum ita sint, non omnino dissolutum[7] est, quod decrevit senatus. Habet atrocitatis aliquid[8] legatio: utinam nihil haberet moræ! Nam quum plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiæ colli-

3. *Legatis.* L. Piso, L. Philippus, Serviusque Sulpitius ad Antonium missi a senatu fuerant, consulares autem erant.

4. *Summa in rempublicam.* Al. *sua in republica.* J. V. L.

5. *Iisque.* Al. *ejusque.* J. V. L.

6. *Novi violentiam.* Faern. ex cod. Vatic. et alii complures *vinolentiam*: non recta est hæc lectio; namque si Antonius non passurus est legatos introire Mutinam, non hoc vinolentia, sed violentia quidem sua faciet. Miror quod cod. Barber. et edd. Rom. et Ven. ediderint quoque *vinolentiam*; namque vox illa omnino est rejicienda, quum inferius orator Antonium belluæ nomine appellet.

7. *Non omnino dissolutum.* Quod decrevit senatus, non est omnino robore ac viribus carens.

8. *Habet atrocitatis aliquid.* Legatorum mandata sunt quodammodo atrocia, id est, severa; namque Antonio bellum minitantur, ni subito paruerit.

gendæ: horam exhibere nullam[9], in tali cive liberando, sine scelere non possumus. An ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonii provinciam judicasset, legiones Antonio et provinciam tradere? domum redire? triumphare[10]? primus in hoc[11] ordine, quoad magistratum[12] iniret, sententiam dicere[13]? quid negotii fuit? Sed, quum se Brutum esse meminisset, vestræque libertati natum, non otio suo[14]; quid egit aliud, nisi ut pæne corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc[15] utrum legatos, an legiones ire oportebat? Sed præterita omittamus. Properent legati[16], quod video esse facturos: vos saga parate. Est enim ita decretum, ut, si ille auctoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. Ibitur. Non parebit; nos amissos tot dies rei gerendæ queremur.

IV. Non metuo, Quirites, ne, quum audierit Antonius, me hoc in senatu et in concione confirmasse, numquam illum futurum in senatus potestate, refellendi mei causa, ut ego nihil vidisse videar, vertat se, senatui pareat. Numquam faciet; non invidebit huic meæ gloriæ; malet, me sapientem a vobis, quam se modestum existimari. Quid? ipse si velit, num etiam L. fratrem passurum arbitramur? Nuper quidem di-

9. *Horam exhibere nullam.* Multi varie locum illum subobscurum scribunt; sensus est: non possumus horam unam vanis impendere rebus.

10. *Triumphare?* Quod Alpium incolas vicisset: narrantur ea ad Divers. XI, cap. 4.

11. *In hoc ordine.* Al. exhibent *ordine esse.* J. V. L.

12. *Magistratum.* Consulatum quem anno sequente erat gesturus. Vidimus supra consules designatos semper sententiam rogari primos.

13. *Dicere? quid negotii fuit?* Al. *Dicere, quid n. f.* J. V. L.

14. *Non otio suo.* Quæ verba ex solo Vaticano a Faerno primum edita fuere, quum ea omnes ante hoc tempus edd. ignorarent.

15. *Ad hunc.* Rursus de Antonio agit; sed ita constitutus est locus, ut vox illa *hunc* ad Brutum pertinere videatur.

16. *Legati.* Sed quantumvis properent, viginti dierum spatio ad munus suum perficiendum indigent.

citur ad Tibur[1], ut opinor, quum ei labare M. Antonius videretur, mortem fratri[2] esse minitatus. Etiamne ab hoc mirmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? Nec enim secerni a fratre poterit, tanta præsertim auctoritate. Nam hic inter illos Africanus est; pluris habetur, quam L.[3] Trebellius; pluris, quam T. Plancus[4], adolescens nobilis. Plancum[5], qui omnibus sententiis, maximo vestro plausu, condemnatus, nescio quomodo se conjecit in[6] turbam, atque ita mœstus rediit, ut retractus, non reversus videretur, sic contemnit, tamquam si illi aqua et igni interdictum sit[7]; aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde jam diligit; oderat tum, quum ille tabulis novis[8] adversabatur: jam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. Audisse enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuistis, quotidie sponsores et creditores L. Trebellii convenire. O fides[9]! hinc enim puto Tre-

IV. 1. *Ad Tibur.* Indicare videtur Tiburtinum Scipionis: M. Antonius IV kalend. decemb. anni superioris, vel postero die summa festinatione exivit Urbe paludatus: tum agmen quod secum habebat traduxisse Tibur, ibique paullisper commoratum esse illum narrat Appianus. Confluxit eo pars, inquit, senatus et equestris ordinis maxima: eorumque hominum incredibilem adulationem describit. Sed multo aliter apud Tullium Phil. XIII, 9, omnia illa narrantur.

2. *Fratri.* Hoc est, M. Antonio, qui videbatur paullo in consiliis et in agendo remissior.

3. *L. Trebellius.* Qui tribunus plebis ferenti legem de tabulis novis tribuno plebis Dolabellæ obstitit.

4. *Quam T. Plancus.* Bursa, frater L. Planci consulis designati. Eum de vi ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeia damnatum Cæsar dictator restituit: inimicissimus fuit Ciceroni, ut deprehendere ex Epist. ad Div. VII, 2 licet.

5. *Plancum.* Abest *Plancum.* Dat Vatic. MS. J. V. L.

6. *Conjecit in turbam.* Romam redeuntium victore Cæsare.

7. *Interdictum sit.* Tamquam si exsul sit, ejusque restitutio rata esse non debeat.

8. *Tabulis novis*, etc. Quo tempore propter magnitudinem æris alieni tabulas novas ipse quoque Antonius expetebat.

9. *O fides!* An fidem servat Tre-

bellium sumpsisse cognomen : quæ potest esse major fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienum ire ad arma [10]? Ubi plausus ille in triumpho [11] est? sæpe ludis [12]? Ubi ædilitas [13] delata summo studio bonorum? quis est, qui hunc non casu [14] existimet recte fecisse? Nequitia est, scelus est.

V. Sed redeo ad amores deliciasque nostras, L. Antonium, qui vos omnes in fidem suam recepit. Negatis [1] ? Num quisnam [2] est vestrum, qui tribum non habeat? Certe nemo. Atqui illum quinque et triginta tribus patronum adoptarunt. Rursus reclamatis? Adspicite a sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? QUINQUE ET TRIGINTA TRIBUS PATRONO [3]. Populi romani igitur est patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem! Clamori enim vestro assentior. Non modo hic latro; quem clientem habere nemo velit: sed quis umquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi romani, victoris dominique omnium gentium, tutorem [4] dicere au-

bellius, quum tamen a fide cognomen deduxerit. Quodnam vero fuerit hoc Trebellii cognomen nusquam inventum. — *Hinc.* Multi conjiciunt *hoc.* J. V. L.

10. *Ire ad arma?* Al. exhibent *venire ad arma.* J. V. L.

11. *In triumpho.* Non ipse triumphavit Trebellius, sed quum triumphantem honoris causa persequeretur, ei populus tamquam civi optimo plausum dederat.

12. *Sæpe ludis?* Probos cives populus ingredientes in theatrum plausu, improbos autem sibilo excipere solitus erat.

13. *Ædilitas.* Gradum honoris Trebellius supra ædilitatem non adscenderat; nominatur enim in eo quod summum fuit.

14. *Non casu.* Qui enim consilio, non casu, recte facit, is non immutatus, sed sui semper similis est. Vide ad Div. V, 2, ubi aliquid hoc in genere est expressum.

V. 1. *Negatis.* Clamorem populus romanus sustulit, odii sui erga Antonium indicem.

2. *Quisnam.* Al. *quispiam.* J. V. L.

3. *Patrono.* Manutius ibi nomen L. Antonii desiderat: sed fieri potuit, ut non eodem loco ac verba illa fuerit impressum, ita ut supervacaneum esset rursus de eo mentionem habere.

4. *Tutorem.* Liber Vatic. *patronum.* J. V. L. — *Q. Tremuli, qui Hernicos devicit*, etc. Non recte quidam, *Q. Tremellii:* est hic enim Q. Marcius Tremulus, cujus nomen non dubiis literis in Capitolio ita scriptum legitur.

deret? In foro L. Antonii statuam videmus: sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem? tantumne sibi sumpsit, quia Mylasis mirmillo Threcem [5] jugulavit, familiarem suum? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus vobis, depugnasset? Sed hæc una statua. Altera ab equitibus romanis, equo [6] publico: qui item adscribunt, PATRONO. Quem umquam iste ordo patronum adoptavit? Si quemquam, debuit me. Sed me omitto. Quem censorem? quem imperatorem? Agrum his divisit. O sordidos, qui acceperint [7]! improbum, qui dederit! Statuerunt etiam tribuni militares, qui in exercitibus Cæsaris duobus [8] fuerunt. Quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos. His quoque divisit Semurium [9]. Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset.

5. *Quia Mylasis mirmillo Threcem jugulavit, famil. suum.* Quod jam in tertia, quintaque Philippica quum narravisset, in septima etiam rursus commemorabit.

6. *Equo publico.* Paullo obscura sunt verba illa, *equo publico;* reposuimus quid de his viri docti censuerint. Equestris ordo, ait Manutius, constabat ex iis, qui, equo publico, id est, publice dato, mererent. Dabat autem censor, ut ex Liv. lib. XXXIX perspicuum fit. Hi equites romani soli vocabantur, et his census præfinitus erat cccc millia: quæ nisi possiderent, ordinem et ornamenta equitum romanorum propria amittebant: qui vero mererent equo suo, non publico, ii non erant equestris ordinis, nec in centuriis equitum ad comitia centuriata coibant, nec equites romani, sed equites tantum dicebantur. Nunc vero Garatonium audiamus: «Equites romanos omnes equum publicum habuisse contendunt Manutius, Sigoniusque ac Grævius, quod si ita est, cur additur equo publico? Sive enim alii cives romani proprio equo meruerint, sive numquam ita meruerint, ut Grævii fert opinio, inutiliter titulis hoc esset inscriptum quod erat commune decus equestris ordinis. Vide itaque num verior sit sententia Ferrarii multo plures equites romanos fuisse censu quam equo publico.

7. *Qui acceperint.* Al. *qui acceperunt.* J. V. L.

8. *Cæsaris duobus.* Ferrarius primus locum hunc, sicuti nunc est, restituit: duo autem exercitus Cæsaris ii fuere, quorum priore Cæsar bello Gallico, altero autem civilibus in discordiis usus est. Tribuni militares, ut narrat Polybius, singulis in legionibus quatuor erant.

9. *Semurium.* Vicinus Romæ fuit ille ager. Cum Ferrario Manutius *Remuriam* legi malebat.

Sed hæc agrorum assignatio paullo ante, Quirites, L. Cæsaris, clarissimi viri, et præstantissimi senatoris, sententia dissoluta est. Huic enim assensi, septemvirum acta sustulimus [10]. Jacent beneficia Nuculæ [11]; friget patronus Antonius. Nam possessores animo æquiore discedent: nullam impensam fecerunt [12]; nondum instruxerunt [13], partim quia non confidebant, partim quia non habebant [14]. Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. ANTONIO JANI MEDII [15] PATRONO. Itane? Janus medius in L. Antonii clientela sit? Quis umquam in illo Jano inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?

VI. Sed nimis multa de nugis; ad causam bellumque redeamus: quamquam non alienum fuit [1], personas quasdam a vobis recognosci; ut, quibuscum bellum gereretur, possetis [2] taciti cogitare [3].

Ego autem vos hortor, Quirites, ut, etiamsi melius aliud fuit [4], tamen legatorum reditum exspectetis animo æquo. Celeritas detracta de causa est; boni tamen aliquid accessit ad causam. Quum enim legati renuntiarint, quod certe renuntiabunt, non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium: quis erit

10. *Acta sustulimus.* Rati scilicet legem illam Antonii de agris dividendis latam, contra jus populo fuisse impositam.

11. *Nuculæ.* Divisor fuit agrorum: de illo sic Philip. XI: « Duos collegas Antoniorum et Dolabellæ Nuculam et Lentonem, etc. »

12. *Fecerunt.* Al. *fecerant.* J. V. L.

13. *Instruxerunt.* Al. codd. dant *instruxerant.* J. V. L.

14. *Non habebant.* Unde impensas facerent: ut homines egestate perditi, qui latronum more in diem viverent.

15. *Jani medii.* Vicus erat Jani nomine a propinquo Jani templo sic dictus, quo fœneratores coire consueverant.

VI. 1. *Non alienum fuit.* A materia quam tractamus.

2. *Possetis.* Al. *possitis.* J. V. L.

3. *Cogitare.* Al. edd. exhibent *judicare*, quasi e cod. Vaticano. Sed errabant. J. V. L.

4. *Melius aliud fuit.* Multo melius reipublicæ fuisset bellum statim indicere, ac parare omnia, quibus opprimi posset Antonii effrenata violentia.

tam improbus civis, qui illum civem habendum putet? Nunc enim sunt, pauci illi quidem, sed tamen plures, quam republica dignum est, qui ita loquantur: Ne legatos quidem exspectabimus[5]? Istam certe vocem, simulationemque clementiæ, extorquebit iis res ipsa publica. Quo etiam[6], ut confitear vobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboravi, ut mihi senatus assentiens tumultum decerneret, saga sumi juberet. Malui viginti diebus[7] post sententiam meam laudari ab omnibus, quam a paucis hodie vituperari. Quapropter, Quirites, exspectate legatorum reditum, et paucorum dierum molestiam devorate. Qui quum redierint, si pacem afferent; cupidum[8] me: si bellum; providum judicatote. An ego non provideam meis civibus? non dies noctesque de vestra libertate, de reipublicæ salute cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se[9] ortum, hominibus nobilissimis, omnibus honoribus, prætulistis? An ingratus sum? Quis minus? qui, partis ho-

5. *Exspectabimus*. Fuerat illa nonnullorum in senatu patrum sententia, qui prohibebant, ne Antonius inauditus condemnaretur. Nunc vero nihil excusationis habebunt, si quid in Antonium immorentur: namque ex Antonii ad legatos responso, bellum erumpet, aut pax erit stabilita.

6. *Quo etiam*. Hoc consilio, scilicet quia exspectare malui, dum legatorum reversio vocem omnino civibus illis præcluderet.

7. *Viginti diebus*. Vidimus supra, tempus hoc legatis necesse esse, uti Antonium ad Mutinam alloquerentur, et inde Romam repeterent.

8. *Cupidum me*. Nescio quo fato impulsi Ant. Augustinus, et F. Ursinus scribi volunt *stupidum me*, tamquam voces illæ multo melius Ciceronis dignitati congruant; Grævius autem in eos invehitur, et ipse errat. Namque sic locum explanat: non intellexerunt ii vim et notionem vocis *cupidus*, quæ notat nimis partium studiosum, Barbari dicunt *partialem*. Nullo modo hic sensus est; namque orator ait se cupidum pacis esse, id est, vehementer eam optare, si fieri possit.

9. *A se ortum*. Non longa majorum serie commendandum, ut nobilissimi homines, quibus, tamen in mandandis honoribus, vos me prætulistis hominem novum. Vide initium Agrariæ secundæ ubi illa fusius orator exposuit,

noribus, eosdem gesserim[10] in foro[11] labores, quos in petendis. Rudis in republica? Quis exercitatior, qui viginti jam annos bellum geram[12] cum impiis civibus?

VII. Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero; labore, plus pæne, quam potero[1], excubabo vigilaboque pro vobis. Etenim quis est civis, præsertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitatis[2] suæ, quem non excitet, non inflammet tantus iste vester consensus? Multas magnasque habui consul conciones, multis interfui : nullam umquam vidi tantam, quanta nunc vestra est[3]. Unum

10. *Gesserim*. Al. *gessi*. Post Vatic. habet, *quos petendis*. J. V. L.

11. *In foro*. In agendis causis. Notum est apud Romanos nobilissimum quemque causas in foro egisse, antequam ad res accederet administrandas. — *In foro labores, quos in petendis*. Vatic. *quos petendis*, eique jam pridem recte Muretus obtemperaverat. Præpositionem *in* huc illatam similiter fuisse censeo, atque in Catilin. III, 3. *Petendis honoribus* valet, dum peterem honores. Ne minima quidem de fide Vaticani dubitatio ei supererit, qui simillimum Tullii locum noverit, de Legg. III, 4 : « Donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve gesta potestate ».

12. *Bellum geram*. Cum Catilina, Clodio, Antonioque, jam inde a consulatu, quem viginti abhinc annis gesserat. — Liber Vaticanus dat *impiis*, et ita alibi loquutus est.

VII. 1. *Quam potero*. Eniti non modo pro viribus, sed etiam supra vires, amoris ac studii argumentum est maximi. His verbis hoc sensu interdum usus est Cicero, ut in epist. ad Lentulum : « Cetera quæ ad te pertinebunt, quum etiam plus contenderimus, quam possumus, minus tamen faciemus quam debemus ». Simile illud ad Marcellum : « Reliquum est, ut tibi me in omni re eum præbeam præstemque, ut ad omnia quæ tui velint sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, quæ possum, sed ea quoque, quæ non possum, putent ».

2. *Dignitatis suæ*. Faernus sane, Manutius et Lambinus præ se ferunt *dignitatis;* si ex Vaticano, non improbo; sin ex conjectura Ferrarii, non laudo. Muretus sane, qui Vaticanum etiam excussit, retinuit *dignitati*. Uterque *casus* bene habet.

3. *Quanta nunc vestra est*. Sic ambo Barb. qui hæc adnectunt cap. 12 Philipp. V, omnesque ita Grævii ac Lallem. editi fere omnes. Unum etenim vidi Muretum, qui receperit *vestrum*, quod in marg. Lamb. ex MSS notatur, exstatque in cod. Barbadorii, in ea Barb. sec. parte, qua integram orationem præbuit, quodque caput est, in Vaticano. Sic autem initio Philipp. IV habet : « frequentia

sentitis omnes, unum studetis, M. Antonii conatum avertere a republica, furorem exstinguere, opprimere audaciam. Idem volunt omnes ordines; eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaque senatum, sua sponte bene firmum [4], firmiorem vestra auctoritate fecistis.

Venit tempus, Quirites, serius omnino, quam dignum populo romano fuit; sed tamen ita maturum, ut differri jam hora non possit [5]. Fuit aliquis fatalis casus [6], ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. Nunc, si quis erit, erit [7] voluntarius. Populum romanum servire fas non est; quem dii immortales omnibus gentibus imperare [8] voluerunt. Res in extremum est adducta discrimen. De libertate decernitur. Aut vincatis oportet, Quirites, quod pro-

vestrum incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse non videor ».

4. *Bene firmum*. Lang. *bene* non habet: ceteri sic, « bene sua sponte firmum »: quid verius, divinandum est: illud scio, M. Tullium sæpe ita loquutum fuisse, ut in lib. XVI Epist. ad Atticum: « Ibi bene valentem vidi Piliam »; et lib. V: « Nos enim et nostra sponte bene firmi ». — Barb. uterque cum veteribus edd. « bene firmum »; quem ordinem retinuerunt Lamb. et Gruter. Sed Barb. sec. in orat. integra, « senatum sua sponte firmum »: unde aliquis emendet *suapte*, ut apud Plautum, Trinumm. III, 2, vs. 40, « tuapte sponte », et sæpe apud alios, « suopte ingenio ». Hac de voce copiosus est Oudendorpius ad Apuleii Metam. lib. IX, pag. 941. At Vatic. Grævianam lectionem comprobat. Gar.

5. *Ut differri jam hora non possit*. Mihi videtur Cicero scripsisse: « ut differri jam horam non possit »: ut ne per horam hoc negotium tam maturum differri possit: *m* absorpsit prima sequentis voculæ litera *n*.

6. *Aliquis fatalis casus*. C. J. Cæsaris imperium, qui in nos ita ingruit, ut avertere a cervicibus nostris ejus dominatum difficile esset; itaque servitutem hanc populi romani, imperante Cæsare, casum vocat, quia non per populum steterat, quin libertas resurgeret.

7. *Erit voluntarius*. Namque sumus exemplo docti, quid nobis sit pertimescendum; atque ita egit Antonius, ut omnibus pateat, quo tendat et quibus rationibus summam affectet potestatem.

8. *Omnibus gentibus imperare voluerunt*. Sic et quatuor veteres libri, quos evolvit Garatonius, non agnoscunt *gentibus*, nisi quod Coloniensis margini ait adscriptum recentioris

fecto et pietate vestra[9], et tanta concordia consequemini, aud quidvis potius, quam serviatis. Aliæ nationes servitutem pati possunt; populi romani res est propria libertas[10].

ævi manu, Abest *gentibus* a Rom. etiam, et Ven. et ab utroque Barb. Est autem in Vatic. et in orat. integra Barb. sec. GAR.

9. *Pietate vestra*, etc. Studio atque amore erga patriam.

10. *Populi romani res*, etc. Vulgati omittunt *res*.



M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA SEPTIMA

ARGUMENTUM.

Legati Serv. Sulpitius, L. Piso, Luciusque Philippus profecti erant, ut Mutinam obsidenti Antonio, quid juberet senatus, denuntiarent. Cicero, donec revertantur, animos accendere aggreditur quorumdam senatorum, quos non omnino paci turpissimæ adversos noverat. Quum quædam levissima in senatu agitarentur, facultate usus, qua licebat semper senatori de reipublicæ statu disserere, septimam agit Philippicam.

De amicis ac fautoribus Antonii conqueritur, qui virum illum speciosa quædam loquentem inducunt, ut senatum decipiant. Alter e consulibus Hirtius ad exercitum fuerat profectus; tum orator ad Pansam totum se convertit, hortaturque, uti gnaviter reipublicæ causam capessat, in hoc tempore præsertim, quo Romæ salus in discrimen venerit. Palam profitetur, se nullam cum Antonio pacem velle, quoniam et fœdissima sit, et periculosa, nec fœdus ullum cum tali viro possit sanciri: quæ omnia verbis comprobat; et concludit senatores hortando uti semper in excubiis stent, paratique ad arma sumenda. Non Antonius se senatus potestati permittet; nulla ergo pax esse potest. Consulem iterum appellat, ut lucro apponat omnium ordinum communem hunc consensum, remque publicam periculis ac formidine in æternum eximat.

ALIUD ARGUMENTUM.

Amicos Antonii, pacem bello in sermonibus anteponentes, eo consilio, ut in reditu legatorum Antonii responsa mitius acciperentur, et senatorum animi sententia Ciceronis irritati ad clementiam, ad mansuetudinem traducerentur, accusat, ut Antonii amantiores, quam reipublicæ. De pace autem non esse cogitandum censet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis civibus cum hoste libertatis Antonio nulla prorsus esse possit. Senatum extremo loco, Pansamque consulem hortatur, ut ad studium tuendæ reip. nihil ab Antonio sincerum exspectantes, quemadmodum cœperint, incumbant. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA SEPTIMA.

ORATIO UNDEQUINQUAGESIMA.

I. Parvis de rebus, sed fortasse necessariis, consulimur, patres conscripti. De Appia via[1], et de[2] Moneta, consul; de Lupercis[3] tribunus plebis refert. Quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat a sententia[4], suspensus curis majoribus. Adducta est enim, patres conscripti, res in maximum periculum, et extremum pæne discrimen[5]. Non sine causa legatorum istam missionem semper timui, numquam probavi: quorum reditus quid sit allaturus, ignoro; exspectatio quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt? Non enim se tenent ii, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinæ spem revi-

I. 1. *De Appia via.* Instauranda scilicet.

2. *De Moneta.* Non consentiunt inter se hoc in loco commentatores; alii de pretio monetæ constituendo, aut novis nummis cudendis; alii de Junonis Monetæ templo agi putant.

3. *De Lupercis.* Quorum dies festus adventabat; sodales enim Luperci ad honorem dei Panis antiquitus instituti, februario mense Urbem nudi percurrebant. Aliqua opinor de re quæ ad ejus dei celebritatem pertineret Lupercorum nomine tribunus plebis referebat.

4. *Aberrat a sententia.* Digreditur a proposita materia; P. Servilius ante Ciceronem sententiam rogatus, quibus de rebus consul retulerat, ea jam dixerat, quæ Ciceroni probabantur. Itaque assensus est ei orator ad hujus Philippicæ finem. Loco *aberrat* quidam legunt *aberat.*

5. *Et extremum pæne discrimen.* Revertitur ad ea quæ de Antonio supra disseruerat.

viscere[6], conjunctum huic ordini populum romanum, conspirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces. Jam nunc fingunt responsa Antonii, eaque[7] defendunt. Alii, postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur. Scilicet legatos[8] ad eum misimus, non ut pareret, et dicto audiens esset huic ordini, sed ut conditiones ferret, leges imponeret, reserare[9] nos exteris gentibus Italiam juberet; se præsertim incolumi, a quo majus periculum, quam ab ullis nationibus extimescendum est. Alii, remittere eum nobis Galliam citeriorem; illam ultimam[10] postulare. Præclare: ex qua non legiones solum, sed etiam nationes[11] ad urbem conetur adducere. Alii, nihil eum jam nisi modestum[12] postulare. Macedoniam suam vocat omnino: quoniam Caius frater[13] est inde revocatus. Sed quæ provincia est, ex qua illa fax excitare non possit[14] incendium? Itaque iidem[15], quasi providi cives, et senatores diligentes[16], bellicum me cecinisse[17] dicunt, suscipiunt pacis[18] patrocinium; qui sic

6. *Reviviscere*. Al. multi, *revirescere*. J. V. L.

7. *Eaque*. Al. *eademque*. J. V. L.

8. *Scilicet legatos*. Quæ de Antonio referebantur, confutat, ne falsis amicorum ejus verbis senatus decipiatur.

9. *Reserare nos*. Namque patebit populis irruentibus Italia, si, ut Antonius postulat, omnes exercitus dimittuntur; quod summam certe dementiam indicaret.

10. *Illam ultimam*. Quamvis orator testetur mentita et falsa esse quæ ab Antonio responsa quidam narrant, verum illud erat; namque legati hanc ab Antonio conditionem propositam retulere, ut ex Philippica octava intelligere licet, qua eorum reditus, qui fuerit, describitur.

11. *Nationes*. Ex Philippicæ XIII plurimis locis facile compertum erit, quantum apta ad bellum instruendum hæc provincia esset.

12. *Modestum*. Al. *modesti*. Al. e Vatic. MS, *modeste*. J. V. L.

13. *Caius frater*. A Macedonia C. Antonium revocaverat senatus, ut provinciam illam M. Bruto Cæsaris percussori assignaret.

14. *Possit*. Al. *posset*. J. V. L.

15. *Iidem*. Omnes illi qui hæc Antonii verba jactitant.

16. *Senatores diligentes*. Verbis illis patet, quosdam ex patribus Antonio favere; namque nulla alia mente, nisi ut illum servarent, falsa illa per populum serebant.

17. *Bellicum me cecinisse*. Belli si-

disputant: irritari Antonium non oportuit; nequam est homo ille, atque confidens; multi præterea improbi (quos quidem a se primum numerare possunt, qui hæc loquuntur); eos cavendos esse denuntiant. Utrum igitur in nefariis civibus ulciscendis, quum possis, an pertimescendis, diligentior cautio est?

II. Atque hæc illi loquuntur[1], qui[2] quondam propter levitatem populares habebantur[3]. Ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo civitatis statu[4], non voluntate fuisse populares. Qui enim convenit[5], ut, qui in rebus improbis populares fuerint, iidem in re una maxime populari, quod eadem salutaris populo romano sit, improbos se quam populares esse malint? Me quidem semper, ut scitis, adversatum[6] multitudinis temeritati, hæc fecit præclarissima causa popularem. Et quidem dicuntur, vel potius iidem se ipsi[7] dicunt consulares: quo nomine dignus est nemo, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. Faveas tu hosti? literas tibi ille mittat[8] de sua spe rerum secundarum[9]? eas tu lætus proferas? recites? describendas etiam des improbis ci-

gnum dedisse, quum perpetuo in Antonium inveherer, et bellum agendum proclamarem.

18. *Pacis.* Al. *partis.* J. V. L.

II. 1. *Hæc illi loquuntur.* Hæc in Q. Fufium Calenum dicta esse videntur, Antonii fautorem.

2. *Qui quondam.* Quum tribunus plebis esset Calenus, Milonem reum citavit, ob illatam Clodio necem.

3. *Habebantur.* Al. *appellabantur.* J. V. L.

4. *Civitatis statu.* Semper studuerunt reipublicæ inimicis. Nam, si revera populum romanum diligebant, qui fit ut in ea causa, quæ populo gratissima est, quaque Antonius tam vehementer urgetur, cum populo jam non consentiant.

5. *Convenit.* Cod. Vatican. *evenit.* J. V. L.

6. *Adversatum.* Fuere, qui ex Vatic. ibi reponerent, *adversarium*: qui scripturam illam tuebantur hæc ad opinionem suam firmandam afferebant: in Verr. Act. I, 12, *huic generi hominum adversarius*: et pro Cluent. 34, *seditiosis adversarius.* Nos vero cum Garatonio vulgatam sequi maluimus.

7. *Se ipsi.* Al. *ipsi se.* J. V. L.

8. *Literas tibi ille mittat.* Sic regii codd. Vulg. *ille litt. ad te m.* J. V. L.

9. *Rerum secundarum.* Ferrarius ibi propter latini, ut ait, sermonis

vibus? eorum augeas[10] animos? bonorum spem virtutemque debilites? Et te consularem, aut senatorem, aut denique civem putes?

Accipiet in optimam partem C. Pansa, fortissimus consul atque optimus. Etenim dicam animo amicissimo: hunc ipsum, mihi hominem familiarissimum, nisi talis consul esset, ut omnes vigilias, curas, cogitationes in reipublicæ salute defigeret[11], consulem non putarem. Quamquam nos ab ineunte illius ætate usus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas similitudoque devinxit[12]; ejusdemque cura incredibilis in asperrimis belli civilis periculis perspecta, docuit, non modo salutis, sed etiam dignitatis meæ fuisse fautorem: tamen eumdem, ut dixi, nisi talis consul esset, negare esse consulem auderem. Idem non modo consulem esse dico, sed etiam memoria mea præstantissimum atque optimum consulem, non quin pari virtute et voluntate alii fuerint, sed tantam causam non habuerunt, in qua et virtutem, et voluntatem suam declararent. Hujus magnitudini animi, gravitati, sapientiæ, tempestas est oblata formidolosissimi temporis. Tum autem illustratur consulatus[13], quum gubernat rempublicam, si non optabili, at necessario[14] tempore. Magis autem necessa-

elegantiam addi proponebat *suarum*, quam lectionem nemo accepit.

10. *Eorum augeas*. Mureti editio sic habet: « Eorum augeas furorem? animos bonorum, etc. » Quod nescio unde vir ille sumpsit. Francii vero liber longius abit a ceterorum omnium scriptura; nam ita locum immutavit: « Jam des improbis civibus ferrum. Augeas animos bonorum, spem virtutemque debilites ».

11. *Defigeret*. Quidam mendose, *configeret*, quod non eumdem sensum dat intelligendum.

12. *Devinxit*. Omnes ante P. Manutium editi habebant, *conjunxerit*.

13. *Illustratur consulatus*. Similis sententia illa, huic Horatianæ, Sat. II, 8, 73: « Nam convivatoris, uti ducis, ingenium res, Adversæ nudare solent, celare secundæ ».

14. *Necessario*. Hoc est, cui necessario esset subveniendum, nisi perire et opprimi maluerimus.

rium, patres conscripti, nullum tempus umquam fuit.

III. Itaque ego ille, qui semper pacis auctor fui, cuique pax, præsertim civilis[1], quamquam omnibus bonis, tamen in primis fuit optabilis (omne enim curriculum industriæ nostræ[2] in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consequuti sumus); ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui, quantuscumque sum, nihil enim mihi arrogo, sine pace civili certe non fuissem (periculose dico[3]: quemadmodum accepturi, patres conscripti, sitis, horreo; sed pro mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis retinendæ et augendæ, quæso, oroque vos, patres conscripti, ut primo etsi erit vel acerbum auditu, vel incredibile, a M. Cicerone esse dictum, accipiatis sine offensione, quod dixero; neve id priusquam, quale sit, explicavero, repudietis), ego ille, dicam sæpius, pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo[4].

Magna spe ingredior in reliquam orationem, patres conscripti, quoniam periculosissimum locum silentio

III. 1. *Præsertim civilis.* Id est, pax inter cives, qualem decet esse inter probos viros, qui omnes ad rempublicam conservandam consentiunt.

2. *Industriæ nostræ.* Omnem enim pace Cicero vim ingenii explicuit; numquam enim ad rempublicam accessisset administrandam, nisi in propulsandis amicorum periculis, eloquentia foro innotuisset. Præterea ita a natura erat constitutus Cicero, ut pacem quam bellum mallet; non omnem enim in civilibus discordiis constantiam, si plures in ipsum irruerent, conservabat.

3. *Periculose dico.* Hæc orator præfatur timidissime, si ita loqui fas est, quia certus erat magnam jam senatorum partem animo remissiorem esse; et quum per populum serperent multi de Antonio rumores, qui eum pacem malle testarentur, Cicero metuit, ne animos offendat dum eos erigere nititur, atque ita cautus incedit.

4. *Esse nolo.* Melius illa post tam longam exspectationem elucent. Præterea tale quiddam jam in iis quæ antecedunt orationibus Cicero præfatus est, nec ullam cum Antonio concordiam esse posse demonstravit.

sum prætervectus. Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico, peto a vobis, patres conscripti, ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.

Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, quum singulis hominibus, tum vero universo senatui, turpius? quid porro inconstantius, quam, quem[5] modo hostem non verbo, sed re[6], multis decretis, judicaritis[7], cum hoc subito pace velle conjungi? Nisi[8] vero, quum C. Cæsari meritos illi quidem honores et debitos, sed tamen singulares et immortales decrevistis[9], unam ob causam, quod contra M. Antonium exercitum comparavisset, non hostem Antonium judicastis[10]; nec tum hostis est a vobis judicatus Antonius, quum laudati auctoritate vestra veterani milites, qui Cæsarem sequuti essent; nec tum hostem Antonium judicastis, quum fortissimis legionibus, quod illum, qui consul appellabatur, quum esset hostis, reliquissent, vacationes, pecunias, agros spopondistis.

IV. Quid? quum Brutum, omine quodam[1] illius generis et nominis, natum ad rempublicam liberandam, exercitumque ejus pro libertate populi romani

5. *Quem modo*. XIII kal. jan. scilicet, quo die Cicero tertiam orationem Philippicam habuit.

6. *Non verbo, sed re*. Ita de hac re Philipp. IV in principio : « Hodierno die, Quirites, fundamenta jacta sunt reliquarum actionum. Nam est hostis a senatu, nondum verbo appellatus, sed re jam judicatus Antonius ».

7. *Judicaritis*. Olim, *judicavistis*. J. V. L.

8. *Nisi vero*. Al. *quasi vero*. J. V. L.

9. *Decrevistis*. Quæ omnia acta sunt XIII kalend. januar. et postridie, aut certe post diem tertium, de honoribus, præmiisque eorum, qui contra Antonium rempublicam defenderant.

10. *Judicastis*. Olim, *judicaveritis*. J. V. L.

IV. 1. *Omine quodam*. Multis modis locus ille fuit scriptus : alii habent « Brutum quondam hominem illius generis ». Quam sequuti sumus Mureti opinionem, hanc Manutius et Ferrarius tuebantur. Sensus multo magis lucidus est : natus erat D. Brutus quodam omine illius nominis, ut, quemadmodum L. ille Brutus, regibus exactis, ita hic, interfecto tyranno, patriam in libertatem vindicaret.

bellum gerentem cum Antonio, provinciamque fidelissimam atque optimam, Galliam, laudibus[2] amplissimis affecistis; tum non hostem judicastis Antonium? Quid? quum decrevistis, ut consules, alter, ambove ad bellum proficiscerentur: quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quo igitur profectus est vir fortissimus, meus collega[3] et familiaris, A. Hirtius consul? At qua imbecillitate[4]? qua macie? Sed animi vires corporis infirmitas non retardavit. Æquum, credo, putavit, vitam, quam populi romani votis[5] retinuisset, pro libertate populi romani in discrimen adducere. Quid? quum delectus haberi tota Italia jussistis, quum vacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est judicatus? Armorum officinas in urbe videtis; milites cum gladiis sequuntur consulem[6]; præsidio sunt, specie, consuli; re et veritate, nobis; omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant; parent auctoritati vestræ: non est judicatus hostis Antonius?

At legatos misimus. Heu, me miserum! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere? Quid? vos censetis, patres conscripti, legatorum missionem populo romano probavisse? Non intelligitis, non auditis, meam sententiam flagitari[7]? Cui quum pridie

2. *Laudibus amplissimis.* Præcedenti in oratione visum est quæ fuerint laudes illæ, et quonam modo concessæ.

3. *Meus collega.* In auguratu scilicet.

4. *Qua imbecillitate?* Diu ac graviter ægrotaverat.

5. *Votis.* Ægrotante Hirtio, populus romanus vota pro salute ejus nuncupaverat. Philipp. I, sic de eo est scriptum: «Num etiam hoc contemnitis, quod sensistis tam caram populo romano vitam A. Hirtii fuisse». De hoc etiam rursus in decima Philipp. agit orator.

6. *Consulem.* Non Hirtium qui profectus est, sed Pansam qui in Urbe remansit. Qui Hirtium esse volunt, non attendunt quæ paullo inferius ait Cicero: «nam quomodo præsidio senatui essent, si Roma fuissent cum Hirtio profecti».

7. *Flagitari.* Ita grata est mea sententia, qua bellum quam primum cum Antonio geri suasi, ut eam a me

frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti[8]. Quam turpe porro est, legiones[9] ad senatum legatos mittere, senatum ad Antonium! Quamquam illa legatio non est: denuntiatio est, paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini. Quid refert? tamen opinio est gravior. Missos enim legatos omnes vident; decreti vestri non omnes verba[10] noverunt.

V. Retinenda est igitur vobis constantia, gravitas, perseverantia; repetenda est vetus illa severitas: siquidem auctoritas senatus decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat, quibus rebus hic ordo caruit nimium diu[1]. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen justa: nunc nulla est. Liberati tum regio dominatu videbamur: multo postea gravius[2] urgebamur armis domesticis. Ea ipsa depulimus nos quidem[3]; sed extorquenda sunt. Quod si

exposcat, quasi hac non satiari possit, adeo gravi in hunc virum odio accenditur.

8. *Devoluti*. Quum de his ad populum egit, noluit palam oculis exponere, quas ob causas ita fuerat dissolutus senatus, ut sententias una nox omnino immutaret.

9. *Legiones*. Magna hæc inter doctos contentio, scire de quibus ibi legionibus agatur: alii enim legiones quæ ab Antonio defecere; alii contra eas quæ cum eo stant, legatos misisse contendunt. Priorem hanc opinionem tuetur Manutius; sed altera tamen nobis potior videtur. Etenim multo magis indecorum est patribus, quum legiones quæ Antonium deseruere legatos ad senatum mittant, ea mente scilicet, ut bellum huic publico hosti indicatur, eos contra legatos ad Antonium mittere; qui quodammodo de pacis conditionibus cum eo conveniant. Hac re videtur senatus contra populum omnem, et exercitus etiam pugnare, qui Antonium opprimere student. Itaque hunc sensum sumus amplexi.

10. *Verba*. Hoc est, mandata, quibus Antonium in decreto vestro urgetis; et inde nesciunt quo consilio legati ad hunc virum sint profecti.

V. 1. *Nimium diu*. Quum Cæsar dominatum exerceret: has sententias, jam in oratione, quæ antecedit, exposuit.

2. *Multo postea gravius*. Nos Bruti facinus regio Cæsaris dominatu exemit; sed ab Antonio multo gravius urgebamur, quia talis vir numquam victoriam sicuti Cæsar temperare potuisset.

3. *Nos quidem*. Irruentem Antonium in hanc urbem Cæsar Octavianus aver-

non possumus facere (dicam, quod dignum est et senatore, et romano homine), moriamur[4]. Quanta enim erit illa reipublicæ turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco? cujus ut omittam innumerabilia scelera urbani consulatus, in quo pecuniam publicam[5] maximam dissipavit, exsules sine lege restituit[6], vectigalia vendidit, provincias de populi romani imperio sustulit, regna addixit pecunia, leges civitati per vim imposuit, armis aut obsedit, aut exclusit senatum : ut hæc, inquam, omittam; ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam, coloniam populi romani firmissimam, oppugnarit, imperatorem populi romani, consulem designatum, obsederit, depopulatus agros sit; hunc in eum ordinem recipi, a quo toties ob has ipsas causas hostis judicatus sit, quam fœdum flagitiosumque sit[7]?

Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps, ut proposui, de periculo : quod etsi minus est fugiendum, quam turpitudo; tamen offendit animos majoris partis[8] hominum magis.

tit; sed quamvis non jam propius capitibus nostris impendat, dilatum periculum est, non autem salva res publica. Itaque arma manibus impiis sunt eripienda, et nulla alia ad hoc via superest nisi bellum. Hæc omnia præfatur orator, uti pacem nullo modo habendam ostendat.

4. *Moriamur*. Potius per virtutem emori, quam vitam miseram et inhonestam talis viri arbitrio protrahere.

5. *Pecuniam publicam*. Quæ erat ad Opis. De his Antonii furtis, Phil. III : « Qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberasti, qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipavisti». Et Philipp. V : « Illa vero dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus donationibusque avertit».

6. *Sine lege restituit*. Longius esset ac prorsus inutile omnia Antonii flagitia enumerare, quum superius fuerint exposita; itaque vide Philippicam secundam, quæ tota omnium horum scelerum mentionem habet.

7. *Flagitiosumque sit?* Post hæc verba libri plures pessime subjiciunt *videtis*, quod nihil prorsus significat. Nos sicuti edd. omnes optimi verbum illud sustulimus.

8. *Majoris partis*. Ibi aliquid deesse viri docti putarunt, novaque verba interponenda conjiciebant : nos rati

VI. Poteritis igitur exploratam habere pacem, quum in civitate Antonium videbitis, vel potius Antonios? Nisi forte contemnitis Lucium. Ego ne Caium[1] quidem. Sed, ut video, dominabitur Lucius. Est enim patronus[2] xxxv tribuum, quarum, sua lege[3], qua cum C. Cæsare magistratus partitus est[4], suffragium sustulit[5]; patronus centuriarum equitum[6], quas item[7] sine suffragio esse voluit; patronus eorum, qui tribuni militares fuerunt; patronus Jani medii. O dii! quis hujus potentiam poterit sustinere? præsertim quum eosdem[8] in agros etiam deduxerit. Quis umquam omnes tribus? quis equites romanos? quis tribunos militares[9]? Gracchorum potentiam majorem fuisse arbitramini, quam hujus gladiatoris futura sit[10]? Quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et latine loquuntur. Mirmillo in Asia depu-

nihil amplius sententiam desiderare, locum, sicuti MSS omnes habent, servavimus.

VI. 1. *Caium*. C. Antonium Marci ac Lucii fratrem, nequitia et crudelitate fratribus imparem.

2. *Est enim patronus*. Ea rursus commemorat, quæ in oratione quæ antecedit, ad populum præfatus erat.

3. *Sua lege*. Quam in tribunatu plebis tulit anno superiore, dum viveret adhuc C. J. Cæsar.

4. *Partitus est*. Legem tulit, ut qui magistratus populi suffragiis quotannis creari solerent, eos in biennium Cæsar ad Parthicum bellum iturus, designare posset: itaque consules designavit in annum sequentem Pansam et A. Hirtium, in alterum D. Brutum et L. Plancum. Impetrasse autem videtur a Cæsare lator legis Lucius, ut partem magistratuum amicis suis daret, quod Cicero contumeliosis verbis Lucio, tamquam de tribubus et centuriis, a quibus utrisque statua decoratus fuerat, male merito exprobrat.

5. *Suffragium sustulit*. In biennium enim designaverat magistratus, Lucii lege, C. Cæsar. Erant autem et tributa comitia minoribus creandis magistratibus, et centuriata majoribus.

6. *Equitum*. Al. *equitum romanorum*. J. V. L.

7. *Item*. Aliæ editiones exhibent *idem*. J. V. L.

8. *Eosdem*. Ii scilicet qui statuas illi exstruxere, et ad omnes ejus sunt nutus parati.

9. *Quis tribunos militares*. Subaudiendum necesse est hoc in loco, umquam in sua potestate habuit.

10. *Quam hujus gladiatoris futura sit?* Si pace semel facta in Urbem redierit.

gnavit. Quum ornasset Threcidicis[11] comitem et familiarem suum, illum miserum fugientem jugulavit[12]; luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. Qui familiarem jugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? Et qui illud animi causa fecerit, hunc prædæ causa quid facturum putatis? Non rursus[13] improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios[14]? non quæret expulsos[15]? M. vero Antonius non is erit, ad quem omni motu concursus fiat civium perditorum? Ut nemo sit alius, nisi illi[16], qui una sunt, et hi[17], qui hic ei nunc aperte favent: parumne erunt multi? præsertim quum bonorum præsidia cesserint[18], illi parati sint ad nutum futuri. Ego vero metuo, si hoc tempore consilio lapsi[19] erimus, ne illi brevi tempore nimis multi nobis esse videantur. Nec ego pacem nolo; sed pacis nomine bellum involutum reformido. Quare, si pace frui volumus, bellum gerendum est. Si bellum omittimus[20], pace numquam fruemur.

VII. Est autem vestri consilii[1], patres conscripti,

11. *Ornasset Threcidicis.* Instruxisset armis gladiatoriis; nam gladiatorum genus quoddam Threx aut Thrax dicebatur.

12. *Jugulavit.* De hoc gladiatorio certamine egit Cicero Philipp. V, 7; sed ibi non ita aperte pugna describitur, ut nos, quæ fuerit, noscere possimus.

13. *Non rursus.* Etenim eos ad bellum excitavit. — *Sollicitabit.* Ut contra rempublicam arma capiant.

14. *Agrarios.* Quibus ipse agros divisit.

15. *Quæret expulsos?* Muretus in manuscripto reperit *quæret ur expulsos*, et ita scripturam illam restituit, *quæret Urbe expulsos*. Lambinus hanc Mureti conjecturam tamquam meliorem et certam admisit. Garatonius vero repulit, et intelligit non expulsos ex Urbe, sed ex agris.

16. *Illi.* Al. *ii.* J. V. L.

17. *Hi.* Al. *ii.* J. V. L.

18. *Præsidia cesserint.* Quidam legebant, « quum boni præsidiis cesserint », quod, quum nulla auctoritate firmetur, repulimus.

19. *Consilio lapsi.* Vatic. *consilii lapsi*, quam lectionem ut omnino latinam, multis exemplis Garatonius defendit. Nos vulgatam sequuti sumus.

20. *Omittimus.* Al. exhibent *omittemus.* J. V. L.

VII. 1. *Vestri consilii.* Barb. sec. et Ferrar. *veteris* : mendose.

in posterum quam longissime providere. Idcirco in hac custodia, et tamquam[2] in specula, collocati sumus, ut vacuum metu populum romanum nostra vigilia et prospicientia[3] redderemus. Turpe est, summo consilio orbis terræ, præsertim in re tam perspicua, consilium[4] intelligi[5] defuisse. Eos consules habemus, eam populi romani alacritatem, eum consensum Italiæ, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem respublica accipere possit sine culpa senatus. Equidem non deero; monebo, prædicam[6], denuntiabo, testabor[7] semper deos hominesque, quid sentiam; nec solum fidem meam (quod fortasse videatur[8] satis esse, sed in principe civi[9] non est satis); curam, consilium, vigilantiamque præstabo.

Dixi de periculo[10]: docebo, ne coagmentari[11] quidem posse pacem. De tribus enim, quæ proposui, hoc extremum est.

VIII. Quæ potest esse pax M. Antonio primum cum senatu? quo ore ille vos poterit, quibus vicissim vos

2. *Et tamquam*. Abest *et*. J. V. L.

3. *Prospicientia*. Vocem hanc tamquam novam Muretus Gruterusque probant, quibus assentit Garatonius; vulgo *providentia* dicitur. Mire autem verbum illud cum antecedentibus congruit, namque e specula prospicitur, in custodiis autem aguntur vigiliæ.

4. *Consilium*. Ludit orator in hoc verbo, quod gemino sensu eodem in loco usurpatur.

5. *Intelligi*. Al. *intelligendi*. J. V. L.

6. *Prædicam*. Multo melius convenit cum aliis verbis vox illa *prædicam*, quam quod antea legebatur *prædicabo*. Sic Muretus, cujus in sententiam ivimus.

7. *Testabor*. Al. *et test*. J. V. L.

8. *Videatur*. Al. *videtur*. J. V. L.

9. *Principe civi*. Muretus et Lambinus *civi* respuerunt, et maluerunt *cive*, quos non probavit nec sequutus est Garatonius.

10. *Dixi de periculo*. Duo absolvit, quæ sibi a principio proposuit, pacem scilicet et turpem esse et periculosam.

11. *Coagmentari*. Docti quidam viri existimant verbum illud scribi debere sic, *coamentari*, quasi veniat a verbo *amenta*, quibus ad ligandum utimur; sed verendum est ne errent, nam verisimilius est verbum *coagmentare* ab agmentis venire, quæ Varro commemorat, de Ling. Latin. lib. V, vel a coagmentis quæ sunt conjunctiones arctæ et compares a coagendo seu cogendo, id est, stringendo dictæ; unde coagulum.

illum oculis intueri? quis vestrum illum, quem ille vestrum non oderit? Age, vos ille solum [1], et vos illum? Quid? ii, qui Mutinam circumsedent, qui in Gallia [2] delectus habent, qui in nostras fortunas imminent, amici umquam nobis erunt, aut nos illis? An equites romanos amplectetur [3]? Occulta enim fuit eorum voluntas judiciumque de M. Antonio: qui frequentissimi in gradibus Concordiæ [4] steterunt; qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt; arma, saga, bellum flagitaverunt; me una cum populo romano in concionem vocaverunt [5]. Hi Antonium diligent? cum his pacem servabit Antonius? Nam quid ego de universo populo romano dicam? qui pleno ac referto foro, bis me una mente atque voce in concionem vocavit, declaravitque [6] maximam libertatis recuperandæ cupiditatem. Itaque, quod erat optabile antea, ut populum romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem [7]. Quæ est igitur spes, qui Mutinam circumsedent, imperatorem populi romani exercitum-

VIII. 1. *Vos ille solum*. Naug. Camer. Gryp. et Mur. *solus;* cod. Barb. a reliquis non discrepat, nec etiam ipse Vaticanus.

2. *Gallia*. Aliqui habent *in Galliam*, tunc sensus est, qui copias parant adversus Gallos. Aliquot homines sibi devotos ad delectus habendos in Gallia Antonius incitaverat, quibuscum bellum Bruto posset tutius indicere.

3. *Romanos amplectetur*. Codex Barbadorii, et ambo Barb. *amplectentur;* etiam Barb. secundus *romani* omnibus literis.

4. *Gradibus Concordiæ*. Quum in æde Concordiæ senatum convocaverat Antonius, ut ibi contra Ciceronem declamaret. Eo autem equites omnes convenerant ut demonstrarent, quanti Ciceronem, in quem hæc oratio habebatur, facerent.

5. *In concionem vocaverunt*. Vidimus supra populum, post habitum senatum, Ciceronem quodammodo ad Rostra protraxisse una cum equitibus, ut quæ decreta fuerant omnibus narraret.

6. *Declaravit*. Dum enim loqueretur Cicero, sæpissime, ut vidimus, voce sua declaravere audientes quid contra Antonium sentirent.

7. *Habemus ducem*. Turpe quodammodo senatui videtur esse, quod ab iis antecellatur in liberanda republica, quos ducere ipse ac moderari deberet; nec honestum tam claris viris plebecula ad bonum quasi provehi.

que oppugnant[8], iis pacem cum populo romano esse posse? An cum municipiis pax erit, quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecuniis pollicendis, ut in singulis oppidis curiam populus romanus[9] non desideret[10]? Laudandi sunt ex hujus ordinis sententia Firmani[11], qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt; respondendum honorifice est Marrucinis[12], qui ignominia notandos censuerunt eos, qui militiam subterfugissent. Hæc jam tota Italia fiunt. Magna pax Antonio cum iis[13], his item cum illo. Quæ potest major esse discordia? in discordia autem pax civilis ullo pacto esse potest?

Ut omittam multitudinem : L. Visidio[14], equiti romano, homini in primis ornato atque honesto, civique semper egregio[15], cujus ego excubias et custodias mei capitis cognovi in consulatu meo; qui vicinos suos non cohortatus est solum, ut milites fierent, sed etiam facultatibus suis sublevavit : huic, inquam, tali viro, quem nos senatusconsulto collaudarimus[16], poteritne esse pacatus Antonius? Quid? C. Cæsari? qui illum urbe; quid? D. Bruto? qui Gallia prohibuit. Jam vero ipse se placabit et leniet provinciæ Galliæ, a qua exclusus[17] et repudiatus est? Omnia videbitis, patres

8. *Oppugnant.* Faernus et Muretus primi locum, sicuti nunc rescripsimus, restituere, quum antea omnino esset incertum, quonam modo legeretur.

9. *Curiam populus romanus.* Alii, *curiam populi romani.* J. V. L.

10. *Desideret.* Al. *desideretis.* J. V. L.

11. *Firmani.* Firmum vel Firmium fuit Piceni oppidum, in Marchia Anconitana, nunc *Fermo* dicitur.

12. *Marrucinis.* Qui sunt ad oram maris superi, vicini Frentanis, quorum urbs Teate.

13. *Cum iis, his item cum illo.* Al. *cum eisdem, his cum i.* J. V. L.

14. *L. Visidio.* Edd. pr. *Nasidio*, quod nomen occurrit in Ep. ad Attic. XI, 17. J. V. L.

15. *Semper egregio.* Quis vir ille fuisset quæsivere docti, sed nondum quid præclarum egerit bene constat.

16. *Collaudarimus.* Ed. Mediolanensis et aliæ vetustiores habent *laudavimus*, quod verbum Grævius probare videtur, ceteri omnes repellunt.

17. *Exclusus.* Quamquam multi contra vocem illam pugnent, mihi

conscripti, nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum : ex quibus oriuntur bella civilia. Nolite igitur id velle, quod fieri non potest; et cavete, per deos immortales! patres conscripti, ne spe præsentis pacis perpetuam pacem amittatis.

IX. Quorsum hæc omnis spectat oratio? quid enim legati egerint, nondum scimus[1]. At vero excitati, erecti, parati, armati animis jam esse debemus, ne blanda, aut supplici oratione, aut æquitatis simulatione[2] fallamur. Omnia fecerit oportet, quæ interdicta et denuntiata sunt, priusquam aliquid postulet; Brutum, exercitumque ejus oppugnare, urbes et agros provinciæ Galliæ populari destiterit[3]; ad Brutum adeundi legatis potestatem fecerit, exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbem millia passuum ducenta admoverit; fuerit in senatus populique romani potestate. Hæc si fecerit, erit integra potestas nobis deliberandi. Si senatui non paruerit, non illi senatus, sed ille populo romano bellum indixerit.

Sed vos moneo, patres conscripti, libertas agitur populi romani, quæ est commendata vobis; vita et fortunæ optimi cujusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate jampridem intendit Antonius; auctoritas vestra, quam nullam habebitis[4], nisi nunc

videtur retinenda, quum sit in octava Philippica : « Quam igitur municipiis et coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus ».

IX. 1. *Nondum scimus.* Viginti enim dierum spatio opus erat legatis, ut Antonium possent invisere. Quare autem non de re quæ proposita erat verba fecerit, nunc orator exponit; nititur quam acerrima rursus in Antonium odia concitare.

2. *Æquitatis simulatione.* Namque Antonii fautores multa commemorabant, quibus ille tamquam pacem petere videretur.

3. *Galliæ populari destiterit.* Omnia rursus exponit quæ legatis mandata sunt a senatu in Antonium, quorum unumquodque jam in suo loco explanavimus.

4. *Habebitis.* Etenim omnino jam evanuerat, quum rerum summa C. J. Cæ-

retinueritis : tetram et pestiferam belluam, ne inclusam et constrictam[5] dimittatis, cavete. Te ipsum, moneo, Pansa; quamquam non eges consilio, quo vales plurimum, tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent : hunc tantum tuum apparatum[6], tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare. Tempus habes tale, quale nemo habuit umquam. Hac gravitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi romani potes in perpetuum rempublicam metu et periculo liberare.

Quibus de rebus[7] refers, P. Servilio assentior.

sar potiretur; quum autem eam recuperare felici fato datum fuit, non est iterum e manibus mittenda : namque si semel ab Antonio opprimatur, nulla spes erit nec ratio ulla eam recuperandi.

5. *Constrictam*. Namque omnibus e partibus Antonius tenetur. Urgebit a Gallia Brutus, si vos bellum incipientem eum adjuvetis, et consules cum exercitibus ab Italia prement, ita ut nullo modo possit evadere. Antonium autem ibi cum fera conferre videtur, quæ multo acrius in viros irruit, quum ruptis laqueis, se in libertatem vindicat.

6. *Apparatum*. Belli scilicet; namque dum exercitui Hirtius præerat, copias undique ille cogebat, ut ex epistola ad Cassium patet : « Erat Claternæ noster Hirtius, ad forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu : magnasque Romæ copias Pansa ex delectu Italiæ compararat ».

7. *Quibus de rebus refers, P. Servilio assentior*. Verba illa antea aberant, itaque mirum recte videbatur Ciceronem tota hac oratione nihil de iis dixisse quæ in senatu agebantur : addita sunt ex Faerni Muretique notis ac conjectura. Res autem de quibus referebat consul erant de Appia via et de moneta, ut in exordio orationis hujus jam vidimus.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA OCTAVA

24.

ARGUMENTUM.

Servius Sulpicius, paucis diebus postquam ad Mutinam venerat, obiit; L. autem Piso et L. Philippus reversi Romam, retulerunt ea quæ Antonius proponebat: quæ intolerabilia prorsus erant. Huic igitur senatus bellum indixerat, sublato tamen belli nomine; nam tumultum esse decreverat.

Primum conqueritur orator, quod consul patresque conscripti mollius cum hoc viro agant, qui senatus auctoritatem contempserat, populoque romano quam gravissimam intulerat injuriam, quum vineas conduci ante os ipsius consulis et oculos legatorum ad Mutinam oppugnandam jussisset. Quam absurde belli nomen tollatur indicat, quum de bello agatur, quod factis facillime apparet. Bellum præsens cum præteritis bellis civilibus confert, multumque ab iis distare novum illud discordiarum genus ostendit. Quum Q. Fufius Calenus, vir consularis, pacis commoda multis laudibus extulisset, et omnes cives salvos esse vellet, eum Cicero multis verbis confutat, simulque senatui indicat, quænam sit pax laudanda ac tuenda, qui sint cives quos salvos velle deceat. De ceteris consularibus viris gravissimo cum dolore agit, de iis præsertim qui legatos iterum ad Antonium mittendos suaserant. Quorum agendi rationem, quam turpis sit, quam fœda et abominanda explicat. Tum quædam Antonii mandata refert, miraturque, quod ea æquo animo legati audierint. Postremo poscit, uti tempus certum assignetur, quo elapso, qui Antonii partes sequuti sint contra rempublicam egisse judicentur.

Quæ omnia Cicero senatui proposuit, hæc patres conscripti rata fecere; et consul ipse, quem a principio orationis graviter satis objurgaverat, rempublicam postea fortiter magis capessivit: hoc saltem conjicere licet ex epistola ad Cassium (ad Div. XII, 4), qua hæc leguntur: « Egregios consules habemus, sed turpissimos consulares; senatum fortem, sed infimo quemque honore fortissimum. Populo vero nihil fortius, nihil melius, Italiaque universa. Nihil autem fœdius, Philippo et Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui, quum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent, quum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur, factique jam in re salutari populares sumus ».

ALIUD ARGUMENTUM.

Mortuo in legatione Ser. Sulpicio, L. Piso et L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad senatum postulata retulerunt: tum senatus bellum indixit Antonio, sed in SC. nonnullorum suasu tumultum appellare maluit, quam bellum. Id Cicero reprehendit, quasi leniore senatu, quam in eum oporteret esse, qui ei non pareret, Mutinamque nihilo segnius post auditam legationem, quam antea, oppugnaret. Deinde cum Caleno, adhuc de pace agente, pacisque commoda commemorante, et Massiliensium commoda oppugnante, acerbe queritur: et simul eos accusat, qui mittendos iterum ad Antonium legatos censuerant. Pisonem et Philippum increpat, qui mandata Antonii, tamquam ejus legati, non tamquam a senatu missi, retulissent. Reprehendit senatores Antonio faventes. Decernendum esse, ut iis, qui cum Antonio sint, potestas detur ad sanitatem redeundi ante idus mart. primas: bene merentibus gratiæ referantur: proficiscendi ad Antonium, excepto ejus legato Q. Vario Cotyla, nemini facultas concedatur. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA OCTAVA.

ORATIO QUINQUAGESIMA.

I. Confusius[1] hesterno dies est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui. Parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere[2]. Nam quum senatus ea virtus[3] fuisset, quæ solet; et quum re viderent omnes esse bellum, quidamque id verbum removendum arbitrarentur; tua voluntas in discessione[4] fuit ad lenitatem propensior. Victa est igitur propter verbi asperitatem[5], te auctore, nostra sententia. Vicit L. Cæsaris[6], amplissimi viri, qui verbi atrocitate dempta, oratione fuit, quam[7] sententia, lenior. Quamquam is quidem, antequam sententiam

I. 1. *Confusius hesterno*, etc. Minus considerate egisti, quam decuit consulem, eum præsertim, quem te ad hunc diem præbueras.

2. *Sustinere*. Parum fortiter visus es adversariorum impetus ferre. Statim enim quasi victus inclinasti, teque eis dedisti.

3. *Ea virtus*. Id est, vigor animi ac constantia in bello decernendo.

4. *In discessione*. Discessit in eam partem Pansa, cui tumultum potius quam bellum vocari placebat : eumque senatus pars major est sequuta.

5. *Verbi asperitatem*. Namque gravius tibi visum est, bellum palam ac usitatis verbis Antonio indici.

6. *L. Cæsaris, amplissimi viri*. Al. *L. Cæsar, amplissimus vir*. J. V. L.

7. *Quam sententia*. Quamquam belli nomen tollendum vir ille censuerit, tamen, ut nos ipsi, necesse esse judicavit, in Antonium exercitus mitti, qui eum e Gallia arcerent. Itaque verbis quasi lenis fuit; sententia autem eadem ac mea erat.

diceret, propinquitatem excusavit. Idem fecerat, me consule, in sororis viro[8], quod hoc tempore in sororis filio, ut et luctu sororis moveretur, et saluti reipublicæ provideret[9]. Atque ipse tamen Cæsar præcepit vobis quodam modo, patres conscripti, ne sibi assentiremini, quum ita dixit, aliam sententiam se dicturum fuisse, eamque se ac republica dignam[10], nisi propinquitate impediretur. Ergo ille avunculus[11]. Num etiam vos avunculi, qui illi estis assensi?

At in quo fuit controversia? Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant; tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest enim esse bellum sine tumultu; tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim[12] aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen[13] ductum est tumultus. Itaque

8. *Sororis viro*. Lentulo. Qui Catilinæ socius, senatus jussu, impellente Cicerone, fuit in carcerem conjectus, ibique strangulatus. Pro eo autem L. Cæsar verba apud patres fecerat. Nunc iterum deprecatur pro Antonio cujus mater soror ipsius erat.

9. *Provideret*. Namque verba tantum quasi mollire est enixus, ne asperiori odio in Antonium invehi videretur senatus, sed sententia eadem ac nos firmus stetit : scilicet Antonium armis esse persequendum.

10. *Republica dignam*. Quia nullis vinculis teneretur, nihilque impediret, quin, quod meretur Antonius, palam profiteretur, et verbis ac re eum urgeret.

11. *Avunculus*. Hanc igitur ille excusationem habet quod ita sit loquutus, quia Antonii avunculus: nec par est eum, in hunc virum, tamquam in ceteros cives insurgere. Vos vero quid causæ estis allaturi, cur ita mutaveritis sententiam; et cur, quum saga sumenda in Antonium decernitis, eum lædere quodammodo verbis vereamini.

12. *Quid est enim aliud*. Al. *quid enim aliud*. Multi MSS non habent *aliud*. J. V. L.

13. *Unde etiam nomen*. Tumultus potest defluere a *timor multus*. Quintilianus qui verbo illi hanc assignat originem, locum illum Ciceronis refert VII, 3, 25. Attamen quamvis a Cicerone ac Quintiliano res illa affirmetur, dubitavere multi quin præstantissimi viri vera proferrent. Itaque loco *major timor*, J. Douza, quem probat Vossius, legebat *major tumor*, et ex hoc verbo tumultum exortum esse declarabat, his fretus exemplis : ad Atticum, XIV, 5, « ne deserere viderer hunc tumorem rerum »; et in Virgil. Georg. I, 465 : « . . . et operta tumescere bella ».

majores nostri, tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus[14], præterea nullum[15] nominabant. Gravius autem tumultum esse, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit. Etenim quum inter bellum et pacem medium nihil sit, necesse est, tumultum, si belli non sit, pacis esse. Quo quid absurdius dici, aut existimari potest? Sed nimis multa de verbo; rem potius videamus, patres conscripti, quam quidem intelligo verbo fieri interdum deteriorem solere.

II. Nolumus hoc bellum videri. Quam igitur municipiis et coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus? quam, ut milites fiant sine vi, sine multa[1], studio et voluntate? quam, ut pecunias in rempublicam polliceantur? Si enim belli nomen tollitur, municipiorum studia tolluntur; consensus populi romani, qui jam descendit in causam, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur : non est bellum? Mutina obsidetur : ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur : quæ potest pax esse certior? Illud vero quis potest bellum esse dicere[2]? Consulem[3], fortissimum virum, cum exercitu misimus; qui quum esset infirmus ex gravi diuturno-

14. *Italiæ finitimus*. Alii non eadem ea causa profluere verba illa arbitrabantur, *tumultum Gallicum*. Contendunt enim bella cum Gallis sic dici, quia omnia evertuntur miscenturque; atque ita turbantur, ut, quasi in violenta rerum agitatione, vix quærere liceat quid agendum supersit.

15. *Nullum*. Al. exhibent *nullum tumultum*. J. V. L.

II. 1. *Sine multa*. Quod interdum fieri solet : nunc autem quomodo milites propria voluntate fiant, quum senatus ipse bellum cum Antonio non esse decreverit.

2. *Dicere?* Al. *dicere, quo v. f.* J. V. L.

3. *Consulem, fortissimum virum*. Hirtium, de quo supra Philipp. VII, pluribus locis.

que morbo, nullam sibi putavit excusationem esse oportere, quum ad reipublicæ præsidium vocaretur. C. quidem Cæsar[4] non exspectavit nostra decreta, præsertim quum esset illud ætatis[5]; bellum contra Antonium sua sponte suscepit. Decernendi enim tempus nondum erat[6]: belli autem gerendi tempus si prætermisisset, videbat, republica oppressa, nihil posse decerni. Ergo illi nunc, et eorum exercitus in pace versantur. Non est hostis is, cujus præsidium Claterna[7] dejecit Hirtius; non est hostis, qui consuli armatus obsistit, designatum[8] consulem oppugnat; nec illa hostilia verba, nec bellica, quæ paullo ante ex collegæ literis Pansa recitavit: « Dejeci præsidium; Claterna potitus sum; fugati equites; prælium commissum; occisi aliquot ». Quæ pax potest esse major? Delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus; saga cras sumentur; consul[9] se cum præsidio descensurum[10] dixit.

Utrum hoc bellum non est? an etiam tantum bellum, quantum numquam fuit? Ceteris enim bellis, maximeque civilibus, contentionem reipublicæ causa faciebat. Sulla cum Sulpicio[11] de jure legum[12], quas

4. *C. quidem Cæsar.* Octavianus, ut arma contra Antonium caperet, non exspectavit, donec decretum esset a nobis bellum, quamvis ita juvenili esset ætate, ut cunctari facillime absque probro potuisset.

5. *Illud ætatis.* Alii, *illius ætatis.* J. V. L.

6. *Erat.* Al. *venerat.* J. V. L.

7. *Claterna.* Oppidum fuit prope viam Æmiliam, Bononiam inter et forum Cornelii, ubi nunc ejusdem nominis flumen procurrit.

8. *Designatum consulem oppugnat.* D. Brutum.

9. *Consul*, etc. Pansa cum præsidio senatum erat petiturus. Descensurus dicitur, quia hoc tempore nobiles Romani omnes in montibus habitabant, et in æquo campo pugnabatur.

10. *Descensurum dixit.* Al. *descens. esse d.* J. V. L.

11. *Sulpicio.* Oratore, quem Cicero loquentem inducit, in libro qui de Oratore inscribitur.

12. *De jure legum.* Quum alias leges contra Sullam, Sulpicius tribunus plebis, fautor Marianarum partium, tulit, quas inter unam proposuerat, ut Mithridatici belli cura, adempta Sullæ cui tradita fuerat, Mario mandaretur: qua lege cognita, Sulla in Urbem reversus, Sulpicium occidit, Mariumque expulit.

per vim latas Sulla dicebat; Cinna [13] cum Octavio de novorum civium [14] suffragiis; rursus cum Mario [15] et Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, et ut clarissimorum hominum [16] crudelissimam puniretur [17] necem. Horum omnium bellorum causæ ex reipublicæ contentione natæ sunt. De proximo bello [18] civili non libet dicere : ignoro causam [19] : detestor exitum.

III. Hoc bellum quintum civile geritur (atque omnia in nostram ætatem inciderunt) : primum [1] non

13. *Cinna*. Marianus, qui consul quater fuit.

14. *Novorum civium*. Ut in omnibus tribubus libertini suffragium ferrent, quum antea in quatuor tantum urbanis ferre soliti essent : his Cinna, inimicus pacis, favebat ; collega autem ejus Octavius adversabatur.

15. *Mario*. C. Marii septies consulis filio, ut testatur Velleius, lib. II.

16. *Clarissimorum hominum*. Marius junior consul, mortuo jam patre, Cinna interempto, L. Licinio Damasippo prætori, non autem Bruto, ut false narrat Appianus, mandavit, ut senatu velut ex alia causa convocato, interficeret eos, qui optimatum causæ, id est, L. Sullæ favere putarentur. Interfecti sunt autem consulares duo, L. Domitius Ahenobarbus, Q. Mucius Scævola, pontifex maxim. prætorius, C. Carbo consulis frater ædilitius, P. Antistius, et cetera fere nobilitas omnis. Antea quoque viri clarissimi, Cn. Octavius consul, L. Cornelius Merula flamen dialis, qui, abrogato Cinnæ consulatu, in ejus locum suffectus erat, et Q. Catulus, qui cum C. Mario seniore, bello Cimbrico, consul fuerat, et M. Antonius orator, consularis, triumphalis, censorius : P. Crassus consularis, L. Cæsar consularis, censorius, ejusque frater ædilitius, C. Cæsar Strabo, a L. Cinna et C. Mario seniore necati fuerant. Potuit itaque Cicero utramque cædem significare, quum in utraque principes optimatum fuerint.

17. *Puniretur*. Tamquam si scriptum esset *puniret* intellige. Verbum illud jam in Miloniana, 13, usurpavit.

18. *De proximo bello*. Quod Cæsarem inter et Pompeium exarsit.

19. *Ignoro causam*. Ciliciam enim administrabat, tunc quum bellum est exortum. Itaque ad Sulpicium scribebat : « Rudis esse videbar in causa ».

III. 1. *Primum non modo*. Primum civile bellum exarsit Marium inter et Sullam, alterum Cinnam inter et Octavium, tertium autem Sullam inter Mariumque juniorem, quartum denique agitaverant inter se Cæsar ac Pompeius : ergo temporum ratione bellum quod nunc tumescit quintum est : sic autem intelligenda est vox illa *primum*, quæ ibi occurrit : hoc bellum civile primum est in quo omnes cives non modo non dissentiant, sed etiam mirabiliter inter se communi consensu consocientur. Muretus in notis suis ait se hunc locum intellexisse, quum omnes antea quid sensus haberet ignorarent ; sed erravit doctissimus vir, namque ex Vaticani scriptura multi locum illum cepissent.

modo non in dissensione[2] et discordia civium, sed in maxima consensione, incredibilique concordia. Omnes idem volunt, idem defendunt, idem sentiunt: quum omnes dico, eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quæ est igitur in medio belli causa posita? Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesque populi romani, penates[3], aras, focos, sepulcra majorum; nos leges, judicia, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, evertat, prædam reipublicæ causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet, partim dispertiat parricidis.

In hac tam dispari ratione belli, miserrimum illud est, quod ille latronibus suis pollicetur, primum domos; urbem enim se divisurum confirmat; deinde omnibus portis, quo velint, deducturum[4]. Omnes Caphones, omnes Saxæ[5], ceteræque pestes, quæ sequuntur Antonium, ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt: atque etiam homines[6] agrestes, si homines illi, ac non pecudes[7] potius, inani spe ad aquas usque et Puteolos provehuntur. Ergo habet Antonius, quod suis polliceatur. Quid nos? num quid

2. *Non in dissensione*. Abest *non*. J. V. L.

3. *Penates*. Multis in manuscriptis vox illa abest.

4. *Deducturum*. Non modo civium romanorum bona latronibus ac sicariis suis pollicetur Antonius; sed promittit se deducturum quo velint, præda onustos; per voces illas *omnibus portis*, orator indicat, nihil fore impedimenti, quin Roma libere exeant.

5. *Omnes Saxæ, ceteræque pestes*. De Q. Deciduo Saxa agitur, de quo rursus Philipp. XIII, et Cæsar in Belli civilis lib. I agit.

6. *Homines agrestes*. Quos minime decet, Baianas aquas, urbanorum ac nobilium hominum proprias cogitare. Unde illud ad Atticum, I, « Quid tibi homini Arpinati, cum aquis calidis ».

7. *Ac non pecudes*. Sic antiqua lectio: « Atque etiam homines illi ac non pecudes potius ». Quam licet nonnulli defendant, nostra potior scriptura videtur, quam quoque optimam judicat Garaton.

tale habemus? Dii meliora[8]. Id enim ipsum agimus, ne quis posthac ejusmodi quidquam possit polliceri. Invitus dico, sed dicendum est. Hasta Cæsaris[9], patres conscripti, multis improbis et spem affert, et audaciam. Viderunt enim, ex mendicis fieri repente divites[10]: itaque hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent; quibus omnia pollicetur Antonius. Quid nos? nostris exercitibus quid pollicemur? Multo meliora atque majora. Scelerum[11] enim promissio et iis, qui exspectant, perniciosa est; et iis, qui promittunt. Nos nostris militibus libertatem, jura, leges, judicia, imperium orbis terræ, dignitatem, pacem, otium pollicemur. Antonii igitur promissa, cruenta, tetra, scelerata, diis[12] hominibusque invisa, nec diuturna, nec salutaria: nostra contra, honesta, integra[13], gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.

IV. Hic mihi etiam Q. Fufius, vir fortis ac strenuus, amicus meus, pacis commoda commemorat. Quasi vero, si laudanda pax esset, ego id æque commode facere non possem. Semel enim pacem defendi? non semper otio studui? quod quum omnibus bonis utile est, tum præcipue mihi. Quem enim cursum[1] industria

8. *Dii meliora.* Quidam, nescio qua mente, reponendum putant *det meliora*, quod nihil sonat. Sæpissime autem in scriptoribus occurrunt voces illæ, *dii meliora.*

9. *Hasta Cæsaris.* Quum Cæsar Pompeii bona sub hasta vendiderat: eadem sententia Cicero Offic. II: «Nec vero umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam, et meminerint et sperabunt».

10. *Repente divites.* Hoc in Antonium videtur præsertim edici, qui ære alieno obrutus, omnia fere Pompeii bona emerat, et inde quodammodo repente dives factus fuisse videbatur.

11. *Scelerum.* Namque omnia quæ pollicebatur Antonius, non nisi per scelus rapi ac possideri poterant.

12. *Diis.* Namque quum leges ferret, fulgura ac tonitrua deorum iram in eum populo romano, ut multis supra locis vidimus, denuntiaverant.

13. *Integra.* Hoc sensu vox illa adhibetur, quo apud Horatium, *integer vitæ.*

IV. 1. *Quem enim cursum.* In oratione quæ antecedit, hæc aliis verbis testatus est orator; locum nos expla-

mea tenere potuisset, sine forensibus causis, sine legibus, sine judiciis? quæ esse non possunt, civili pace sublata. Sed quæso, Calene, quid? tu servitutem [2] pacem vocas? Majores quidem nostri non modo, ut liberi essent, sed etiam, ut imperarent, arma capiebant: tu[3] arma abjicienda censes, ut serviamus. Quæ causa justior est belli gerendi, quam servitutis depulsio? In qua etiamsi non sit molestus dominus, tamen est miserrimum [4], posse, si velit. Immo aliæ causæ justæ, hæc necessaria est. Nisi forte ad te hoc non putas pertinere, quod te socium fore speras dominationis Antonii. In quo bis laberis [5]: primum, quod tuas rationes communibus anteponis; deinde, quod quidquam stabile in regno, aut jucundum putas. Non, si tibi antea profuit [6], semper proderit. Quin etiam, memini, de illo, homine [7], queri solebas: quid te facturum de bellua putas? Atqui ais, eum te esse[8], qui semper pacem optaris, semper omnes cives salvos volueris. Honesta oratio [9]; sed ita, si bonos et utiles reipublicæ cives:

navimus, itaque rursus de hoc disserere prorsus inane esset.

2. *Servitutem*. Hoc erat, in quo omnes, qui Antonii favebant partibus, peccabant. Namque uti tenebras senatorum animis obducerent, de pace semper agebant, eamque maximis quum extollerent laudibus, belli civilis mala omnia explicabant: sed hic optime rationem illam confutat orator, quum pacem a servitute secernit. Nam his in reipublicæ temporibus non agebatur an otiosi, sed potius an liberi possent esse cives romani. Et ita quidquid a Caleno prolatum fuit, in nihilum cadit, tamquam prorsus inutile, si non perfidum.

3. *Tu*. Al. *at tu*. J. V. L.

4. *Est miserrimum*. Id est, quid miserabile magis esse potest, quam libertatem, ex unius hominis arbitrio ac voluntate pendere.

5. *Laberis*. Quum sic agis, bis in sententia tua erras; alii legendum putabant *falleris*.

6. *Antea profuit, semper proderit*. Quum summa rerum potestate Cæsar esset potitus.

7. *De illo, homine*. Queri de Cæsare solebas, quia omnia quæ agebat non probabas; atqui tamen homo ille erat, hoc est, rationem ducem sequebatur, facilis implorantibus veniam dabat; nunc autem quid ages, quum bellua omnium impotentissima, id est, Antonius, regnabit.

8. *Atqui ais, eum te esse*. Al. *atqui is es, qu*. J. V. L.

9. *Honesta oratio*. Tamquam si diceret, bene est: probum virum tua in-

sin eos; qui natura cives sunt, voluntate hostes, salvos velis; quid tandem interest inter te, et illos? Pater quidem tuus, quo utebar sene adolescens, homo severus et prudens, primas omnium civium P. Nasicæ, qui Tib. Gracchum interfecit, dare solebat. Ejus enim virtute, consilio, magnitudine animi, liberatam rempublicam arbitrabatur. Quid? nos a patribus num aliter accepimus? Ergo is tibi civis, si temporibus illis fuisses, non probaretur, quia non omnes salvos esse voluisset. « Quod L. Opimius[10] consul verba fecit de republica, de ea re ita censuerunt, UTI OPIMIUS CONSUL REMPUBLICAM DEFENDERET ». Senatus hæc verbis, Opimius[11] armis. Num igitur eum, si tum esses, temerarium civem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum[12], cujus quatuor filii consulares? P. Lentulum[13], principem senatus? complures alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Aventinum persequuti sunt? quo in prælio Lentulus grave vulnus accepit; interfectus est Gracchus, et M. Fulvius consularis, ejusque duo adolescentuli filii. Illi igitur viri vituperandi: non enim cives omnes salvos[14] esse voluerunt.

V. Ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio,

dicat oratio, sed nihil amplius. Sic in libro de Offic. « vulgo loquuntur, sese in beneficiis collocandis, mores hominum non fortunam sequi ». Alii, *honesta ratio*.

10. *Quod L. Opimius*. Hoc senatus contra C. Gracchum Tiberii fratrem, perniciosas reipublicæ leges in tribunatu ferentem decrevit.

11. *Opimius armis*. Occidit enim C. Gracchum et alios qui cum eo sentirent.

12. *Q. Metellum*. Qui pro prætore ex Macedonia de Andrisco triumphavit; omnes autem filii ejus triumphales erant, Balearicus, Caprarius, Dalmaticus, et is qui de Sardis triumphavit.

13. *P. Lentulum*. Multi omiserant, *principem senatus*; quæ voces autem necessariæ sunt omnino, ut quis fuerit ille Lentulus cognoscere possimus. Has defendit Ferrar. Græv. Grut. Garatonius qui omnibus his scriptoribus applaudit. Alii reposuerunt, *P. Lentulum, principem senatorem*.

14. *Cives omnes salvos*. In hoc semper versatur Cicero, quia Calenus, ficta clementiæ specie, Antonium scelerumque ejus participes viros salvos volebat.

consulibus [1], senatus rempublicam defendendam dedit: L. Saturninus tribunus plebis, Glaucia prætor [2] est interfectus. Omnes illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scævolæ, Crassi, arma sumpserunt. Num aut consules illos, aut clarissimos viros vituperandos putas? Ego Catilinam perire volui [3]. Num tu, qui omnes salvos vis, Catilinam [4] salvum esse voluisti? Hoc interest, Calene, inter meam sententiam, et tuam: ego nolo quemquam civem committere [5], ut morte multandus sit; tu, etiamsi commiserit, conservandum putas. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat [6], uri secarique patimur; ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur. Dura vox [7]. Multo illa durior: Salvi sint improbi, scelerati, impii; deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica. Uno in homine, Q. Fufi, fateor te vidisse plus [8], quàm me. Ego

V. 1. *Consulibus*, etc. Quæ res fusius narratur in oratione pro Rabirio, sub initio.

2. *Glaucia prætor*. Muret. ex Vaticani auctoritate, scribendum huic verbo prænomen *Caius* putabat. Nulli hanc admisere conjecturam.

3. *Perire volui*. Obiter de Catilina ibi dicit Cicero, quum contra de hac conjuratione detecta multis verbis solitus sit disserere. Forsan paucissimis vocibus ibi rem absolvit, quod invidiosum fuerat illud, vereretur que ne animos senatorum in se concitaret.

4. *Catilinam*. Cives perditissimos Caleno objicit, ut ostendat, primum, quam absurda sit ejus sententia, qui omnes vivere malit; deinde quibuscum civibus societatem iniisse videatur.

5. *Committere*. Hoc modo agendum censeo, quo ita malorum civium prava consilia detegantur, et opprimantur, ut longius ire, ac mortem ideo mereri non possint. Tu contra, quum omnes superstites esse vis, bonos cives parricidarum audaciæ permittis.

6. *Corpori noceat*. Usitatum est imperii corpus, cum humano corpore conferre, et multos apud auctores res illa sæpius multis modis fuit expressa.

7. *Dura vox*. Numquàm palam sententiam suam de Antonio profiteri sustinet. Cicero, quin aliqua adjiciat, quibus res minus aspera videatur.

8. *Vidisse plus*. Id est, multo rectius sensisse quam me. Ironice omnino scriptus est hic locus: Calenum orator vituperat, quod, quum Clodius de incestu accusatus fuisset, eum defenderit.

P. Clodium arbitrabar perniciosum civem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum: tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum civem et optandum. In hoc uno te plurimum vidisse, multum me errasse[9] concedo.

Nam quod[10] me tecum iracunde agere dixisti solere; non est ita. Vehementer[11] me agere fateor, iracunde nego. Omnino irasci amicis non temere soleo; ne si merentur quidem. Itaque sine verborum contumelia a te dissentire possum, sine animi summo dolore non possum. Parva est[12] enim mihi tecum, aut parva de re dissensio? ego huic videlicet faveo, tu illi? Immo vero ego D. Bruto faveo, tu M. Antonio; ego conservari[13] coloniam populi romani cupio, tu expugnari[14] studes.

VI. An hoc negare[1] potes, qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat[2] Antonius? Quousque enim dices[3], pacem velle te? Res geritur; conductæ vineæ[4] sunt; pugnatur acerrime. Qui intercurrerent, misimus tres principes[5] civitatis;

9. *Multum me errasse concedo.* Namque res confirmavit quis nostrum melius senserit: et Q. Annii Milonis facinus, viri sapientissimi manifeste declaravit, an servandus esset ac retinendus P. Clodius.

10. *Nam quod.* Abest *quod.* J. V. L.

11. *Vehementer.* His autem in Philippicis orationibus videtur orator, non vehementer quidem plurimis in locis, sed iracunde agere; utpote qui in Antonium omni eloquentiæ flumine invehatur, et verbis urgeat, quæ lingua nostra explicare recuset, quæque in mentem nullo modo, nisi maxime iratam cadere potuerint.

12. *Parva est* Quin immo maxima, quum alter libertatem populi romani, alter servitutem malit.

13. *Conservari.* Olim, *conservare.*

14. *Expugnari.* Olim, *expugnare.* J. V. L.

VI. 1. *An hoc negare.* Num mihi inficias ire potes, quum te coloniam populi romani expugnare velle contendo?

2. *Melior fiat.* Id est, potentior. Hoc sensu Græci κρείττων dicunt. Sic quoque Horat. « Tydides melior patre ».

3. *Dices.* Al. edd. exhibent *dicis.* J. V. L.

4. *Conductæ vineæ.* Rarissime vox illa sic usurpatur: namque dicitur frequentissime *vineas agere.* Conducere ibi idem sonat, ac una ducere, simul agere: sic saltem locum viri peritissimi intellexerunt.

5. *Tres principes.* Vidimus supra

hos contempsit, rejecit, repudiavit Antonius. Tu tamen permanes constantissimus defensor Antonii. Et quidem, quo melior senator videatur, negat se illi amicum esse debere; quum suo magno esset beneficio[6], venisse eum contra se[7]. Vide, quanta caritas sit patriæ. Quum homini sit iratus, tamen reipublicæ causa defendit Antonium. Ego te, quum in Massilienses tam sis acerbus, Fufi, non animo æquo audio. Quousque enim Massiliam oppugnabis[8]? ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem lata est urbs[9] ea, sine qua numquam ex Transalpinis gentibus majores nostri triumpharunt. Quo quidem tempore populus romanus ingemuit. Quamquam enim proprios[10] dolores suarum rerum omnes habebant; tamen hujus civitatis fidelissimæ miserias, nemo erat civis, qui a se alienas arbitraretur. Cæsar ipse, qui illis fuerat iratissimus,

L. Pisonem, L. Philippum, Serv. Sulpicium esse.

6. *Esset beneficio*. Quum ab eo magnum Antonius beneficium accepisset. Notandum autem loquendi genus illud, quod perquam rarum est. Usus est eo Cicero in epist. ad Curium, ad Div. VII, 30; alibi vero nusquam, quod quidem observaverim. « Atilius, inquit, qui in Græciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est: bis enim est a me judicio, rebus salvis, defensus ».

7. *Contra se*. In judicio contra rem suam. Sic enim loquutus est Phil. II, 2, « contra rem suam, me nescio quando venisse questus est; » subaudiendum est ibi *dicit*, aut *testatur*, namque hæc omnia jam in *negat*, quod superius est, non cadunt.

8. *Massiliam oppugnabis*. Oppugnabat Massiliensium commoda Q. Calenus. Nam in senatu actum esse, ut iis redderentur adempta a Cæsare, facile est intelligere ex iis Antonii verbis, quæ Philipp. XIII recitantur: « Massiliensibus jure belli adempta redditurос vos pollicemini ».

9. *Lata est urbs*. Captarum urbium simulacra in triumphi pompa ferebantur. Massiliæ casum Cicero iisdem ferme deplorat verbis Off. II, 8, ubi sic est scriptum: « Ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt ».

10. *Quamquam enim proprios dolores suarum rerum omnes habebant*. Naug. interposuit *enim*, quod sensum illustrat, retinuerunt id quidem Cam. Gryp. et Lamb. Gruterusque ac recentiores. Sed abest a MSS Ferr. Barb. et Vatic. et ab edd. Rom. Ven. Ald. quos Græv. cum suo præterea codice habet auctores.

tamen, propter singularem ejus civitatis gravitatem et fidem, quotidie aliquid iracundiæ remittebat : te nulla sua calamitate civitas satiare tam fidelis potest? Rursus me jam irasci fortasse dices. Ego autem sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore : Neminem illi civitati inimicum esse arbitror, qui amicus sit huic civitati. Excogitare, quæ tua ratio sit, Calene, non possum. Antea deterrere te, ne popularis esses, non poteramus : nunc exorare, ut sis popularis, non possumus [11]. Satis multa cum Fufio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. Credo autem, qui generi [12] querelam [13] moderate ferat, æquo animo laturum amici.

VII. Venio nunc ad reliquos consulares, quorum est nemo (jure hoc meo dico [1]), qui non mecum habeat aliquam conjunctionem gratiæ, alii maximam, alii mediocrem; nemo nullam. Quam hesternus dies nobis, consularibus dico, turpis illuxit? Iterum legatos? Quid? ille faceret inducias [2]? Ante consulem, oculosque legatorum [3], tormentis Mutinam verberavit; opus ostendebat, munitionemque legatis; ne punctum quidem temporis, quum legati adessent, oppugnatio

11. *Nunc exorare, ut sis popularis, non possumus.* Alii, « ut nunc sis popularis, exorare non possumus ». J. V. L.

12. *Credo autem, qui generi*, etc. Pansæ scilicet consulis; qui propterea primum eum sententiam rogabat, ut est Philipp. X, 1.

13. *Querelam*. Fortasse conquestus erat sæpius Pansa, quod Antonii partes acrius Calenus foveret. Itaque non dubitat orator, quin de re eadem, in eum quoque invehatur.

VII. 1. *Hoc meo dico*. Al. *meo hoc d*. J. V. L.

2. *Ille faceret inducias?* Multi scripsere : « ille ut faceret inducias? » unde duplex oritur sensus. Prior est, si pendeant verba illa ex superiori interrogatione, « iterum legatos? » Quam ob causam? ut faceret nobiscum Antonius inducias? quasi vellet dicere, turpe esse senatui populoque romano inducias cum Antonio quærere aut facere. Alter est sensus, Antonium inducias esse numquam facturum. Nam particula illa *ut* interdum rei habet deploratæ significationem : sicut probant ea Cic. in Cat. I, 9 : « Quamquam quid est quod loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? »

3. *Legatorum*. Multis modis tentatus fuit hic locus : vulgatam nos sequuti sumus lectionem.

respiravit. Ad hunc legatos? cur? an ut eorum reditu vehementius pertimescatis[4]?

Equidem quum antea legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod quum illi ab Antonio contempti et rejecti revertissent, dixissentque senatui, non modo illum e Gallia non discessisse[5], uti censuissemus, sed ne a Mutina quidem recessisse, potestatem sibi D. Bruti conveniendi[6] non fuisse, [putabam] fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus. Nos etiam languidiores facti sumus, postquam Antonii non solum audaciam et scelus, sed etiam insolentiam superbiamque perspeximus. Utinam L. Cæsar valeret, Servius Sulpicius viveret[7]! multo melius hæc causa ageretur a tribus, quam nunc agitur ab uno. Dolenter hoc dicam potius, quam contumeliose. Deserti, deserti, inquam, sumus, patres conscripti, a principibus[8]. Sed, ut sæpe jam dixi, omnes in tanto periculo, qui recte et fortiter sentient, erunt consulares. Animum[9] nobis afferre legati debuerunt; timorem attulerunt: quamquam mihi quidem nullum, quamvis de illo[10], ad quem

4. *Pertimescatis*. Namque maximum metus indicium est vos legatos ad talem virum misisse; nunc quum iterum re infecta recurrent, quantus urgebit vos pavor, quum videritis nullo modo Antonium cessare, propiusque jam nostris imminere cervicibus!

5. *Non discessisse*. Ernestius delet *non*. J. V. L.

6. *Conveniendi*. Senatus mandaverat legatis, uti D. Brutum inviserent, animosque ejus confirmarent. Prohibuit autem Antonius, ne reipublicæ causam gnaviter magis capesseret Brutus.

7. *Sulpicius viveret*. Vidimus supra eum in legatione morte fuisse oppressum. Pro eo nonam Cicero Philippicam scripsit.

8. *A principibus*. Consulares viros intelligit, qui aut Antonio favebant, aut mollius rempublicam tuebantur.

9. *Animum*. Ad ulciscendam, quam nobis intulerat injuriam, Antonius. Namque quum ita contempta est senatus auctoritas, necesse erat nos arma capere, et pristinam auctoritatem ac paternum decus recuperare, per segnitiem amissum.

10. *Nullum, quamvis de illo*, etc. Al. *nullum umquam timorem, quamv.* J. V. L.

missi sunt, bene existiment; a quo etiam[11] mandata acceperunt.

VIII. Proh, dii immortales! ubi est ille mos[1] virtusque majorum? C. Popillius[2], apud majores nostros, quum ad Antiochum regem legatus missus esset, et verbis senatus denuntiasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat: quum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit; dixitque, se renuntiaturum[3] senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet. Præclare: senatus enim faciem[4] secum attulerat, auctoritatem populi romani: cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est totus repudiandus[5]. An ego ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? aut ei cum senatu quidquam commune judicarem, qui imperatorem[6] populi romani, senatu prohibente, obsideret? At quæ mandata? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu?

11. *A quo etiam*. Legatos vituperat, qui ita imbecilli animo fuere, uti non solum Antonium facta nefaria excusantem audirent, sed et ab eo mandata ad senatum reportarent, quæ, ut indigna munere suo, rejicere debuissent.

VIII. 1. *Ubi est ille mos*. Acidalius ad Velleium, I, 10, emendabat: « Ubi est ille animus virtusque majorum ». Sed nimium a libris dissentit absque ulla necessitate. Pro Planco, c. 13, affinis occurrit locus: « Ubinam ille mos? ubi illa æquitas juris? ubi illa antiqua libertas? »

2. *Popillius*. Popillius Lenas: factum Historiar. libro XXXIV narrat Titus Livius.

3. *Se renuntiaturum*. Al. *se non ante ren*. J. V. L.

4. *Senatus faciem*. Majestatem et dignitatem, quæ nullo modo vanis dilationibus se ludi patiebatur. Laudat eum autem orator, quia legati semper præ se ferre, eorum, qui mittunt, auctoritatem et majestatem debent. Inde autem apparet, quantum imbelles ac timidi fuerint, qui Antonium, non modo non circumscripserunt, sed etiam mandata senatui dantem renuntiavere.

5. *Totus repudiandus*. Quidam arbitrati sunt scribendum esse *potius*: quod quidem in Vaticano occurrit. Sed non ita insolita est lectio illa, *totus repudiandus*, ut rejiciatur. Optimi edd. servavere *totus*.

6. *Qui imperatorem populi romani, senatu*, etc. D. Brutum scilicet, quem senatus decretis, quæ supra perlegimus, optime de republica meritum declaraverat.

Cur autem ea legatis nostris dabat, quum ad nos Cotylam[7] mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum, hominem ædilitium? si vero tum fuit ædilis, quum eum jussu Antonii in convivio servi publici[8] loris ceciderunt.

IX. At quam modesta mandata! Ferrei sumus, patres conscripti, qui quidquam huic negemus. « Utramque provinciam, inquit, remitto; exercitum depono; privatus esse[1] non recuso ». Hæc sunt enim verba. Redire ad se videtur. « Omnia obliviscor, in gratiam redeo. » Sed quid adjungit? « Si legionibus meis sex, si equitibus, si cohorti prætoriæ prædam[2] agrumque dederitis. » His etiam præmia postulat, quibus ut ignoscatur, si postulet, impudentissimus judicetur. Addit præterea, « quos ipse cum Dolabella dederit agros, teneant ii, quibus dati sint[3] ». Hic est Campanus ager, et Leontinus, quæ duo majores nostri annonæ perfugia ducebant. Cavet mimis, aleatoribus, lenonibus; Caphoni etiam, et Saxæ cavet, quos centuriones pugnaces et lacertosos, inter mimorum et mimarum greges collocavit. Postulat præterea, « ut chirographorum[4] et commentariorum sua collegæque sui decreta[5] maneant ». Quid laborat, ut habeat, quod quisque mercatus est, si, quod accepit[6], habet[7] qui

7. *Cotylam*. L. Varium Cotylam, de quo etiam infra.

8. *Servi publici*. Eadem Phil. XIII narrantur.

IX. 1. *Privatus esse*. Non omnes literas Antonii recitat Cicero, et sane post hæc verba scriptum erat: « dummodo privati quoque sint Brutus et Cassius ». Nam necesse est aliquid tale fuisse scriptum, ut cetera intelligantur quæ paullo inferius, eodem capite, narrat.

2. *Prædam*. Ernest. conjicit *præmia*. J. V. L.

3. *Sint*. Al. *sunt*. J. V. L.

4. *Chirographorum*. Cæsaris scilicet, in quibus Antonius multa esse finxerat quæ non erant.

5. *Collegæque sui decreta maneant*. Tamquam ex chirographis ac commentariis Cæsaris.

6. *Si, quod accepit*. Al. *si quid a*. J. V. L.

7. *Habet*. Al. *habeat*. J. V. L.

vendidit[8]? « Et ne tangantur rationes ad Opis[9] » : id est, ne septies millies[10] recuperetur. « Ne fraudi[11] sit septemviris, quod egissent ». Nucula hoc, credo, admonuit : verebatur fortasse, ne amitteret tantas clientelas[12]. Caveri etiam vult « iis, qui secum sunt, quidquid contra leges[13] commiserint[14] ». Mustellæ et Tironi prospicit : de se nihil laborat[15]. Quid enim commisit umquam? num aut pecuniam publicam attigit, aut hominem occidit, aut secum habuit armatos? Sed quid est, quod de iis[16] laboret? Postulat enim, « ne sua judiciaria lex abrogetur ». Quo impetrato, quid est quod metuat? an ne suorum aliquis a Cyda, Lysiade, Curio[17] condemnetur? Neque tamen nos urget mandatis pluribus; remittit aliquantum, et relaxat. « Galliam, inquit, togatam remitto, comatam postulo. » Otiosus[18] videlicet esse mavult. « Cum sex legionibus, inquit, iisque suppletis ex D. Bruti exercitu », non modo ex delectu suo : « tamdiuque ut obtineat, quamdiu M. Brutus, C. Cassius, consules,

8. *Qui vendidit.* Si habet ipse pecuniam quam ab emptoribus accepit, quid ita de iis qui emerunt laborat?

9. *Rationes ad Opis.* Ne quid immutaretur iis tabulis, in quibus dissipatæ ab Antonio pecuniæ confecta ab ipso ratio exstabat. Dissipaverat autem septies millies; quam pecuniam in unum coegerat Cæsar.

10. *Septies millies.* Al. *sestertium septies millies.* J. V. L.

11. *Ne fraudi sit.* Ne noceat septemviris agrorum divisio. — *Nucula.* Fuit unus ex septemviris, qui dividebant.

12. *Tantas clientelas.* Quantas sibi comparavere, quum agros ita populo largiti sunt.

13. *Leges.* De agris dividendis latas.

14. *Commiserint. Commiserunt* Aldus primus induxerat. Verbum vero ex edd. pr. et MSS restitutum. J. V. L.

15. *De se nihil laborat.* Quia se ipsum non nominat, sed de iis loquitur, qui secum sunt. Itaque de se laborare videtur, tamquam bene gestæ rei conscientia fretus : itaque ironice Cicero subjungit : « Quid enim commisit? »

16. *De iis.* De Mustella et Tirone; nam si manet lex Antonii judiciaria, quamvis nocentissimi, omnes tamen absolventur.

17. *Curio.* De tribus his viris jam in Philippica quinta dictum est.

18. *Otiosus.* Quum togatam remittit, eam postulat quæ multo magis est ad bellum accommodata. Itaque ironice dictum : « Otiosus videlicet esse vult ».

prove coss. provincias obtinebunt». Hujus comitiis C. frater (ejus est enim jam annus) jam repulsam[19] tulit. « Ipse autem ut quinquennium, inquit, obtineam. » At istud vetat lex Cæsaris[20]. Et tu[21] acta Cæsaris defendis?

X. Hæc tu mandata[1], L. Piso, et tu, L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? Sed, ut suspicor, terror erat quidam[2]; nec vos ut legati apud illum fuistis, nec ut consulares; nec vos vestram, nec reipublicæ dignitatem tenere potuistis. Et tamen, nescio quo pacto, sapientia quadam[3], credo, quod ego non possem[4], non nimis irati revertistis. Vobis M. Antonius nihil tribuit, clarissimis viris, legatis populi romani. Nos, quid non legato M. Antonii Cotylæ[5] concessimus? Cui portas

19. *Repulsam tulit*. Quæ ut intelligantur, nulla desunt, quamvis hoc contendant quidam commentatores. M. Brutus, C. Antonius, et C. Cassius, prætores eodem anno fuerant, et una consulatum erant petituri, quum duo anni præturam inter et consulatum intercessissent. Antonius vero, privatus absque ulla auctoritate esse nolebat, dum Brutus Cassiusque rempublicam consules aut proconsules regerent. Itaque eos esse consules fingit, et ob eam causam provinciam sibi per quinquennium decerni postulat. Necesse est in mentem sibi revocare, A. Hirtium et Pansam consules esse, et post hos C. J. Cæsarem designavisse D. Brutum et L. Plancum.

20. *Vetat lex Cæsaris*. Quæ consulares provincias ultra biennium obtineri vetabat.

21. *Et tu*. Al. *et tua*. J. V. L.

X. 1. *Hæc tu mandata*. De his ita ad Cassium scripsit : « Nihil fœdius Philippo et Pisone legatis : qui quum essent missi, ut Antonio, ex senatus sententia, certas res nuntiarent; quum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt ». Dio, lib. XLVI, res illas narrat.

2. *Terror erat quidam*. Quod indecorum maxime et inhonestum consularibus viris, qui senatus faciem populique romani auctoritatem ac majestatem præ se ferre debuissent.

3. *Sapientia quadam*. Ironice eos laudat quod non irati fuissent in Antonium, qui tam fœda et intolerabilia senatui renuntiaturos mittebat. Dat autem his verbis intelligendum, legatos non ita optime de republica sentire. Subjungit autem, ut quam sit dissimilis eorum ostendat, « quod ego non possem ».

4. *Non possem*. Olim, *non possum*. J. V. L.

5. *Cotylæ concessimus?* L. Vario Cotylæ, qui legatus Antonii ad senatum venerat.

hujus urbis patere jus non erat[6], huic hoc templum patuit; huic aditus in senatum fuit; hic hesterno die sententias nostras in codicillos[7], et omnia verba referebat; huic se etiam summis honoribus usi contra dignitatem suam venditabant[8]. O dii immortales! quam magnum est, personam in republica tueri principis[9]! quæ non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium. Domum recipere legatum hostium, in cubiculum admittere, etiam seducere[10], hominis est, nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem est periculum? nam si maximum in discrimen venitur[11], aut libertas parata est victori[12], aut mors exposita victo: quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest. Turpis autem fuga mortis omni est morte pejor. Nam illud quidem non adducor ut credam, esse quosdam, qui invideant alicujus constantiæ[13], qui labori[14]; qui, ejus perpetuam in republica adjuvanda voluntatem et a senatu, et a populo romano probari, moleste ferant. Omnes quidem id facere[15] debebamus; eaque erat non modo apud majores nostros, sed etiam nuper summa laus consula-

6. *Jus non erat.* Al. exhibent *jus non fuit.* J. V. L.

7. *In codicillos.* Ut Antonio referret: quod nostra dignitate maxime erat indignum, namque inter nos, proditorem habebamus, non legatum. Quum autem eum non extemplo curia ejecimus, quanto modestiores ac magis verecundi fuimus Antonio, qui legati nomen ac decus in homine perdito ac facinoroso observavimus!

8. *Venditabant.* Id est, ad eum accedebant, summoque habebant honore, ne quid scilicet in ipsos gravius, apud Antonium moliretur.

9. *Principis.* Quam arduum est, se præstare ubique civitatis principem, id est, agere semper, ut virum fortem ac civem patriæ devotum decet!

10. *Seducere.* Male olim, *reducere.* J. V. L.

11. *Venitur.* Al. *venietur.* J. V. L.

12. *Est victori.* Alii, *victori est.* J. V. L.

13. *Alicujus constantiæ.* His verbis designat aliquot senatores infestos esse sibi atque inimicos, qui non probent studium illud acre, quo libertatem amplexus tuebatur.

14. *Labori.* Al. *laboribus.* J. V. L.

15. *Id facere.* Debebamus facere omnes id quod ego egi, id est, semper in excubiis pro republica stare, et eam omni modo defendere.

rium, vigilare, adesse animo, semper aliquid pro republica aut cogitare, aut facere, aut dicere. Ego Q. Scævolam augurem [16] memoria teneo, bello [17] Marsico, quum esset summa senectute, et perdita valitudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem : neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; senexque et debilis, primus veniebat in curiam. Hujus industriam, maxime quidem [18] vellem, ut imitarentur ii, quos oportebat; secundo autem loco, ne alterius labori [19] inviderent.

XI. Etenim, patres conscripti, quum in spem libertatis sexennio post simus ingressi [1], diutiusque servitutem perpessi, quam captivi frugi et diligentes solent [2] : quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores, liberandi populi romani causa, recusare debemus? Equidem, patres conscripti, quamquam hoc honore [3] usi, togati esse solent, quum est in sagis civitas, statui tamen a vobis, ceterisque civibus, in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione reipublicæ, non dif-

16. *Scævolam augurem*. Ille C. Lælii Sapientis gener fuit, socer autem L. Crassi oratoris. In principio libri de Amicitia de eo agitur. Quidam contendunt eum quoque fuisse pontificem maximum : haud scio an recte : nam si fuisset, hoc eum nomine dixisset Cicero.

17. *Bello Marsico*. Quod a Marsis est ortum.

18. *Quidem*. Al. *equidem*. J. V. L.

19. *Alterius labori*. Rursus de se agit, quia ob hanc unam causam Antonii partes quidam fuerant amplexi, quod Cæsarem Octavianum omni ope Cicero adjuvaret.

XI. 1. *Simus ingressi*. Sexto denique anno; post ortum enim civile bellum, a consulatu Marcelli, ac Publii Lentuli, anno 704, quo Cæsar Urbe potitus fuerat, ad Pansæ et Hirtii consulatum sex anni effluxerant. Quidam delebant *post*, et inde locus pæne inextricabilis videbatur.

2. *Quam captivi frugi et diligentes solent*. Eo turpius fuit servitium, quod illud perpessi sumus diutius quam homines bello devicti. Ex hoc loco quidam conjecere, captivis libertatem dari ante sex annorum spatium, dummodo diligentes forent, ac gererent dominis morem.

3. *Quamquam hoc honore usi, togati esse solent*, etc. Sic est intelligendum : Quamquam mos sit, ut omnes, qui hoc honore, id est, consulatu usi sint, togati maneant, dum saga ceteris a civibus sumuntur.

ferre vestitu. Non enim ita gerimus nos[4] hoc bello consulares, ut æquo animo populus romanus visurus sit nostri honoris insignia, quum partim e nobis ita timidi sint, ut omnem populi romani beneficiorum memoriam[5] abjecerint; partim ita a republica aversi, ut huic se hosti favere præ se ferant; legatos nostros ab Antonio despectos esse, et irrisos, facile patiantur; legatum Antonii sublevatum[6] velint. Hunc enim reditu[7] ad Antonium prohiberi negabant oportere, et in eodem excipiendo sententiam meam corrigebant[8]. Quibus geram morem. Redeat ad imperatorem suum Varius[9], sed ea lege, ne umquam Romam revertatur. Ceteris[10] autem, si errorem suum deposuerint, et cum republica in gratiam redierint, veniam et impunitatem dandam puto.

Quas ob res ita censeo: «Eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut ad C.[11] Pansam, aut ad A. Hirtium[12] consules, aut ad Decimum Brutum imperatorem, consulem designatum, aut ad C. Cæsarem pro prætore, ante idus martias[13] primas

4. *Gerimus nos*. Non hanc animi constantiam præ se nostrum quisque tulit, non ita senatus dignitatem ac populi romani majestatem tutati sumus, ut possimus honoris insignia servare.

5. *Memoriam*. Obliti omnino se per populum illum quem produnt, ad consulatum fuisse provectos, latam viam Antonio ad imperium grassanti patefaciunt; et hos ipsos servire volunt, per quos ceteris aliquamdiu imperavere.

6. *Sublevatum*. Tamquam si munus illud, quod ei ab Antonio fuit impositum, gravius esset, illum modis omnibus adjuvant; et omni ope ei favent, ut libere ad Mutinam reverti liceat.

7. *Hunc enim reditu*. Olim, *huic enim reditum*. J. V. L.

8. *Corrigebant*. Impugnabant sententiam meam, quum prohiberem ne in Urbem admitteretur.

9. *Varius*. Varius scilicet Cotyla.

10. *Ceteris*. Omnibus, qui Antonii partes amplexi sunt, cumque eo Mutinam obsident.

11. *C. Pansam*. Abest *C.* J. V. L.

12. *A. Hirtium*. Abest *A.* J. V. L.

13. *Idus martias primas*. Ante eum diem, qui primus iduum nomine appellabitur. Multi autem verba illa rejicienda putabant, tamquam paullum usitata. Quum autem manuscriptorum auctoritate defendantur, nos servanda censuimus.

adierint, iis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint. Si quis eorum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod honore præmiove dignum esse videatur; uti C. Pansa, A. Hirtius consules, alter ambove, si eis videbitur, de ejus honore, præmiove, primo quoque die ad senatum referant. Si quis post hoc senatusconsultum ad Antonium profectus fuerit, præter L. Varium [14], senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse ».

14. *L. Varium.* Nam huic uni legato potestatem ad Antonium revertendi fecimus. Nec ei fraudi erit, si eum ad Mutinam invisat.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA NONA

ARGUMENTUM.

Legatos ad Antonium mittendos elegerat senatus L. Pisonem, L. Philippum, ac Serv. Sulpicium juris peritissimum. In hoc Servio spes omnium erant positæ; qui, quamvis gravi esset morbo afflictus, senatui paruit, et postridie est profectus; quum autem ad Antonii castra pervenisset, supremam diem obiit. Dum vero de Antonii responsis ageretur apud senatum, Pansa consul censuit justos honores tribuendos esse Serv. Sulpicio, qui in munere obeundo fuerat exstinctus, statuamque erigendam, sepulturam publice decernendam, monumentumque inchoandum. P. Servilius, primus sententiam rogatus, de sepultura ac sepulcro dicta probavit; sed statuam erigi debere negavit, quia honor ille iis erat tantum habendus, qui violenta nece occubuissent. Cicero autem, longa cum Sulpicio familiaritate incitatus, et odio in Antonium motus, omnes honores decernendos esse putavit, qui hoc in tempore Sulpicium decorare possent.

Tum nonam Philippicam egit, eloquentiæ flumine ac sententiarum gravitate maxime commendandam. Quæ protulit Servilius, primum confutat; veteres enim, quum statuam ponendam in honorem legati decernerent, qui in munere obiisset, non genus mortis, sed mortem ipsam intuebantur. His honoribus et virtutem mercede donare, et ceteros ad capessendam reipublicæ causam incitare aggressi sunt. Quis autem dubitare possit, quin Sulpicius supremam obierit diem, quia officio functus est suo? ægrum ac languentem, si Romæ mansisset, amantissima uxor et devotissimus filius refecissent; dum contra longi itineris defatigatio erat oppressura. Itaque sua sponte reipublicæ causam vitæ suæ præposuit, et morte simul est oppressus, atque in Antonii castra pervenit.

Postquam orator recensuit quot dotibus floruerit Serv. Sulpicius, profitetur statuam quidem ad memoriæ gloriam inutilem esse, sed non ad senatus gratiam : quæ si erigatur, æternum stabit Antonii opprobrium; testisque mansurus, impii quem suscitavit ille vir tumultus. Postremo decretum, quod cum C. Pansæ consulis oratione mire congruit, proponit. Quæ omnia

senatus rata fecit, Pomponiusque statuam se vidisse profitetur. Quidam etiam retulere verba in basi inscripta, sed adeo indigesta, ut Ever. Otto censuerit ea fuisse a recentioribus quodammodo composita.

ALIUD ARGUMENTUM.

Referente Pansa consule de honore Serv. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Pisone et Philippo missus prope castra quidem pervenerat, sed antequam senatus mandata exponeret, obierat; P. Servilius sententiam rogatus decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit: quod statuæ decerni solerent iis, qui in ipsa legatione essent interfecti, non quibus mortem casus attulisset. Post eum Cicero rogatus honorem sepulcri Sulpicio non ademit, sed eum omnino statua ornandum esse censuit, ea potissimum ratione usus, quod, quum ad Antonium gravi affectus morbo sit profectus, non ei casus, verum ipsa legatio mortem attulisse videatur, atque in hanc sententiam graviter, ornate, copiose disputat. SC. in ejus sententiam factum esse ex eo perspicitur, quia Pomponius de Origine Juris exstare pro Rostris Augusti statuam illam auctor est. P. Manut.

M. T. CICERONIS ORATIONES.

PHILIPPICA NONA.

ORATIO PRIMA ET QUINQUAGESIMA.

I. Vellem, dii immortales fecissent, patres conscripti, ut vivo potius Serv. Sulpicio [1] gratias ageremus, quam honores mortuo quæreremus. Nec vero dubito, quin, si ille vir legationem renuntiare potuisset, reditus ejus et nobis gratus fuerit, et reipublicæ salutaris futurus: non quo L. Philippo et L. Pisoni aut

I. 1. *Ut vivo potius Serv. Sulpicio gratias ageremus*, etc. Sulpicius nobili ac patricio genere ortus erat, ætate moribusque cum Tullio familiarissime erat conjunctus; nulla inter eos umquam exstiterant dissidia, quamvis lepide eum irrisisset Cicero, quum orationem pro Murena habuit. Notum omnibus, quid Ciceroni Sulpicius scripserit (ad Div. IV, 5), ut eum morte filiæ solaretur. Quamvis aliquot dotibus floreret, sensit ipse se numquam primas oratoriæ artis partes tenere posse, et jureconsultum se tantummodo professus est: neminemque latet, Romæ dignitates præmiaque oratoribus ac jureconsultis æque concedi. Cum Marcello, anno 702, Sulpicius consulatum iniit. Optime jus antiquum novumque callebat, moresque et usus noverat. Ad hoc usque tempus jus erat tantum moles rudis indigestaque, nullo ordine descripta; quod autem Sulpicius, ut Cicero de claris Oratoribus, cap. 4, testatur, in unum redegit corpus, sic densissimis tenebris lucem infudit, jurisque studium multo facilius hoc modo præstitit. Præterea, ut animo erat miti atque pacis amantissimo, cives semper inter se conciliare nitebatur, antequam res ante tribunal ageretur. Rempublicam quoque hoc semper modo gubernavit; pacem ac libertatem semper fovit: semper varias partes conjungere adnixus est. Neque Pompeio, neque Cæsari favit. Quamvis eum donis cumulasset Cæsar, non leges ejus actaque probavit; dictatore exstincto, semper operam omnem in libertatem servandam contulit, morteque, dum talia animo meditaretur, est oppressus.

studium, aut cura defuerit in tanto officio tantoque munere; sed quum Serv. Sulpicius ætate illos anteiret, sapientia omnes[2], subito ereptus e causa[3], totam legationem orbam et debilitatam reliquit. Quod si cuiquam justus honos habitus est in morte legato, in nullo justior, quam in Serv. Sulpicio, reperietur. Ceteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitæ periculum sine ullo mortis metu profecti sunt: Serv. Sulpicius cum aliqua perveniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla revertendi. Qui quum ita affectus esset, ut, si ad gravem valitudinem labor viæ accessisset, sibi ipse diffideret, non recusavit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicæ ferre posset, experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingravescens retardavit: quumque jam ad congressum colloquiumque ejus pervenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita.

Ut igitur alia, sic hoc, C. Pansa, præclare, quod nos ad honorandum Serv. Sulpicium cohortatus es, et ipse multa copiose de illius laude dixisti. Quibus a te dictis, nihil præter sententiam dicerem, nisi P.[4] Servilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ

2. *Illos... omnes,* Al. habent, *illis... omnibus*. J. V. L.

3. *Ereptus e causa*. *E causa* primus addidit Gruter. e Palat. sec. et jam Ferrarius e suis codd. eruerat et probarat. J. V. L.

4. *P. Servilio*. P. Servilius, qui his in Philippicis semper Ciceroni adversus apparet, nobili genere erat oriundus. A Servilio ortum ducebat, qui Isauricus erat cognominatus, consulque cum Cæsare, incipiente bello civili, fuerat. Quamvis studium pro republica jactaret, uti cum Antonio erat conjunctus, devotos sibi habebat omnes qui cum eo contra libertatem consilia inibant. Semper Ciceroni obsistere conabatur, et quidquid sapientissimum ille proferebat, impugnare: illudque sibi non in minimis laudum futurum judicabat, si semper Tullio adversaretur. In epistola ad Brutum, cap. 20, de eo graviter orator conqueritur.

nemini tribuendum censuit, nisi ei, qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem, patres conscripti, sic interpretor sensisse majores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, ejus monumentum exstare voluerunt, ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla majorum quærenda, sed consilium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explicandum.

II. Lar[1] Tolumnius, rex Veientium, quatuor legatos populi romani Fidenis[2] interemit: quorum statuæ in Rostris steterunt usque ad nostram[3] memoriam. Justus honos: iis enim majores nostri, qui ob rempublicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octavii[4], clari et magni viri, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in Rostris. Nemo tum novitati invidebat; nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii, in qua periculi suspicio non subesset. Nam, quum esset missus a senatu ad animos regum perspiciendos liberorumque populorum, maximeque ut nepotem Antiochi regis, ejus, qui cum majoribus nostris bellum gesserat,

II. 1. *Lar.* Olim editi libri, *Lartes*. Alii malunt ex aliquot MSS, *Lars*, ut et quædam habent editiones Livii. J. V. L.

2. *Fidenis.* Anno Urbis 318, Fidenæ, quæ colonia Romanorum erat, cum Tolumnio Veientium rege societatem iniere, qui bellum reipublicæ indixerat. Quatuor legatos misit senatus qui quererentur, quod sic defecissent Fidenæ. Suadente Tolumnio, a Fidenatibus fuere interfecti.

3. *Nostram.* Alii exhibent *meam memoriam*. J. V. L.

4. *Cn. Octavii.* Anno Urbis 591, Cn. Octavius quum pro certo habuisset regem Antiochum possidere navium atque elephantorum majorem copiam quam licitum erat, naves incendi elephantosque trucidari jussit. Quæ res populi illius animos gravissime commovit, et a Leptine quodam, de quo nihil certum habet historia, est interfectus. Missi sunt Romam legati, qui regem profiterentur numquam tale facinus suasisse. Quos absque responso dimisit senatus; nec cognitum quid inde evenerit.

classes habere, elephantos alere prohiberet, Laodiceæ in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei tum a majoribus statua pro vita, quæ multos per annos progeniem ejus honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam[5] sola restaret. Atqui et huic, et Tullo Cluvio[6], et L. Roscio, et Sp. Antio, et C. Fulcinio, qui a Veientium rege cæsi sunt, non sanguis, qui est profusus in morte, sed ipsa mors ob rempublicam obita[7], honori fuit.

III. Itaque, patres conscripti, si Serv. Sulpicio casus mortem attulisset, dolerem quidem tanto reipublicæ vulnere; mortem vero ejus non monumento, sed luctu publico esse honorandam[1] putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? Secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii fidelissimæque[2] conjugis diligentia, vitare potuisset. At ille, quum videret, si vestræ auctoritati non paruisset, dissimilem[3] se futurum sui; si paruisset, munus sibi illud pro republica susceptum vitæ finem[4] fore; maluit in maximo rei-

5. *Familiæ memoriam.* Octavia gens quidem adhuc stabat; sed familia qua oriundus erat hic Cn. Octavius, omnino erat exstincta. Hoc autem familiam inter et gentem discrimen est, quod familiæ pars quædam est gentis et ab ea oriatur, pluresque familiæ in una contineantur gente. Sic in Cornelia gente, Scipiones, Lentuli, Sullæ, Cinnæ Dolabellæque floruerunt.

6. *Tullo Cluvio.* De his nominibus plurimum inter se differunt Plinius ac T. Livius.

7. *Obita.* Nonnulli legendum putant *habita.* Quæ vox in Vatican. et Lang. occurrit.

III. 1. *Esse honorandam.* Multi legendum putant ex quorumdam librorum auctoritate *ornandam*. Car. Steph. autem, nescio quibus libris fretus, edidit *decorandam*. Garatonius legendum putat *ornandam*, tamquam vox illa melius latino sermoni congruat.

2. *Fidelissimæque.* Multi, quos inter Lamb. et uterque Barber. omiserunt *que*.

3. *Dissimilem.* Quia, quum semper senatus auctoritati paruisset, se omnino sui dissimilem præstitisset, si, neglecta hujus ordinis auctoritate, Romæ remansisset.

4. *Vitæ finem fore.* Optime senserat finem vitæ proximam esse, quum abiturus, verba ea Ciceroni fecit, quæ ipse inferius, cap. 4, quasi omen fati fuisse testatur.

publicæ discrimine emori, quam minus, quam potuisset[5], videri reipublicæ profuisse. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi se et curandi potestas fuit. Aderat et hospitum invitatio[6] liberalis pro dignitate summi viri, et eorum hortatio, qui una erant missi, ad requiescendum et vitæ suæ consulendum. At ille properans, festinans[7], mandata vestra conficere cupiens, in hac constantia, morbo adversante, perseveravit.

Cujus quum adventu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quæ sibi jussu vestro denuntiarentur, auctoritate erant et sententia Serv. Sulpicii constituta, declaravit, quam odisset senatum, quum auctorem senatus exstinctum læte atque insolenter tulit. Non igitur magis Octavium Leptines, nec Veientium rex eos, quos modo nominavi, quam Serv. Sulpicium occidit Antonius[8]. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca ad posteritatis etiam me-

5. *Quam potuisset.* Quum enim auctor fuisset ipse legationis ad Antonium mittendæ, multum auctoritatis erat possessura hæc legatio, si ille ipse qui suasisset, senatus mandata ad hostem reipublicæ deferret.

6. *Hospitum invitatio.* Notum est apud Veteres nobilissimum quemque, cum primoribus civitatum mutuo hospitii commercio consociari: ita quum in provincias ibant senatores apud hospites suos, aut etiam familiæ suæ, consedebant.

7. *Properans, festinans.* Quidam putant prius horum verborum de animo dici, alterum autem de corpore: atque Ciceronem laudant, quod Sulpicium omnibus animi atque corporis viribus saluti reipublicæ invigilare, his verbis demonstraverit. Voces autem illæ ita positæ videntur, non, ut corporis et mentis festinationem depingant, sed quo majorem vim in unum ita conjunctæ sortiantur.

8. *Occidit Antonius.* Veteres apud jureconsultos occidisse dicitur is, qui mortis causam quolibet modo præbuit. Item ad L. Cornel. de sicariis inquit Ulpianus: « Nihil interest, occidat quis an mortis causam præbeat ». Attamen quæ ibi Cicero præfatur, non omnino recta sunt: etenim non insimulandus erat Antonius, quod Urbe æger Serv. Sulpicius, jubente senatu, esset profectus. Deinde, quod Serv. Sulpicius, itinere fessus occubuerit, non dici potest Antonius jure et merito mortem ei attulisse; nec præterea in eum ob hanc causam invehi Cicero potest; namque non culpa ibi est, unde causa mortis venit: sic saltem testatur Voss. p. 622.

moriam pertinere arbitror, exstare, quod fuerit de hoc bello judicium senatus. Erit enim statua ipsa testis, bellum tam grave fuisse [9], ut legati interitus honoris memoriam consequutus sit.

IV. Quod si excusationem Serv. Sulpicii, patres conscripti, legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo injuriam [1] fecimus, sarciamus. Vos enim, patres conscripti (grave dictu est, sed dicendum tamen), vos, inquam, Serv. Sulpicium vita privastis [2]. Quem quum videretis re magis morbum, quam oratione excusantem [3], non vos quidem crudeles fuistis, quid enim minus in hunc ordinem [4] convenit? sed, quum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate et sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis; atque eum, qui semper vestrum consensum gravissimum judicavisset, de sententia dejecisti.

Ut vero Pansæ [5] consulis accessit cohortatio gravior,

9. *Tam grave fuisse*. Monumentum illud, quod orator Serv. Sulpicio decerni jubet, non videtur tam ejus memoriæ concedi, quam odio in Antonium erigi: et belli potius hujus impii, quam virtutis Servii Sulpicii, testem statuam hanc Cicero postulat.

IV. 1. *Injuriam*. Eum enim senatus, ut infra ait orator, vita orbavit, quum ei imperavit, ut ingravescente morbo, ad Antonium legatus proficisceretur.

2. *Vita privastis*. Verba illa omnino cum iis pugnant, quæ supra explanavimus, *Serv. Sulpicium occidit Antonius*. Omnino contraria inter se ac dissimilia prorsus Cicero profitetur: et neutra ex parte veritas stare videtur: namque si Sulpicium occidit Antonius, quare senatui hujus viri mortem objicit? Si autem senatus, quare in Antonium, tamquam in necis auctorem insurgit? Hæc omnia oratori odium in Antonium, et propensa nimis voluntas erga Sulpicium expressit.

3. *Oratione excusantem*. Sic præclare locum illum restituit Faernus ex Vatic. suffragante Manutio. Muretus autem Lambinusque et alii complures, vulgatam, nescio quo pacto, servavere, quæ sic habet: « se magis morbo quam oratione excusantem ». Manutius optime intellexit vocem illam *re*, quam ita explicat, « ipsa macie et imbecillitate ».

4. *In hunc ordinem*. Multa orationi interniscet orator, quæ senatorum animos ipsi devinciant, quo possit liberius, quod in mente habet destinatum, proloqui.

5. *Ut vero Pansæ consulis accessit cohortatio gravior*. Hoc loco redit

quam aures Serv. Sulpicii ferre didicissent, tum vero denique filium[6], meque seduxit, atque ita loquutus est, ut auctoritatem vestram vitæ suæ se diceret anteferre. Cujus nos virtutem admirati, non ausi sumus adversari ejus voluntati[7]. Movebatur singulari pietate filius; non multum ejus perturbationi meus dolor concedebat[8]: sed uterque nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisque gravitati; quum quidem ille, maxima laude et gratulatione omnium vestrum, pollicitus est, se, quod velletis, esse facturum, neque ejus sententiæ[9] periculum vitaturum, cujus ipse auctor fuisset. Quem exsequi mandata vestra properantem mane postridie prosequuti sumus: qui quidem discedens mecum ita loquutus est, ut ejus oratio omen[10] fati videretur.

V. Reddite igitur, patres conscripti, ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita. Perficite, ut is, quem vos inscii[1] ad mortem misistis, immortalitatem habeat a vobis. Cui si statuam in Rostris[2] decreto vestro statueritis, nulla

ad intermissam ab initio narrationem, qua ostendit non ita impulsum fuisse Sulpicium a senatu, ut invitus legationem susceperit, sed magno et forti animo, quod videbat senatui placere, exsequi voluisse.

6. *Filium, meque.* Quidam: « tum Pilium equitem seduxit »; quod nullo modo cum iis quæ sequuntur consociari potest. Ferrarius legendum censebat: « tum filium, meque item seduxit ». Seducere aliquem dicitur is, qui eum remotis arbitris, alloqui cupit.

7. *Adversari ejus voluntati.* Non ausi sumus contra consilium ejus pugnare, et morari cupientem ad Antonium proficisci.

8. *Concedebat.* Meus dolor non erat impar ejus perturbationi; æque ambo moti fueramus.

9. *Ejus sententiæ periculum vitaturum.* Qua decretum erat legatos ad Antonium esse mittendos, qui senatus mandata reportarent.

10. *Omen fati.* Quasi oratione sua quid futurum de illa legatione foret præsensisset, seque hoc in itinere declarasset moriturum.

V. 1. *Inscii.* Hoc etiam verbo, ea delet quæ superius dicta sunt: namque si inscii ad mortem misere Serv. Sulpicium senatores, non hoc illis erat crimini vertendum; præterea non erat hoc facto insimulandus Antonius.

2. *Cui si statuam in Rostris decreto vestro*, etc. Qui locus erat hono-

ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio. Nam reliqua Serv. Sulpicii vita multis erit præclarisque monumentis[3] ad omnem memoriam commendata. Semper illius gravitatem, constantiam, fidem, præstantem in republica tuenda curam atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero silebitur admirabilis quædam, et incredibilis, ac pæne divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda[4], scientia. Omnes ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Serv. Sulpicio non sint comparandi. Neque enim ille magis juris consultus, quam justitiæ fuit[5]. Ita ea, quæ proficiscebantur a legibus et a jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat; neque constituere litium actiones malebat[6], quam controversias tollere. Ergo hoc statuæ monumento non eget : habet alia majora. Hæc enim statua mortis honestæ testis erit; illa, memoria vitæ gloriosæ : ut hoc magis monumentum grati senatus, quam clari viri futurum sit. Multum

rificentissimus ad erigendam statuam. Cicero enim pro Dejot. 12 sic scripsit: « Ad statuam nullus est locus Rostris clarior ». Et pro Sextio, 38 : « Statua his, qui ob rempublicam interfecti, in foro atque in Rostris collocata ». Pomponius, lib. VI, § 43, statuam Serv. Sulpicii exstare pro Rostris Augusti testatur. Illius enim ætati non eodem loco quo olim Rostra fuerunt. Cæsar namque vetera transtulit ad angulum fori australem, auctore Dione et Asconio, et nova inde Augusti Rostra dicta videntur. Hic vero omnium, qui imperium ex minimo maximum fecissent, statuas restituit, manentibus titulis.

3. *Monumentis*. De iis quæ Serv. Sulpicius scripsit, agitur; vir ille legum peritissimus, centum et octoginta libros composuerat, quibus jus interpretaretur.

4. *Explicanda scientia*, etc. Hanc laudem Crasso tribuit orator, sic enim est in Bruto loquutus : « sic in interpretando ac definiendo, in explicanda æquitate, nihil erat Crasso copiosius ».

5. *Quam justitiæ fuit*. De hoc loco et de pluribus quæ sequuntur doctissime disseruit Garatonius.

6. *Actiones malebat*. Non iis qui eum consulebant indicabat, quanam possent ratione lites persequi, sed ad id unum studebat, ut civium animos componeret. Quam quidem sententiam semper in republica tuenda cum sequutum fuisse vidimus, et ad discordiæ semina e medio tollenda laboravisse.

etiam valuisse ad patris honorem pietas filii videbitur[7]: qui quamquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si ille adesset. Est autem ita affectus, ut nemo umquam unici filii morte magis doluerit[8], quam ille mœret patris. Equidem etiam ad famam[9] Serv. Sulpicii filii arbitror pertinere, ut videatur honorem debitum patri præstitisse. Quamquam nullum monumentum clarius Serv. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum[10], virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii, filium : cujus luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio levari potest.

VI. Mihi autem recordanti Serv. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte[1], ænea statua futura, et ea pedestris, quam inaurata equestris : qualis est[2] L. Sullæ prima statua. Mirifice enim Serv. Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus sæculi insolentiam[3] vituperabat. Ut igitur si ipsum consulam, quid velit, sic pedestrem ex ære statuam, tamquam ex ejus auctoritate et voluntate, decerno : quæ quidem magnum civium dolorem et desiderium honore monumenti mi-

7. *Videbitur*. Sensus est : pietas etiam filii animos vestros ad decernendam statuam impellere poterit.

8. *Morte magis doluerit*. Quidam legendum esse arbitrantur *mortem*, quasi hæc melius latino cum sermone congruant.

9. *Ad famam*. Non in minimis sane laudum fuerit filio Serv. Sulpicii, si feratur luctu ac dolore suo, senatum impulisse ad honores quam præstantissimos patri decernendos.

10. *Effigiem morum suorum*. Quiddam simile protulit Tacitus, ad calcem orationis qua Agricolam celebrat.

VI. 1. *In morte*. Numquam animum immortalem esse palam profitetur Cicero; rem semper in dubium adducit, quotiescumque de ea loquitur. Sic Tacitus in Agricolæ vita ait : « Si quis piorum manibus locus ».

2. *Qualis est*. Statuam pedestrem Sulpicio decernit, qualis prima erat, quæ L. Sullæ fuerat irrogata.

3. *Insolentiam*. Hac voce orator significat sumptus nimios : eodem sensu in epist. ad Pœtum ait : « In Epicuri nos adversarii nostri castra conjecimus, nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam ». Pro Roscio Amerino tale quiddam protulit, quum dicit : « Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena ».

nuet et leniet. Atque hanc meam sententiam, patres conscripti, P. Servilii sententia comprobari necesse est: qui sepulcrum publice decernendum Serv. Sulpicio censuit, statuam non censuit[4]. Nam si mors legati sine cæde atque ferro nullum honorem desiderat, cur decernit honorem sepulturæ[5], qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Serv. Sulpicio, quod non est datum Cn. Octavio; cur, quod illi datum est, huic dandum esse non censet? Majores quidem nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis[6]. Sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate; sepulcrorum autem sanctitas[7] in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest. Atque, ut cetera exstinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate. Augeatur igitur isto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest; grati simus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam gratiam[8] referre possumus; notetur etiam M. Antonii[9], nefarium bellum gerentis, scelerata audacia. His enim honoribus ha-

4. *Statuam non censuit.* Plerumque cum funere publico etiam statua viris illustribus decernebatur; quæ ipsi defuncto testimonium perhiberet, et alios ad defensionem Urbis et ad salutem reipublicæ tuendam incitaret.

5. *Sepulturæ.* Differt multum a sepulcro sepultura; est enim honos, quo quis terræ mandatur: itaque Cicero, Phil. I, sepulturam insepultam ait, quod sepulcro caruerat.

6. *Sepulcra paucis.* XII tabularum lege cautum fuerat, ne quis in Urbe sepeliri posset; idem vetuit Justinianus imp. l. 12, cap. de religios. Tribuebatur hoc tamen aliquando clarorum virorum virtuti, ut in Urbe publice sepelirentur. Qua de re Cic. de Legg. lib. II agit.

7. *Sepulcrorum ... sanctitas.* Mala Veteres iis ominabantur, qui sepulcrorum religionem pollucrent; et ita ad gloriæ æternitatem civis memoria sepulcro consecrabatur.

8. *Aliam gratiam.* Quum enim, suadente, aut potius jubente senatu, sit profectus, morteque in eundum oppressus, honoribus tantum testari possumus, quanto nos affecerit gaudio, quum ad Antonium, quæ suaserat, ipse detulerit.

9. *Notetur etiam M. Antonii nefarium bellum*, etc. Duo sibi, hoc in monumento erigendo proponit orator; primum ut memoriam viri consecret clarissimi, deinde ut odii in Antonium monumentum quodammodo erigat sempiternum.

bitis Serv. Sulpicio, repudiatæ rejectæque legationis ab Antonio manebit testificatio sempiterna.

VII. Quas ob res ita censeo : Quum Serv. Sulpicius, Q. F. Lemonia [1], Rufus, difficillimo reipublicæ tempore, gravi periculosoque morbo affectus, auctoritatem senatus salutemque reipublicæ vitæ suæ præposuerit [2], contraque vim gravitatemque morbi contenderit, ut ad castra Antonii, quo senatus eum miserat, perveniret; isque, quum jam prope [3] castra venisset, vi morbi oppressus, vitam amiserit in maximo reipublicæ munere [4]; ejusque mors consentanea vitæ fuerit, sanctissime honestissimeque actæ, in qua sæpe magno usui reipublicæ Serv. Sulpicius, et privatus, et in magistratibus, fuerit : quum talis vir ob rempublicam in legatione mortem obierit, senatui placere, Serv. Sulpicio statuam pedestrem æneam in Rostris ex hujus ordinis sententia statui, circumque eam statuam locum gladiatoribus ludisque liberos posterosque ejus quoquo versus pedes quinque habere, quod is ob rempublicam mortem obierit, eamque causam in basi inscribi; utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, si eis videatur [5], quæstoribus urbanis [6] impe-

VII. 1. *Lemonia*. Pro ex Lemonia tribu : sic enim Pedianus interpretatur illud, C. Verrem Romilia, et addit, cives omnes romanos in aliqua tribu censeri solitos, et ab ea interdum judicari. Cujus exstant consuetudinis exempla permulta.

2. *Præposuerit*. Ad Antonium enim, jubente senatu, est profectus, quum nullam jam reditus spem, ingravescente malo, foveret.

3. *Jam prope*, etc. Supra : « cujus quum adventu valde perturbatus esset Antonius ».

4. *In maximo reipublicæ munere*. Locus variis modis scriptus est, et interpretatus.

5. *Si eis videatur*. Hanc solemnem formulam Gul. Forner. I, select. 7, et doctior ejus filius Radulphus III Rer. quotidian. 3 illustrarunt. Vim autem verborum ostendit Brissonius, de Formul. III, p. 218, 219.

6. *Urbanis*. Pugnat cum Ferrario de loco illo Garatonius, qui censet scribendum esse *urbis*. Quum autem MSS habeant *urb.* conjicere licet legendum *urbanis* aut *urbis*. Sed *urbanis* admisimus, quoniam latino magis sermoni visum est consentaneum.

rent, ut eam basim statuamque faciendam et in Rostris statuendam locent; quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori [7] attribuendam solvendamque curent. Quumque antea senatus auctoritatem suam in virorum fortium funeribus ornamentisque ostenderit, placere, eum quam amplissime supremo suo die efferri : et, quum Serv. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat, senatum censere, atque e republica existimare, ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Serv. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri remittere; utique locum sepulcro in campo Esquilino[8] C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta quoquo versus adsignet, quo Serv. Sulpicius inferatur : quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit, uti quod optimo jure publice sepulcrum datum est.

7. *Redemptori*. Redemptor is dicebatur, qui monumentum aliquod erigendum suscipiebat.

8. *In campo Esquilino*. De hoc campo hortis et ædificiis occupato, vide Nardin. vet. Rom. IV, 2; Fabrettus Inscr. cap. 3, pag. 243, hos XXX pedes quadratos sepulcro datos, eleganter comparat cum sepulcro Rusticeliæ gentis, quod totidem pedes longum et latum fuit. Doctissimus etiam Gorius ex hoc loco illustrat inscriptionem Donianam, pag. 322, n. 28, Q. Q. V. P. XXX, « quoquoversus pedes triginta », h. e. tam in fronte quam in agrum; his verbis enim suspicatur longitudinem simul ac latitudinem indicari.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA DECIMA

ARGUMENTUM.

Marcus Brutus Italia propter civiles discordias cedere coactus, Athenas confugerat, Macedoniam inde petiturus, sibi primum destinatam, sed quam Antonius fratri suo decernendam curaverat. Ibi brevi exercitum conflavit ex iis militibus qui, Pompeio duce, ad Pharsala pugnaverant, quique libentissime ad partes Bruti tuendas conspiravere. Legio quædam se Ciceronis filio tradidit; tresque legiones, quibus præerat Vatinius, hoc exemplum sunt sequutæ: quæ res Vatinium coegit, ut Dyrrachium libertatis defensoribus patefaceret. Sed præsertim auxilio Q. Hortensii crevere vires, qui provinciam C. Antonio non servandam ratus, copias Bruto tradidit, novasque ipse conscripsit. Tum M. Brutus ad consulem C. Pansam literas scripsit, quibus omnia eum edocebat quæ in Macedonia strueret. Quas quum in senatu recitasset, multisque Brutum laudibus ornasset Pansa, Q. Fufius Calenus primus sententiam rogatus, contra Marcum ac Decimum Brutum verba fecit.

Cicero autem, postquam consuli Pansæ gratias egisset, in F. Calenum invehitur, quod semper cum malis civibus stet contra bonos. Ut confutarentur, quæ in M. Brutum fuerant prolata, quidquid egerit vir ille, narrat, maximisque eum laudibus celebrat. Tum ad eos conversus, qui metuebant, ne veterani ægre M. Brutum exercitui præesse paterentur; ostendit quam contumeliosum senatui esset ex horum militum voluntate pendere, mortemque potius obeundam testatur, quam morem iis hominibus gerendum. Libertatis studio audientes accendere conatur, et Antoniorum libidines sceleraque cum Brutorum confert virtutibus ac constantia. Denique rem concludit, quædam proponendo quæ senatus de M. Bruto statueret.

Omnes autem illæ orationes, a quinta Philippica, ann. Urb. 710 habitæ sunt: quo mense recitatæ fuerint incertum; sed tamen actæ videntur ex kal. jan. ad kal. mart. Brutus, quum ad Ciceronem scriberet I kalend. apr. sic de decima illa Philippica sentit: « Legi, inquit, orationes duas tuas, quarum altera kal. jan. usus es: altera de literis meis, quæ habita est abs te contra

Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio, animi an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Jam concedo ut Philippici vocentur, quod tu quadam epistola jocans scripsisti». In epistolarum fragmento Brutus maximis cum laudibus de Marco Cicerone Tullii filio loquitur. Quod quidem in vita M. Bruti Plutarchus testatur. Lentulus ad Div. XII, 14, et Trebonius ad Div. XII, 16 eadem de juvene illo sentire se profitentur.

ALIUD ARGUMENTUM.

Agit gratias Pausæ quia, literis M. Bruti acceptis, senatum statim vocavit. Queritur cum Caleno, quod utrumque Brutum æque non probare videatur, qui rempublicam defendant; Antonium autem, qui oppugnet, probet idem vel maxime. Commemorat ea, quæ M. Brutus in Græcia gesserat: et ab eo nihil turbulentum, nihil non utile reipublicæ timendum esse confirmat. Suadet, ut, quæ M. Brutus egerit privato consilio, publica auctoritate, ut idem ei tribuatur, quod D. Bruto et C. Cæsari, comprobentur. Censet etiam, Q. Hortensio, Macedoniæ proconsuli, qui Brutum in comparando exercitu adjuverat, confirmandam esse provinciæ administrationem, quoad ei ex senatusconsulto successum esset. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA DECIMA.

ORATIO SECUNDA ET QUINQUAGESIMA.

I. Maximas tibi, Pansa, gratias omnes et habere, et agere debemus : qui, quum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur; ut M. Bruti[1], præstantissimi civis, literas accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum maximo gaudio et gratulatione[2] frueremur. Quum factum tuum gratum omnibus debet esse, tum vero oratio, qua, recitatis literis, usus es[3]. Declarasti enim, verum esse id, quod ego semper sensi[4], neminem alterius, qui suæ confideret, virtuti invidere. Itaque mihi, qui plurimis officiis sum cum Bruto, et maxima familiaritate conjunctus, minus multa de illo dicenda sunt. Quas

I. 1. *M. Bruti.* Unus erat, ut omnibus compertum est, e Cæsaris percussoribus; in Macedoniam aufugerat, et ibi novum exercitum dum conscriberet, scripserat Pansæ consuli, quo in loco res reipublicæ his in regionibus sitæ essent.

2. *Gaudio et gratulatione.* Ut gauderemus, quod prospere cessissent, quæ Brutus in Macedonia susceperat, nobisque invicem gratularemur, quod in dies magis atque magis premeretur Antonius. Manutius intelligebat ita locum illum, ut gratularemur Bruto. Qui sensus non rectus videtur, neque verbis consentaneus; nam si illud mente habuisset Cicero, non verba illa, « gratulatione frui », usurpavisset.

3. *Usus es.* Qua M. Brutum maximis ornasti laudibus.

4. *Semper sensi.* Edd. complures non habent *semper*. Vocem eam desiderabant Græv. Ferrariusque, quam ex Vaticano restituimus.

enim mihi ipse partes sumpseram[5], eas præcepit[6] oratio tua. Sed mihi, patres conscripti, necessitatem attulit paullo plura dicendi sententia ejus, qui rogatus est ante me: a quo ita sæpe dissentio, ut jam verear, ne, id quod minime fieri debet, minuere amicitiam nostram videatur perpetua dissensio.

Quæ est enim ista tua ratio[7], Calene? quæ[8] mens? qui numquam post kalendas jan. idem senseris, quod[9] is, qui te sententiam primum rogat[10]? Cur numquam tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam sequutus sit? Cur semper tui dissimiles[11] defendis? Cur, quum te et vita, et fortuna tua[12] ad otium et ad dignitatem invitet, ea probas[13], ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica et otio communi, et dignitati tuæ?

II. Nam, ut superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem[1] movet, non tacebo.

5. *Partes sumpseram.* Uti familiarissimus M. Bruti, Cicero se ad eum celebrandum erat accincturus, quum Pansa consul, laudibus quas Bruto tribuit, eum præoccupavit.

6. *Præcepit.* Aliæ editiones exhibent *præoccuparit.*

7. *Tua ratio.* Impressi omnes ad Ferrarium usque habebant *oratio*, quod verbum vir ille e medio sustulit, quasi cum sequentibus non congrueret: conjecturam doctissimi viri defendit Vaticanus, in quo scribitur *ratio*: nunc autem vox illa ita ab omnibus est emendata.

8. *Quæ mens?* Quidnam consilii agitas? quid struis?

9. Al. *ut.*

10. *Primum rogat.* Alii legendum putabant *prius*, alii *primum*. Quum autem multi verba illa defenderint, vide quæ de iis scripta sunt in Excursu I ad calcem hujusce orationis.

11. *Tui dissimiles.* Voce illa mollit quidquid erat in hac objurgatione asperum: namque Calenum testatur, non iis, quos defendit, hoc est, Antonio partiumque ejus fautoribus, esse simillimum.

12. *Fortuna tua.* Ii enim sunt novarum rerum studiosi, qui mala fortuna usi, omnia civilibus in discordiis lucrantur, nulliusque rei jacturam faciunt.

13. *Ea probas.* Demosth. Phil. IV in Aristodemum invehitur simili fere ratione: quum autem multo longior sit locus apud auctorem græcum, verba ejus referenda non æquum censuimus: ea in notis suis Curio omnia scripsit.

II. 1. *Admirationem.* Hoc est, stuporem. Quod scilicet maxime miror in te, non silentio prætermittam.

Quod est tibi cum Brutis[2] bellum? Cur eos, quos omnes pæne venerari debemus, solus oppugnas? Alterum circumsederi[3] non moleste fers, alterum tua sententia spolias iis copiis, quas ipse suo labore et periculo ad reipublicæ, non ad suum præsidium, per se, nullo adjuvante, confecit? Quis est iste tuus sensus, quæ cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes[4]? quos omnes carissimos habent, tu oderis? quos acerbissime omnes oderunt, tu constantissime diligas? Amplissimæ tibi fortunæ sunt, summus honoris gradus[5]; filius, ut et audio, et spero, natus ad[6] laudem; cui quum reipublicæ causa faveo, tum etiam tua. Quæro igitur, eum Brutine similem malis, an Antonii? ac permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem velis. Dii meliora, inquies[7]! Cur igitur non eis faves, quos laudas[8], quorum similem filium tuum esse vis? Simul enim reipublicæ consules, et propones illi exem-

2. *Cum Brutis*. Cum Marco Bruto, in quem, recitatis literis, probra conjecerat, et cum Decimo Bruto, cui, ut supra vidimus, jam non favebat.

3. *Circumsederi non moleste fers*. Ab Antonio, qui eum Mutinæ clausum oppugnat.

4. *Antonios probes?* Vidimus supra tres fuisse Antonios, quorum perditissimum fuisse M. Antonium Cicero testatur.

5. *Summus honoris gradus*. Qui enim consulatu functus est, ad summum honoris gradum, qui ordine deferatur in republica, ascendit. Nam dictatura extra ordinem, et raro deferri solet. Idcirco Cicero consul in Catilin. III ait: « Mihi quidem, ipsi quid est, quod jam ad vitæ fructum possit acquiri? quum præsertim neque honore vestro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat ascendere ».

6. *Natus ad laudem*. Non idem sonant hæc verba ac dictio illa frequenter usitata *natus laudi*. Natus ad laudem dicitur, qui fato quodam editus, comparatusque ad laudem videtur. Notandum est quo artificio orator, dum vehementissime in Calenum invehitur, grata quædam intermisceat, quæ animum ejus molliant.

7. *Dii meliora, inquies!* Diu alio prorsus modo locus ille fuit scriptus; nam sic impressi habebant et MSS aliquot: « D. Brutus melior est, inquies ». Quem quum locum explicaret Ferrarius, testabatur Ciceronem numquam talia scribere potuisse. Scriptura autem, quam nunc expressimus, Vaticano debetur. Nihil hoc responso, « Dii meliora, inquies », est vehementius, nihilque ad rem accommodatius potest excogitari.

8. *Quos laudas*. Alii exhibent « cur non eos laudas ».

pla ad imitandum. Hoc vero, Q. Fufi, cupio, sine offensione nostræ amicitiæ, sic tecum, ut a te dissentiens senator, queri[9]. Ita enim dixisti, et quidem de scripto[10] (nam te inopia verbi lapsum putarem, nisi tuam in dicendo facultatem nossem), literas Bruti recte et ordine scriptas videri. Quid est aliud, librarium[11] Bruti laudare, non Brutum? Usum in republica, Calene, magnum jam habere et debes, et potes. Quando ita decerni vidisti? aut quo senatusconsulto[12] hujus generis (sunt enim innumerabilia) bene scriptas literas decretum a senatu? Quod verbum tibi non excidit, ut sæpe fit, fortuitu: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti.

III. Hanc tibi consuetudinem plerisque in rebus bonis obtrectandi si quis detraxerit, quid tibi, quod sibi quisque velit, non relinquetur[1]? Quamobrem collige[2] te, placaque animum istum aliquando, et mitiga; audi viros bonos, quibus uteris multum; loquere cum sapientissimo homine, genero tuo[3], sæpius, quam ipse tecum: tum denique amplissimi honoris nomen[4]

9. *Queri.* Quidam legendum putabant *quæro.* Ad quos sic in notis suis Muretus : Quidam quum *cupio* mutarent in *copiosius*, quumque deinde pendere ac nutare orationem viderent, quasi tibicinem quo ea fulciretur, addiderunt verbum *quæro.* Recte autem veteribus in libris legitur *queri.*

10. *De scripto.* De scripto sententiam suam homines proferunt, quum metuunt, ne plus aut minus dicant quam æquum postulat, et ea ipsa tantum agant, quæ sibi ipsi proposuerint. Re autem illa multo magis vituperandus est Calenus, qui non verbi inopia, sed ex proposito erraverit.

11. *Librarium.* Hac voce constat divites ac præpotentes Romanos librarios secum habere, qui, quid illi sentirent, elegantioribus verbis exponerent. Quidam ante *librarium* scribi volebant *quam.*

12. Alii edd. exhibent « quod senatusconsultum ».

III. 1. *Non relinquetur.* Nihil in te erit quod omnes non probent : hæ tantum dotes in te relinquentur, quas sibi quisque optat atque habere cupit.

2. *Collige.* Hoc verbo indicat Calenum fuisse variis partibus huc et illuc distractum : itaque eum hortatur, ut in se ipsum recedat, hoc est, consiliis ceterorum aures præcludat.

3. *Genero tuo, sæpius*, etc. Scilicet Pansæ consuli.

4. *Nomen.* Tunc eris vere consula-

obtinebis. An vero hoc[5] pro nihilo putas (in quo equidem pro amicitia tuam vicem dolere soleo), efferri hoc foras, et ad populi romani aures pervenire, ei qui primus sententiam dixerit, neminem[6] assensum? quod etiam hodie futurum arbitror.

Legiones abducis[7] a Bruto. Quas? Nempe eas, quas ille ab Antonii scelere[8] avertit, et ad rempublicam sua auctoritate traduxit. Rursus igitur vis nudatum illum atque solum a republica relegatum videri. Vos autem, patres conscripti, si M. Brutum deserueritis et prodideritis, quem tandem civem umquam ornabitis? cui favebitis? nisi forte eos, qui diadema[9] imposuerint, conservandos; eos, qui regni nomen sustulerint[10], deserendos putatis. Ac de hac quidem divina atque immortali laude M. Bruti silebo: quæ gratissima memoria omnium civium inclusa, nondum publica auctoritate testata est. Tantamne patientiam, dii boni! tantam moderationem, tantam in injuria[11] tranquil-

ris, hoc est, dignus eris hoc titulo, qui præstantissimus est in republica. Jam in Philippicis, quæ antecedunt, in eos fuit invectus, qui consulares licet, Antonii partibus favebant: vidimusque uti, ob nimiam mollitiem, eos in epist. ad Cassium ignavos infamesque nominet.

5. Alii, *hæc*.

6. *Neminem assensum*. Manifestissime enim probabitur eum tota via erravisse, quum in sententiam ejus nemo iverit.

7. *Abducis*. Censes a Bruto legiones avocandas esse, quoniam eas non ex senatusconsulto collegit, quum maximo suo in unum cogeret periculo.

8. *Scelere*. Qui Macedoniam per vim occupare aggressus fuerat, ut inde M. Brutum dejiceret. Rem in hac Philippica fusius Cicero narravit.

9. *Diadema imposuerint*. Verbis illis designatur Antonius, qui Cæsari coronam imposuerat. In eum Cicero, propter hoc facinus, Philippica secunda invehitur.

10. *Qui regni nomen sustulerint*, etc. Brutos intelligit, Cassiumque et ceteros Cæsaris percussores; tyranno enim sublato, regni nomen quoque simul aboleverant.

11. *In injuria*. Post Cæsaris cædem Antonius populum in Brutos omnesque consilii istius participes suscitare non destitit: et ita quidem infimæ plebis animos accenderat, ut ii in periculum capitis incurrerent, si diutius Romæ manerent: itaque M. Brutus, quamvis prætor urbanus, Roma exsulavit: summa autem injuria erat prætorem urbanum Urbe propter civiles discordias abesse.

litatem et modestiam? Qui quum prætor urbanus esset, urbe caruit, jus non dixit[12], quum omne jus populi romani recuperasset; quumque concursu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri solebat, præsidioque Italiæ cunctæ septus posset esse, absens judicio bonorum defensus esse maluit, quam præsens manu: qui ne Apollinares quidem ludos[13], pro sua populique romani dignitate apparatos, præsens fecit, ne quam viam patefaceret sceleratissimorum hominum audaciæ.

IV. Quamquam, qui umquam aut ludi, aut dies, lætiores fuerunt, quam quum[1] in singulis versibus populus romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur? Corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat: in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula[2] clarissimi adolescentis, Luculli, propinqui sui[3], nihil nisi de pace[4], et concordia civium cogi-

12. *Jus non dixit.* Duo prætores jus dicebant, urbanus scilicet et peregrinus: reliqui de criminibus quærebant.—*Recuperasset.* Quum, sublato tyranno, omnem Italiam in libertatem vindicavit, jusque pristinæ restituit dignitatis.

13. *Ludos.* Qui ad prætorem urbanum pertinebant, quosque ab eo celebrari mos erat.

IV. 1. *Quam quum.* Faernus locum sic proponebat emendandum: « quemquam qui umquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt, quam tum? » Huic assensus erat Lambinus. Sed lectio, quam sequimur, potior videtur, et MSS præterea sancitur auctoritate.

2. *In insula.* Sic de verbo illo Garatonius disseruit: In Vaticano vox *insula* est ab interpolatore: subesse videtur *insugula*, vel *insigula*. Ex eo mendo confestim judicavi Ciceronem scripsisse *in insulula*. Porro Neapolin inter atque Puteolos insula est perparva Nesis, in qua eo tempore commoratum esse Brutum constat.

3. *Luculli, propinqui sui.* Manut. putat hunc Lucullum ex Catonis filia esse natum, sorore illius, quam Brutus uxorem habebat. Immo vero Servilia Bruti mater fuit, ut refert Plut. sed et altera fuit Servilia, eadem matre genita, quæ quidem Lucullo nupta fuit, filiumque peperit, Bruti consobrinum.

4. *Nihil nisi de pace.* Sic ipse Brutus ad Antonium, lib. XIII epist. ad Div. fortassis etiam ex hac insula Luculli, inter cetera, hæc scripsit: « Nos ab initio spectasse otium, nec quidquam aliud a libertate communi quæsisse, exitus declarat ».

tantem. Eumdem vidi postea Veliæ, cedentem Italia, ne qua oriretur belli civilis causa [5] propter se. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum [6]! Cedere e patria servatorem ejus, manere in patria perditores! Cassii classis paucis post diebus consequebatur : ut me puderet [7], patres conscripti, in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed, quo consilio redierim, initio audistis [8], post estis experti. Exspectatum igitur tempus a Bruto est. Nam quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia. Posteaquam vos ad libertatem sensit erectos, præsidia vestræ libertati paravit.

At cui pesti, quantæque restitit? Si enim C. Antonius, quod animo intenderat [9], perficere potuisset (potuisset autem, nisi ejus sceleri virtus M. Bruti obstitisset), Macedoniam, Illyricum, Græciam perdidissemus; esset vel receptaculum pulso Antonio, vel agger oppugnandæ Italiæ Græcia : quæ quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis non instructa solum, sed etiam ornata, tendit dexteram Italiæ, suumque ei præsidium pollicetur. Quod [10], qui ab illo abducit

5. *Belli civilis causa*. Non sane illud mente agitabat M. Brutus, quum Italia cessit; non enim belli civilis metu aufugit, sed quia nemo partes ipsius palam amplecteretur, et populus ab Antonio incitatus, vehementius in eum insurgeret.

6. *Luctuosum*. Gravissima exclamatione ad indignitatem rei demonstrandam utitur orator : et sensum etiam saxis tribuit, quo atrocior Bruti discessus ille videatur.

7. *Ut me puderet*. Philippica prima sententiam illam explicuit : « Turpe mihi ipsi videbatur in illam urbem me audere reverti, ex qua Brutus excederet, et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset ».

8. *Initio audistis*. Quum primam in senatu Philippicam egit : experti sunt postea, qua mente rediisset, quum decreta, reipublicæ maxime utilia, proponere non destitit.

9. *Animo intenderat*, etc. Cupiebat valde C. Antonius Macedonia potiri, quia ibi castra quodam modo ponere, et audacissima quæque in rempublicam moliri facile poterat.

10. *Quod*. Eodem ferme, hoc in loco, sensu est ac *sed*. Temere profecto recepit Lambinus *quare*, nulla ex auctoritate. Multis locis auctores

exercitum, et respectum pulcherrimum, et præsidium firmissimum adimit reipublicæ. Equidem cupio, hæc quam primum Antonium audire, ut intelligat, non D. Brutum, quem vallo circumsedet[11], sed se ipsum obsideri.

V. Tria tenet oppida[1] toto in orbe terrarum; habet inimicissimam Galliam; eos etiam, quibus confidebat, alienissimos, Transpadanos; Italia omnis infesta est; exteræ nationes a prima ora Græciæ usque ad Ægyptum[2], optimorum et fortissimorum civium imperiis et præsidiis tenentur. Erat ei spes una in C. Antonio: qui duorum fratrum ætatibus medius interjectus, vitiis cum utroque certabat; qui, tamquam extruderetur[3] a senatu in Macedoniam, et non contra prohiberetur proficisci, ita cucurrit. Quæ tempestas, dii immortales! quæ flamma, quæ vastitas, quæ pestis Græciæ fuisset, nisi incredibilis ac divina virtus[4] furentis ho-

latini verbum, sicuti hic positum est, usurpavere.

11. *Circumsedet.* Omnes libri veteres *circumsedeat.* P. Manutius et Car. Stephanus vulgatam retinuerunt. Sed tamen Ferrario meliora suadenti paruit Lambinus, quam nos quoque scripturam sumus sequuti. Adstipulatur denique cod. Barbad. editionesque Rom. et Ven.

V. 1. *Tria tenet oppida.* Bononiam, Regium-Lepidi, Parmamque; hoc autem cognoscitur ex epistola quadam ad Cassium, qua sic Cicero rem narrat: « Præter Bononiam, Regium-Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, studiosissimam reipublicæ, tuos etiam clientes Transpadanos mirifice conjunctos cum causa habebamus ».

2. *Usque ad Ægyptum.* Idem scripsit ad Cassium, ad Div. XII, 5.

3. *Extruderetur.* Tamquam imperasset senatus, uti provinciam quam citissime peteret.

4. *Virtus.* Post hoc verbum habet antiquus liber vocem *Cæs.* Alii libri et vulg. *Cæsaris.* Non potest ibi de Cæsare agi, cui negotium non cum Caio, sed cum M. Antonio fuerit. Quo facilius locum illustraret Faern. legendum putabat *Cæpionis Bruti;* sed quum Cicero M. Brutum hoc nomine appellat, nusquam alias, nisi ubi in senatu dicit sententiam, ipse sibi diffisus est et conjecturam suam non defendit. Multi verba aliquot ibi deesse proclamavere, non merito quidem; nam vox illa *Cæs.* certe irrepsit, nescio quo modo; et sensus sic est intelligendus: nisi exstitisset incredibilis ac divina virtus, quæ furentis hominis conatum atque audaciam comprimeret.

minis conatum atque audaciam compressisset? Quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? Etsi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est: quem nisi in via caducæ hereditates [5] retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres. Alios ad negotium publicum ire quum cupimus, vix solemus extrudere; hunc retinentes extrusimus[6]. At quid ei cum Apollonia[7]? quid cum Dyrrhachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinii imperatoris exercitu? Succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. Certi fines Macedoniæ, certa conditio[8], certus, si modo[9] erat ullus, exercitus: cum Illyrico vero, et cum Vatinii legionibus quid erat Antonio? At ne Bruto quidem[10]. Id enim fortasse quispiam improbus dixerit. Omnes legiones, omnes copiæ quæ ubique sunt, populi romani sunt: neque hæ legiones, quæ M. Antonium reliquerunt, Antonii potius, quam reipublicæ fuisse dicentur[11]. Omne enim exercitus et imperii jus amittit is qui eo imperio et exercitu rempublicam oppugnat.

5. *Caducæ hereditates.* Quas occupavit, tamquam ad eum jure pertinerent. Caducæ autem dicebantur hereditates, quum heres non exstabat; quod autem quum accideret, ad fiscum devolvebantur: tales hereditates, dum properaret C. Antonius, occupabat.

6. Al. *exclusimus.*

7. *Cum Apollonia.* Apollonia et Dyrrhachium duo erant Illyrici oppida, quibus præerat Vatinius. Idem ille Vatinius, in quem Cicero tam vehementer est invectus, quemque probris et tam acriter est insequutus. Illyricum ei Cæsar provinciam assignavit: exstincto autem dictatore, quum ab Illyrico populis pæne victus fuisset, cum copiis Dyrrhachium confugerat, ibique se continebat. Ubi milites ad Brutum deficere paratos esse vidit, nec ulla ratione se eos retenturum, ipse cum iis consensit, exercitumque ad Brutum perduxit. Hortensius autem Macedoniam proconsul administrabat.

8. *Certi fines Macedoniæ, certa conditio.* Hoc est, legibus cautum est, quanam ratione gubernari debeat, ne primo pateret occupanti.

9. *Certus, si modo*, etc. Al. scripsere « certus erat etiam illius ex. »

10. *At ne Bruto quidem*, etc. Hæc jactitabant qui Antoniis favebant: Brutoque nihil fuisse, aiebant, cum Vatinii legionibus atque provincia; mirabanturque, quod senatus virum eum probaret, qui alienam in provinciam irrupisset, exercitumque sibi præsumpsisset.

11. Al. *dicuntur.*

VI. Quod si ipsa respublica judicaret, aut si omne jus decretis[1] ejus statueretur, Antonione, an Bruto legiones populi romani adjudicaret? Alter advolarat subito ad direptionem pestemque sociorum, ut, quacumque iret[2], omnia vastaret, diriperet, auferret, exercitu populi romani contra ipsum populum romanum uteretur. Alter eam sibi legem statuerat, ut, quocumque venisset, lux venisse quædam, et spes salutis videretur. Denique alter ad evertendam rempublicam præsidia quærebat, alter ad conservandam[3]. Nec vero nos hoc magis videbamus, quam ipsi milites, a quibus tanta in judicando[4] prudentia non erat postulanda. Cum VII cohortibus isse Apolloniam[5] scribit Antonium, qui jam aut captus est (quod dii dent[6]!), aut certe homo verecundus in Macedoniam non accedit, ne contra senatusconsultum fecisse videatur. Delectus habitus in Macedonia est summo Q. Hortensii studio et industria: cujus animum egregium, dignum-

VI. 1. *Omne jus decretis.* Si respublica quid ad se pertineret, decretis suis quaque in re statuere posset: si sententiam suam de quovis cive libere ferre valeret, num Antonium inter et M. Brutum dubitaret?

2. *Quacumque iret.* Ita erat cupidus alienarum opum, ut quamvis in provinciam suam advolaret, ne Brutus viam præcluderet, tamen in via stetit, caducas hereditates occupaturus. Quid inde futurum esset, si tandem libere et absque timore furari ac rapere potuisset?

3. *Conservandam.* Probantur his verbis ea quæ de M. Bruto supra diximus, eum e Roma non belli civilis metu profugisse, sed uti præsidia sibi et reipublicæ simul compararet, quum senatus causam ipsius nimis caute capesseret.

4. *In judicando.* Ipsi milites sensere, quam grande discrimen Brutum inter et Antonium esset, quum alterum reliquerunt novas partes amplexuri. Nunc vero quam indecorum senatui esset, si milites, viri indocti, melius de republica quam cives præstantissimi judicavissent!

5. *Isse Apolloniam.* Faernus « esse Apolloniæ ». Garaton. autem scripturam nostram tuetur, quam quoque defendit Plutarch. in vita Bruti, qui C. Antonium Apolloniæ brevissime commoratum indicat.

6. *Quod dii dent!* Pro his verbis antiquus liber habet « quod dicit licet », quæ voces minime cum iis quæ antecedunt et quæ sequuntur congruunt, nullumque sensum habent. Lambinus conjiciebat legendum esse « quod dii approbent ».

que et ipso, et majoribus ejus, ex Bruti literis perspicere potuistis. Legio, quam L. Piso ducebat, legatus Antonii, Ciceroni se filio meo[7] tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum quæstorem[8], a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens summa virtute et constantia ab legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui et antea jure laudatus a nobis[9], et hoc tempore merito laudandus est, aperuit Dyrrhachii portas Bruto, et exercitum tradidit. Tenet igitur populus romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Græciam; nostræ sunt legiones, nostra levis armatura, noster equitatus, maximeque noster est Brutus, semperque noster, quum sua excellentissima virtute reipublicæ natus, tum fato quodam paterni maternique generis[10] et nominis.

VII. Ab hoc igitur quisquam bellum timet, qui, antequam nos id coacti suscepimus, in pace[1] jacere, quam in bello vigere maluit? quamquam ille quidem numquam jacuit, nec hoc cadere verbum in tantam virtutis præstantiam potest: erat enim in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. Tantum autem

7. *Filio meo*. Erat autem Ciceronis filius in M. Bruti castris. Eum Athenis dux ille abduxerat XXI annos natum, eoque legato utebatur. Hunc autem juvenem Bruto egregiam operam navavisse testatur Plutarchus in Bruto, cap. 36.

8. *Quæstorem*. Vocem hanc rejicit Ernest. a Vaticano expressam. Hanc defendit Garaton.

9. *Laudatus a nobis*. Per vocem illam intelligendus est senatus: tamquam orator scripsisset, « jure laudatus a nobis senatoribus ». Qui autem contendunt Ciceronem de se ipso *nobis* dixisse graviter errant; nam certe numquam magnis Vatinium laudibus est prosequutus.

10. *Paterni maternique generis*, etc. Paterni, a L. J. Bruto, qui reges primus Roma ejecit, reipublicæque prima posuit fundamenta; materni, a Servilio Ahala, qui Sp. Melium, funesta reipublicæ consilia molientem, sua manu interfecit.

VII. 1. *In pace jacere, quam in bello vigere maluit?* etc. Quum Antii, Lanuvii, Veliæque moraretur: numquam vero jacuit Brutus; sed paullulum cessare est coactus, quoniam non firmo satis in Italia auxilio adjuvabatur.

aberat a bello, ut, quum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium studiis[2] potius, quam eos in armorum discrimen adduceret. Itaque illi ipsi, si qui sunt, qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen iidem moderationem patientiamque mirantur.

Sed jam video, quid loquantur[3]: neque enim id occulte faciunt. Timere se dicunt, quomodo ferant veterani, exercitum Brutum habere[4]. Quasi vero quidquam intersit inter A. Hirtii, C. Pansæ, D. Bruti, C. Cæsaris, et hunc exercitum M. Bruti. Nam si quatuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi romani libertate arma ceperunt, quid est, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem causa ponatur? At enim veteranis suspectum est[5] nomen M. Bruti: magisne, quam Decimi? equidem non arbitror. Etsi est enim Brutorum commune factum, et laudis societas æqua, D. tamen Bruto iratiores erant hi[6]; qui id factum dolebant, quo minus[7] ab eo[8] rem illam dicebant fieri debuisse[9]. Quid ergo nunc agunt tot exercitus, nisi

2. *Defuerit civium studiis.* Commentatores quidam vera ibi Ciceronem proloquutum contendunt, quamdam M. Bruti tarditatem incusant, aut moderationem concelebrant. At nescio an non erraverint: namque hæc omnia oratorie magis quam vere testatur Cicero. Præterea quæ de bello ibi ait, videntur confutari ipsa M. Bruti in posterum agendi ratione. Et ad Div. XI, 1, hæc a D. Bruto scripta deprehendimus: « Cur novissimum tempus exspectemus potius, quam nunc aliquid moliamur? » Inde patet non consilium iis, sed potius exsequendi consilii rationes defuisse.

3. *Quid loquantur.* Hoc in Fufium Calenum prolatum est, qui primus sententiam rogatus, M. Bruto fuerat adversatus. Hunc jam Cicero initio orationis gravissimis verbis objurgavit.

4. *Exercitum Brutum habere.* Namque sane is exercitus veteranis videri poterat in ipsos paratus, quum imperatorem haberet M. Brutum Cæsaris percussorem.

5. *Suspectum est.* Non enim obliti sunt quam gravi odio Cæsarem Brutus persequeretur.

6. *Iratiores erant hi.* Al. « iratiores ii, qui ».

7. *Quo minus.* Jure quidem iratiores D. Bruto quam ceteris esse poterant. Namque eum maximis donis C. J. Cæsar cumularat, eique semper operam navaverat; quin immo in secundis etiam heredibus scripserat.

8. Al. *illo.*

9. Olim, *decuisse.*

ut obsidione D. Brutus liberetur? Qui autem hos exercitus ducunt? Hi, credo[10], qui C. Cæsaris res actas everti, qui causam veteranorum prodi[11] volunt.

VIII. Si ipse viveret C. Cæsar, acrius, credo, acta sua defenderet, quam vir fortissimus defendit Hirtius[1]; aut amicior causæ quisquam potest inveniri, quam filius[2]? At horum alter, nondum ex longinquitate gravissimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis[3] judicavit se a morte revocatum; alter virtutis robore firmior, quam ætatis, cum istis ipsis[4] veteranis ad D. Brutum liberandum est profectus[5]. Igitur illi[6] certissimi, iidemque acerrimi Cæsaris actorum patroni, pro D. Bruti salute bellum gerunt: quos veterani sequuntur: de libertate enim populi romani, non de suis commodis, armis decernendum vident[7]. Quid est igi-

10. *Hi, credo.* Ironice dictum; nam M. Antonius leges et acta Cæsaris, quantum in ipso erat, decretis suis evertebat.

11. *Veteranorum prodi.* Spem scil. fallere veteranorum, qui, ut confirmarentur agri, quos Cæsar ipsis dederat, a senatu postulabant: metusque erat, ne contra adimerentur, si M. Brutus et ceteri partium illarum fautores rerum summam obtinerent.

VIII. 1. *Hirtius.* Amicissimus ille Cæsari fuerat, summoque ejus acta studio defendebat ac tuebatur.

2. *Filius.* C. Cæsar Octavianus, qui primus grassanti latius Antonio obstiterat, veteranosque patris, ut in præcedentibus Philippicis vidimus, in exercitum conscripserat. Vox autem illa, *credo*, quæ ab initio posita, indicat oratorem ironice loqui.

3. *Quorum votis.* In prima septimaque Philippica narravit Cicero, quo studio, qua alacritate, vota pro salute Hirtii populus nuncupaverit; sententiamque illam, quam nunc exhibet, jam superius expressit.

4. *Istis ipsis veteranis.* Quibus, ii qui Antonii partibus favent, nomen Brutorum suspectum fore jactitant. Nunc vero nullo exemplo clarius confutari possunt, quam hac veteranorum agendi ratione, qui ad eum liberandum consentiunt, quem eos odisse quidam mendaciter ferant.

5. Al. « profectus est ».

6. *Igitur illi.* Pansa Hirtiusque, qui Cæsarem, donec vixit, coluere; filiusque ejus Cæsar Octavianus, qui audacissime ac constantissime ejus acta defendit.

7. *Decernendum vident.* Judicat semper Cicero, id quod optimum factum sit, ab iis decerni militibus animi parum sagacis, quo acrius senatores sibi devinciat; quum demonstrarit

tur, cur iis, qui D. Brutum omnibus opibus[8] conservatum velint, M. Bruti sit suspectus exercitus?

An vero, si quid esset, quod a M. Bruto timendum videretur, Pansa id non videret? aut, si videret, non laboraret? Quis aut sapientior[9] ad conjecturam rerum futurarum? aut ad propulsandum metum diligentior? Atqui[10] hujus animum erga M. Brutum, studiumque vidistis. Præcepit oratione sua, quid decernere nos de Bruto, quid sentire oporteret; tantumque abfuit, ut periculosum reipublicæ M. Bruti putaret exercitum, ut in eo firmissimum reipublicæ præsidium et gravissimum poneret. Scilicet[11] hoc Pansa aut non videt (hebeti enim ingenio est), aut negligit. Quæ enim Cæsar egit, ea rata esse non curat: de quibus confirmandis et sanciendis legem[12] comitiis centuriatis ex auctoritate nostra laturus est.

IX. Desinant igitur[1], aut ii, qui non timent, simu-

quam turpe sit iis, in hac re ceteros sequi, quum ipsi omnes deberent antecellere.

8. *Omnibus opibus*. Veteres libri *omnibus copiis*, quod non ita bene cum ceteris congruit. Garatonius, qui lectionem hanc defendit, hoc in loco notat, non usurpari frequenter verba illa *opibus omnibus*, sed tamen nihil aliud ac *omni ope* significare.

9. *Sapientior*. Vox illa Lambino non admittenda videtur: itaque legendum proponit, nulla MSS fretus auctoritate, *acutior*, quam ad conjecturam Grævius respondet: si quid esset mutandum, se anteferre vocem *solertior*.

10. *Atqui*. Vetus liber habet *atquin*, Inde autem Muret. scribendum putat *alioquin*; nam testatur Veteres sæpissime *atquin* pro *alioquin* usurpavisse.

11. *Scilicet*. Ironice. Sane, credo, si exercitus Bruti nomenque ipsius veteranis essent suspecta, non id prospiceret Pansa, aut si prospiceret, nullam rei curam haberet. Hoc modo omnino Calenum confutat, qui se veritum esse professus fuerat, ne veteranis Bruti exercitus displiceret.

12. *Legem*. Quam quidem paullo post tulit. Nam Philippica decima hæc Cicero de hac re scripsit: « Hos sustulimus, an contra, lege comitiis centuriatis lata sanximus ».

IX. 1. *Desinant igitur*. Postquam comprobavit orator, non fieri posse uti veteranis suspecta sint Brutorum consilia, longius progreditur, testaturque, quamvis senatui adversa esset veteranorum voluntas, non idcirco cessandum, sed contra fortius ac vehementius contra tyrannidem adnitendum. Caput illud totum inter cetera emicat, sententiarum gravitate

lare, se timere, se prospicere reipublicæ; aut ii, qui omnia verentur, nimium esse timidi : ne illorum simulatio[2], horum obsit ignavia. Quæ (malum[3]!) est ista ratio, semper optimis causis veteranorum nomen opponere? Quorum etiamsi amplecterer[4] virtutem, ut facio; tamen, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. An nos conantes servitutis vincula rumpere, impediet, si quis veteranos id nolle dixerit? Non sunt enim, credo, innumerabiles[5], qui pro communi libertate arma capiant. Nemo est præter veteranos milites, qui ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitetur[6]. Potest igitur stare respublica, freta veteranis, sine magno subsidio juventutis? Quos quidem vos libertatis adjutores complecti debetis; servitutis auctores sequi non debetis. Postremo (erumpat enim aliquando vera et me digna vox) si veteranorum nutu mentes hujus ordinis gubernabuntur, omniaque ad eorum voluntatem nostra dicta, facta[7] referentur; optanda mors est, quæ civibus romanis semper fuit servitute potior[8]. Omnis est misera servitus; sed fuerit

verborumque elegantia, præterea vehementissimo eloquentiæ impetu est admirandum.

2. *Simulatio*. Quidam edidere ex MSS *æmulatio*. Verbum autem illud quasi scriptum esset *invidia* explicabant; simile quiddam superius Cicero protulit, quum de iis queritur, qui timidi ac infames bonis invident. Nos Muretum sequuti sumus.

3. *Malum!* Vox illa idem sonat ac si dixisset, *mehercule;* sed aliquid tamen gravius et vehementius in *malum* est.

4. *Amplecterer*. Admirarer, aut foverem, diligerem, sicuti quidam contendunt.

5. *Innumerabiles*. Ironice. Immo vero maximum eorum numerum esse his vocibus testatur : quos non morabitur sane veteranorum voluntas, qui ipsi non ita multi sunt, ut totius Italiæ impetum refrenare ac coercere possint.

6. *Excitetur*. Immo vero omnis Italia, ut ipse plurimis in locis ait, ad spem libertatis erecta arma capit : hæc omnia plane intelliguntur, quum superius dixit, « tria tantum oppida Antoniis superesse ».

7. Al. « dicta factaque nostra referuntur ».

8. *Servitute potior*. Idem de Atheniensibus prædicat Demosthenes pro Corona, quum ait : Ἀλλ' οὐδὲ ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας αὐτοῖς

quædam necessaria: ecquodnam principium[9] putatis libertatis capessendæ? An, quum illum necessarium et fatalem pæne casum non tulerimus[10], hunc feremus voluntarium? Tota Italia desiderio libertatis exarsit; servire diutius non potest civitas; serius populo romano hunc vestitum[11] atque arma dedimus, quam ab eo flagitati sumus.

X. Magna nos quidem spe, et prope explorata, libertatis causam suscepimus. Sed, ut concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem, tamen pro libertate vitæ periculo decertandum[1] est: non enim in spiritu vita est[2], sed ea nulla est omnino servienti[3]. Omnes nationes servitutem ferre possunt; nostra civitas non potest: nec ullam aliam ob causam, nisi quod illæ laborem doloremque fugiunt, quibus ut caveant, omnia perpeti possunt; nos ita a majoribus instituti[4] atque imbuti sumus, ut omnia consilia atque

ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν. « Sed ne vitam quidem ipsam, nisi cum libertate liceret vivere, retinendam putabant ». Et simile quiddam Philipp. II, 44: « Servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum ».

9. *Ecquodnam principium.* Multi locum illum mutilum et multis ex partibus claudicantem arbitrati sunt, nescio qua de causa: nos vulgatam cum P. Manutio servavimus, quæ sensum continet quam maxime lucidum: namque idem est ac si Cicero diceret: « quodnam libertatis capessendæ initium cogitatis ».

10. *Non tulerimus.* De Cæsare agit. Quotiescumque de dictatore verba facit, notandum est eum exponere ambiguis vocibus; dominatumque viri illius tamquam triste, sed ineluctabile fatum prætendere.

11. *Vestitum.* Militarem apparatum; quem jamdiu sumendum esse ceteris in Philippicis, antequam legati ad Antonium proficiscerentur prædicabat.

X. 1. *Decertandum.* Multi legendum putabant *decernendum*, quidam vero *cernendum*, quasi vox illa idem significaret.

2. *In spiritu vita est.* Simile quiddam est in oratione pro Marcello: « Nec vero hæc tua vita dicenda, quæ corpore et spiritu continetur: illa, inquam, illa vita est, quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam ipsa æternitas semper intuebitur ».

3. *Servienti.* Vere vivere dici possunt qui liberi sunt, servientibus autem nulla est vita. Quidam locum illum mutilum arbitrabantur, sed nobis correctione indigere nullo modo videtur.

4. *Instituti.* Similia quædam jam

facta ad virtutem et ad[5] dignitatem referamus. Ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Quod si immortalitas[6] consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior servitus esset. Quum vero dies et noctes omnia nos undique fata circumstent[7], non est viri, minimeque Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturæ debeat[8], patriæ reddere.

Concurritur undique ad commune incendium restinguendum. Veterani primi, Cæsaris auctoritatem sequuti, conatum Antonii repulerunt; post ejusdem furorem Martia legio fregit,, quarta afflixit. Sic a suis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. Hunc A. Hirtii, C. Cæsaris exercitus insequuti sunt; post Pansæ delectus urbem, totamque Italiam erexit. Unus omnium est hostis. Quamquam habet secum L. fratrem, carissimum populo romano civem: cujus desiderium civitas ferre diutius non potest. Quid illa tetrius bellua? quid immanius? qui ob eam causam natus videtur, ne omnium mortalium[9] turpissimus esset M. Antonius. Est una Trebellius, qui jam cum tabulis novis[10] redit in gratiam; T. Plancus, ceteri

præfatus est in orationibus quæ antecedunt, quo acrius mentes senatorum accenderet, quum demonstraret quoddam esse romani nominis patrimonium libertatem.

5. Abest *ad*.

6. *Quod si immortalitas consequeretur*, etc. Multi variis modis locum illum scripsere.

7. *Fata circumstent*. Quum mors undique nobis immineat; namque ea consilia mente agitabat Antonius, quæ spem nullam salutis civibus, si vinceret, relinquere potuissent.

8. Al. *quis d.*

9. *Ne omnium mortalium*. Similis figura in Vatinium: « Die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te nonnumquam soles confiteri ». Et illa de provinciis: « Piso gloriatur se brevi tempore perfecisse, ne Gabinius, unus omnium nequissimus, existimaretur ».

10. *Tabulis novis*. Quas quum Do-

pares[11] : qui id pugnant, id agunt, ut contra rempublicam restituti [12] esse videantur. Sollicitant homines imperitos Saxæ et Caphones [13], ipsi rustici atque agrestes, qui hanc rempublicam nec viderunt umquam, nec videre constitutam volunt; qui non Cæsaris, sed Antonii acta defendunt; quos avertit[14] agri Campani infinita possessio: cujus eos non pudere miror, quum videant, se mimos et mimas [15] habere vicinos.

XI. Ad has pestes opprimendas, quid est cur moleste feramus, quod M. Bruti accessit exercitus? Immoderati, credo, hominis et turbulenti : vide, ne nimium pæne patientis. Etsi in illius viri consiliis atque factis nihil nec nimium, nec parum fuit umquam. Omnis voluntas M. Bruti, patres conscripti, omnis cogitatio, tota mens auctoritatem senatus, libertatem populi romani intuetur; hæc habet proposita, hæc tueri vult. Tentavit, quid patientia proficere [1] posset. Nihil quum proficeret, vi contra vim experiundum

labella primum ferret, ei adversatus erat; sed ubi compertum habuit, se nulla alia ratione ære alieno posse liberari, ipse novas protulit : itaque Cicero ait, cum iis eum in gratiam rediisse, quia hoc ipse proponeret, in quod tribunus plebis olim fuerat invectus.

11. *T. Plancus,, ceteri pares.* Hic Bursa est, de quo sæpissime in sexta Philippica agit orator.

12. *Restituti.* Quos Cæsar in patriam revocaverat, quum a Pompeio damnati olim, in exsilium acti fuissent.

13. *Saxæ et Caphones.* Lang. edidit *saxa captans,* quod nihil prorsus significare videtur : nescio quomodo factum fuerit, ut locum illum commentatores tam variis modis scripserint, sensumque ejus, quis esset, non intellexerint. Nihil tamen facilius est; namque vidimus supra Saxam et Caphonem perditos vitiis omnibus homines esse, quos secum abduxerat Antonius : inde nihil mirum, quod Cicero imperitorum animos suscitare in rempublicam eos testetur.

14. *Avertit.* Alienos a republica præstitit; et ita composuit, ut Antonii, nec jam Cæsaris, acta defenderent.

15. *Mimas.* Quibus Antonius quoque hujus campi partem diviserat.

XI. 1. *Proficere posset.* Longum satis tempus in locis urbis propinquis contrivit, quum exspectaret, donec auctoritatem suam ac dignitatem recuperare liceret. Sed ubi vidit res minime componi, et M. Antonium legiones a Brundisio in Urbem arcessere, ipse profectus est, ut vim et arma pararet. In Græciam, quæ conscribendis erat legionibus aptissima, aufugit.

putavit. Cui quidem, patres conscripti, vos idem tribuere hoc tempore debetis, quod a. d. XIII kalend. jan. D. Bruto et C. Cæsari, me auctore[2], tribuistis: quorum privatum de republica consilium et factum auctoritate vestra est comprobatum atque laudatum. Quod idem in M. Bruto facere debetis, a quo insperatum et repentinum reipublicæ præsidium legionum, equitatus[3], auxiliorum magnæ et firmæ copiæ comparatæ sunt; adjungendusque est Q. Hortensius, qui, quum Macedoniam obtineret, adjutorem se Bruto ad comparandum exercitum, fidelissimum et constantissimum præbuit. Nam de M. Apuleio[4] separatim censeo referendum; cui testis est per literas Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi.

Quæ quum ita sint, quod C. Pansa, consul, verba fecit de literis, quæ a Q. Cæpione Bruto[5], proconsule[6], allatæ, et huic ordini recitatæ sunt, de ea re ita censeo: Quum Q. Cæpionis Bruti, proconsulis, opera, consilio, industria, virtute, difficillimo reipublicæ tempore provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones,

2. *Me auctore.* Quum tertiam Philippicam egit.

3. *Equitatus.* Quem scilicet abduxit Dolabellæ M. Brutus. Attamen a Lentulo Cassioque abductum Dolabellæ, in epistola ad Tullium testatur ipse Lentulus. Sed arduum est statuere, a quo fuerit abductus ille equitatus.

4. *M. Apuleio separatim censeo referendum.* Is est de quo sic ad Ciceronem scripsit Brutus: « Apuleium tua auctoritate sustinere debes, sed Apuleius in sua epistola celebrabitur ».

5. *Q. Cæpione Bruto.* Adoptatus fuerat M. Brutus a Q. Cæpione, Serviliæ matris fratre; inde, ut solitum erat, prænomen sumpsit. Vide Excurs. II ad calc. hujus orationis.

6. *Proconsule.* Cretam illi senatus, Cassio Africam, statim post Cæsaris necem, assignarat: sed neuter in suam provinciam, quæ parum apta comparandis legionibus videbatur, profectus est. Brutus Macedoniam, Syriam Cassius petiit, brevique legionum firmissima præsidia, equitatus, et auxiliorum copias maximas, vel ducibus ereptas, vel iis sua sponte tradentibus compararunt. Itaque Philipp. XI ita scriptum est: « Non igitur Brutus exspectavit decreta nostra, quum studia nosset. Neque est in Cretam provinciam suam profectus: in Macedoniam alienam advolavit: legiones conscripsit novas, excepit veteres: equitatum abduxit Dolabellæ ».

exercitus, equitatus, in consulum, senatus populique romani potestate sint; id Q. Cæpionem Brutum, proconsulem, bene, et e republica, et sua majorumque suorum dignitate, consuetudineque reipublicæ bene gerendæ fecisse, eamque rem senatui populoque romano gratam esse, et fore; utique Q. Cæpio Brutus, proconsul, provinciam Macedoniam, Illyricum, totamque Græciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemque conservet, eique exercitui, quem ipse constituit, comparavit, præsit, pecuniaque ad rem militarem, si qua opus sit, quæ publica sit, et exigi possit, utatur, exigat, pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum imperet, operamque det, ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit. Quumque ex literis[7] Q. Cæpionis Bruti, proconsulis, intellectum sit, Q. Hortensii, proconsulis, opera et virtute vehementer rempublicam adjutam, omniaque ejus consilia cum consiliis Q. Cæpionis Bruti, proconsulis, conjuncta fuisse, eamque rem magno usui reipublicæ fuisse: Q. Hortensium, proconsulem, recte, et ordine, exque republica fecisse; senatuique placere, Q. Hortensium, proconsulem, cum quæstoribus, prove quæstoribus, et legatis suis provinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex senatusconsulto successum sit.

7. *Quumque ex literis.* Lang. cum multis: « Quumque literis ».

πιχαιρεκακία, ἡδονὴ ἐξ ἀλλοτρίων κακῶν, *Schadenfreude*, *malignité*).
ις, ἡδονὴ δι' ὤτων κατακηλοῦσα, *Entzükken*, *sensualité*).
r, *vanité*).

, *penchant à la sensualité*).
re, *dissolution*).

vel ex opinione

ας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως, *Zorn*, *colère*).
ιὸς, ὀργὴ ἀρχομένη, *Hitze*, *auffahrendes Wesen*, *emportement*).
Hass, *haine*).
;, ἐπιθυμία τοῦ κακῶς εἶναί τινι, *Rachsucht*, *inimitié*).
roll, *discorde*).

Perturbatio (πάθος, *Affect*, *passion*) **aversa a recta ratione contra naturam animi commotio** (ἡ ἄλογος, καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις), **appetitus vehementior** (ὁρμὴ πλεονάζουσα) **exsistit:**

καὶ οἷον κεχωρισμένη ἐκ τοῦ πράγματος, τεταμένη διακενῆς ἐπ' αὐτὸ καὶ
ité).

, *desir*).

Luctus, ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo (*Trauer*, *deuil*).
Mœror, ægritudo flebilis (*Zustand der Rührung*, *Gerührtheit*, *chagrin*, *désolation*).
Ærumna, ægritudo laboriosa (*Harm*, *abattement*).
Dolor, ægritudo crucians (ὀδύνη, λύπη ἐπίπονος, *Schmerz*, *douleur*).
Lamentatio, ægritudo cum ejulatu (*Wehklagen*, *lamentation*).
Sollicitudo, ægritudo cum cogitatione (*Bekümmerniss*, *souci*).
Molestia, ægritudo permanens (*Leiden*, *ennui*).
Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis (*Quaal*, *souffrance*).
Desperatio, ægritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum (*Verzweiflung*, *désespoir*).

vel ex opinion

γίας, *Arbeitscheu*, *Trägheit*, *paresse*).

ος πράγματος (*Schreck*, *épouvante*).
Besorgniss, *peur*).

, φόβος ἀδήλου πράγματος, *seelenloser Zustand*, *saisissement*).
πείξεως φωνῆς, *Verwirrung*, *trouble*).

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. X, cap. 1, pag. 418:

Idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? etc.

Qui te sententiam prius rogat. Non *prius*, sed *primum*, o. l. v. optime : ut in V. « Sic me perturbasset ejus sententia, qui primus rogatus ». Et in Pis. « Quem in senatu sententiam rogabas tertium? » Idem commutatis verbis dixit post red. ad Sen. « Quem kal. jan. tertio loco sententiam rogaras ». Quid multa? illo modo barbare loquutus esset. FERRAR. — *Qui te sententiam primum rogat. Prius* habet liber Vaticanus: sed *primus* legendum videtur. F. URSINUS. — In Græv. et Franc. est *primum*. In Colon. *prius*, sed interpolata est hæc vox et *us* est a recentiore manu, quum quod ante fuerat sit erasum. In Amsterod. est clare *primus*. GRÆVIUS. — Etiam in Barb. pr. inveni *primus* : sed merito Grævius a recentioribus desertus est, qui legi omnino debere *primum* intellexerunt. Ursinum lectionem tam malam excogitasse miror: sed magis etiam miror ei Grævium adsensum esse : quasi vero non unus Pansa consul sententias rogaret. Præclarum est Symmachi elogium in lapide Grut. CCCLXX, 5 : « Qui primus in senatu sententiam rogari solitus, auctoritate, prudentia, atque eloquentia pro dignitate tanti ordinis magnitudinem loci ejus impleverit ». Locum eumdem tuebatur male Calenus, dum Antonio favebat: idque tum hic, tum cap. 3, ei leviter exprobratur a Tullio. GARAT.

Primum scribendum esse putat etiam Ern. quod Pansa Calenum socerum primum semper rogaret sententiam, ut ex superioribus perspici licet.

Quum numquam... fuit, quod unus al. sent. tuam, etc.

Hic locus in antiquo libro, sine dictione *cur*, sic legitur, « numquam tam frequens senatus fuerit, quum unus aliquis sententiam tuam sequutus sit » : quam lectionem tenemus, præterquam in dictione *quum*, pro qua alii libri et vulgata habent *quod*, ego legendum puto *quo :* ut sit, « quo senatu ». Faern.

Faerni emendationem sequutus est Lambinus et Muretus, qui tamen retinuit *quum* pro *quo*. Meus liber pervetustus optime : « Quum numquam tam frequens senatus fuerit, quum unus aliquis sententiam tuam sit sequutus ». *Quum* postea transiit in *cur*, sicut in Coloniensi ultima litera hujus voculæ immutata est a posteriore manu, erasa priore litera. Postea quum legeretur *cur*, *fuerit* quoque refinxerunt, et scripserunt *fuit*, quum tamen illud optimi quique codices retineant : quod merito quærit Manutius unde pendeat. Si ex meo codice *quum* rescribas, omnia liquida invenies. Græv. — « Quum numquam tam frequens senatus fuerit, quum unus, etc. » Ita cum Faerno et Grævio Regii codices. Vulgo, « cur numquam tam frequens senatus fuit, ut unus, etc. » Sed hoc a correctoris alicujus manu. Lall. — Naug. Gryph. repet. Lamb. Grut. Verb. et Oliv. « cur, fuit, ut ». Rom. Ven. Ald. Herv. P. Manut. et C. Steph. cum MSS Ferr. Franc. Amst. et Barb. « cur, fuit, quod ». Cod. Steph. « cur, fuit, quum ». Colon. « cur, fuerit, quod ». Valde infirmum esse vides *ut :* male quod a Manutio defenditur; alia etenim est ratio locorum, quibus Cicero *quod* pro *ut*, aut pro ὅτι, aut pro infinitivis adhibuit. *Quum* autem quomodo explicari debet? quo tempore, opinor, ut ad Att. III, 1, « utinam diem illum videam, quum tibi gratias agam », et similia sexcenta. Sed vix hoc mihi satisfaciebat : neque item contentus eram exemplis hujus particulæ relativi pronominis loco positæ apud Wopkens. Lect. Tull. III, 12, pag. 303. Eo magis « quum unus » erat mihi suspectum, quo magis probabam « quum numquam », ubi *cur* facile substituere ii poterant, qui anaphoram eo usque

retrahi debere perperam existimabant. Placebat conjectura Faerni a Lamb. recepta, « quo unus » : nam ex *quo* facile oriri potuit utraque illa lectio, *quod* et *quom*. Verum omnes mihi suspiciones inspectio Vaticani peremit : in quo supra vidi pro « qui numquam » exhiberi « ut numquam », quomodo Lamb. ediderat. Locus, opinor, offensionem jam non habebit, si ex optimo cod. ita constituatur: « Quæ est enim ista tua ratio, Calene? quæ mens? ut numquam post kal. jan. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? numquam tam frequens senatus fuerit, quum unus aliquis sententiam tuam sequutus sit? » Gar. — Conjecit hic E. « quum numquam, quum tam frequens senatus fuerit, unus aliquis tuam, etc. » Recepta autem et ab Ern. et Sch. hæc lectio : « qui numquam post kal. jan.... rogat? Cur numquam tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis t. s. sequutus sit? » At constituendum putavi textum ex codice Vaticano et aliorum librorum auctoritate, ita ut emendavit Garatonius.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. X, cap. II, pag. 435:

Quæ a Q. Cæpione Bruto, proconsule, allatæ, etc.

Hunc locum non attigissem, nisi in quorumdam libris M. pro Q. repositum vidissem : quod ab iis factum his de causis existimo : primum quod hunc scriptores fere M. non Q. nominent : deinde Appiani verbis adducti, Μάρκος τε Βροῦτος Καιπίων ἐπίκλην. Sed Appianus (pace ejus dixerim) et ipse propter ignorationem Romanorum moris a veritate aberravit : et illos, qui eum ducem sequuti sunt, in eumdem duxit errorem. Non enim Bruti hoc proprie cognomen, sed commune gentis Serviliæ fuit : qua familia Bruti mater orta est. Ex quo licet conjicere, hunc M. Brutum a Q. Servilio Cæpione Serviliæ matris fratre germano adoptatum fuisse, adoptionem autem, ut pecuniæ, sic nominis hereditatem sequutam. Moris autem Romanorum fuit, ut ii, qui adoptabantur, in omnia patris adoptivi nomina venirent, genus autem patris naturalis ostenderent aut nomine gentis, aut cognomine : si nomine, ut illud producerent, ut ab Æmilio Æmilianus : si cognomine, nihil immutarent. Exempli gratia, M. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione adoptatur. Junius nomen est, Brutus cognomen. Ut igitur hunc indicio patrem significaret : prænomen, nomen, cognomen assumebat hoc modo, Q. Servilius Cæpio : finge illum Numidicum appellatum esse : id quoque assumebat. Natura vero patrem si nomine, sic, Q. Servilius Cæpio Numidicus Junianus : si cognomine, sic, Q. Servilius Cæpio Numidicus Brutus. Si is, qui in adoptionem mancipatus erat, aliquod sibi cognomen invenerat, id quoque non deponebatur. Id apparet apud Varronem : « Atticus, inquit, qui nunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius, cognomine eodem ».

Quod ad cognomen gentis attinet, videmus apud Cœlium in epist. «Scribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio». Hic autem P. Cornelius Scipio a Q. Cæcilio Metello Pio, ut Dion tradit, adoptatus est. De nomine L. Florus indicat, «P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Æmilii Paulli filius, Africani nepos adoptivus». Ut autem hoc omni asseveratione affirmem, facit argenteum numisma vetustissimum, quod in manus venit beneficio Bernardini Maffæi, adolescentis quum ceteris optimis studiis, atque artibus perpoliti, tum in hoc genere multum exercitati atque versati: in quo ex una parte hoc erat inscriptum, L. SEST. PROQ. ex altera Q. CAEPIO BRVTVS PROCOS. ut in dubium venire non possit, quin hi libri sine mendo sint, ut illi ad Attic. mendosi, Q. Cæpio Brutus. Ferr.

Et sua majorumque. In antiquo lib. est, «pro sua majorumque»: et post pauca, ubi est, «totamque Græciam», ille habet, «cunctamque Græciam», et pro «pecuniaque», «pecuniamque»: quod magis convenit iis quæ sequuntur, «utatur, exigat»: nam *utor* etiam cum accusativo usurpatur antiquis, *exigo* vero omnino accusativum postulat: post *exigat* antiq. liber non habet copulam *que*, nisi interposita dictione *pecuniam*, quam Ferrarius sustulit, dicens videri absurdum, quum supra dixerit *pecuniam*, postea inculcare *pecunias:* et propterea etiam pro eo quod infra est, *mutuas*, scripsit *mutuam :* nos antiquam lectionem restituimus, existimantes Ciceronem de ea pecunia, quæ publica est, dixisse in singulari, quod quodammodo una sit: de ea, quæ a privatis mutua sumi, aut eis imperari debebat, quæ non una, sed plures sunt, dixisse *pecunias :* totus ergo hic locus ex antiquo libro ita legendus: «pecuniamque ad rem militarem, si qua opus sit, quæ publica sit, et exigi possit, utatur, exigat: pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, imperet: frumentumque, etc.» quæ duo extrema verba præpostero ordine collocata in impressis

sunt. Faber. — Ita hunc locum exhibet Vatic. « id Q. Cæpionem procons. bene, et e rep. pro sua, majorumque..... fecisse: eam rem senatui, etc. » Muretus ex vulgata *et* ante *pro sua* tantum delevit, sive potius *pro* substituit vulgatis « et ex », quæ a Naug. ejusque sectatoribus, et Ferretto erant, quum Stephan. P. Manut. Ald. senior, Venet. et Rom. haberent « et sua », quod etiam in utroque Barb. ut primo videatur *ex* in locum veræ lectionis *pro* interpretis culpa migrasse. Infra, « incolumemque conservet », est a Ferr. et Vatic. Nam editi ante P. Manut. et Gryphius, et ambo Barb. *servet*. Car. Steph. codicem suum *conservet* habere silentio indicat. Vide ad cap. 30 pro Sulla, et 12 pro Ligario. Garat.

Pecuniaque ad rem militarem. Lambinus, *pecuniamque :* quomodo et Pall. et Hittorp. antique. Grut. — Quomodo totum hunc locum ex antiquo codice refinxit Faernus, et eum sequutus Lambinus, ex præcedente cognosces observatione. Sed hic excessit medicina modum. Ego a vulgata, quam et mei codd. asserunt, et retinuit Muretus et Manutius, non recedo. Græv. — *Pecuniamque..... utatur, exigat*. Ita ex Vaticano Faernus, et sic etiam Regii codices. Vulgati, *pecuniaque*, qui casus non convenit verbo sequenti *exigat :* nam *utor* etiam cum accusativo usurpatur Antiquis. Lall. — Recte id rejicitur, quod habet infra Vatic. « mutuas sumat, imperet, frumentumque, operamque det, etc. » Sed merito dubites, utrum *pecuniaque* legas, an *pecuniamque*. Sunt enim qui negent verbum *utor* cum accusativo a Cicerone adhibitum umquam fuisse: constat autem « pecuniaque utatur, exigat », recte se habere, quamvis ablativus posteriori verbo non conveniat, ut sæpe adnotavimus. Neque tamen hujusmodi ἀρχαϊσμὸν Tullio penitus denegandum putarim: etsi non levibus de causis ei tributum velim, ut alibi indicavi; meamque in simili locutione cautionem ostendi ad VII, 6, extr. Hic vero magni facienda est Vaticani auctoritas, cui nihil vehementer obstat, et quicum

præter Gruterianos codices et Regios etiam codex Car. Steph. et ambo Barb. exhibent *pecuniamque*, ut mirum mihi accidat Ferrarii silentium. Etiam in Verr. V, 43 extr. codex optimus Car. Stephani, et Cujacianus item egregius ita legunt : « libertatem, quam vos sociis dedistis, hanc ille in acerbissimo supplicio miserrimæ servitutis abusus est » : ubi quoque cum ablativo verbum *abutor* in libris plerisque construitur. Sed vereor, ne *hanc* optimi codices ab iis habeant, qui veterem formulam ignorarent, nunc abunde cognitam, cujus exemplum illustre proferam ex Alfeno Varo L. 103, D. de V. S. « In lege Censoria portus Siciliæ ita scriptum erat : SERVOS. QVOS. DOMVM. QVIS. DVCET. SVO. VSV. PRO. HIS. PORTORIVM. NE. DATO. » Plautus Pseudol. I, 5, 112, qui locus est pervulgatus,

> Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
> Ea circumducam lepide lenonem.

Itaque, quum anceps diu eo de loco fuerim, nunc *hac* præfero, et *libertatem*, ut cod. Palat. et edd. Rom. Naug. P. Manut. Ferretti, et Steph. exhibent. Magis autem huic nostro affinis est locus Agr. I, 4 : « jubet enim, pecuniam, si qua post nos consules ex novis vectigalibus recipiatur, hac uti decemviros » : ubi jam nihil mutatum velim, quamvis *pecunia* legendum conjecerim ad cap. 14 pro Mur. eamque conjecturam aliis rationibus munire possem. Quid ergo ad hunc ii loci conferunt? nimirum *pecuniam* ita confirmant, ut a verbo *utor* accusativum removeant : possunt enim ad *utatur*, *exigat* sua cuique pronomina subaudiri ; ut sit, « hac utatur, hanc exigat ». Hujusmodi autem supplementa casu interdum alio fieri oportere, quam quo cetera sunt posita, jam vidimus ad cap. 5 in Vatin. exemplisque locupletioribus hic uti possumus ex Perizonio ad Sanctii Minervam, II, 9, p. 202, ed. Genev. quæ hunc locum affinitate contingunt. Quod si quis hæc disputari subtilius, aut durius adhiberi contendat, aliam inibo viam, qua Vatica-

num audiri ferme debere conficiam. Si enim utrique verbo nomen convenire non potest, sive *pecuniam* legas, sive *pecunia*, neque ut conveniat necesse est: certe accusativum retinere præstabit, ut debitus optimo codici honos habeatur, quicum tot alii consentiunt, eaque lectio præferatur, quæ secundo tantum apta verbo, facilius librarios offenderit. Eadem tamen lectio, quo libentius adoptetur, sola poterit ambo illa verba complecti, si constructio ab optimis ante Tullium scriptoribus usurpata locum hic obtinere maxime opportunum posse credatur. GARAT.



M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA UNDECIMA

ARGUMENTUM.

A decima Philippica accepimus quanam ratione Brutus exercitum conscripsisset, et e Macedonia Caium Antonii fratrem deturbavisset : pari studio libertatis accensus, Cassius Syriam invasit, Dolabellamque ex ea provincia ejecit, quam contra leges ei assignarat Antonius; habebat autem decem legiones, quatuor millia equitum, et viginti sociorum cohortes. Quæ omnia ipse narrat Cassius in epistolis ad Ciceronem, quæ libro XII ad Div. continentur.

Quamvis Dolabella anno 709 finiente Roma profectus esset, non Cassium præoccupavit; namque Græciam, Macedoniam, Thraciam transgressus est non expedite satis : deinde in Asia Minori diu commoratus est, quam est aggressus Trebonio eripere, Ciceronis amicissimo, ac senatus fautori. Quum autem hoc per vim perpetrare non potuisset, ad artes et fraudem confugit. Quare fidei ac observantiæ argumentis, ita Trebonii animum sibi devinxit, ut ille duceret, nihil sibi esse ab eo reformidandum. Quumque securus in Smyrna esset Trebonius, urbem clam ingreditur Dolabella, virumque imprudentem occupat. Comprehensum sexcentis probris afficit, corpusque laniat, ut detegeret quo loco ærarium esset conditum; demum ei caput abscidi jussit. Nec quievit tamen militum effrenatorum furor, namque cadaver per vias protraxere, modis omnibus defuncto illudentes, quasi senatus auctoritatem contemnerent. Quæ quum essent ad senatum delata, quæsivere patres quid in tali re agendum foret. Primum Dolabellam patriæ hostem esse decrevere; tum quidam censuere mittendum P. Servilium qui eum opprimeret, alii Syriam ac Macedoniam tamquam provincias consulibus esse decernendas.

Quæ sit ipsius opinio, hac in Philippica Cicero exponit: Postquam graviter et vehementissime de iis conquestus est, quæ contra Trebonium patrata sunt, postquam in Dolabellam invectus est et in Antonium ejus collegam, ea reprehendit quæ senatui placuerant; tum Brutum censet Macedoniæ ac Græciæ esse præficiendum, quo facilius C. Antonium impugnare possit,

urbes aliquot hac in provincia possidentem; Cassiumque contra Dolabellam, cum dictatoria quodammodo potestate mittendum. Narrat simul quibus factis viri illi præstantissimi Cassius ac M. Brutus inclaruerint; tum virtutes eorum ad astra evehit, copiasque, quas in ditione habent, recenset: et postremo, quæ de veteranis reformidari possent, absurda omnino esse demonstrat.

Cicero in epistola ad Cassium (ad Div. XII, 7) ita de hac oratione agit quam martio exeunte habuerat, et de altera simul quum eadem de causa apud populum egerat, impellente ad id Servilio, plebis tribuno: « Quanto studio dignitatem tuam, et in senatu, et ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me cognoscere. Quæ mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset. Ea sententia dicta productus sum in concionem a tribuno plebis M. Servilio. Dixi de te quæ potui, tanta contentione, quantum forum est, tanto clamore consensuque populi, ut nihil umquam simile viderim..... favebam et reipublicæ, cui semper favi, et dignitati ac gloriæ tuæ: quod autem et in senatu pluribus verbis disserui et dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes: promisi enim et prope confirmavi, te non exspectasse nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum. »

Cassius autem, qui hanc agendi rationem fuerat amplexus, eam tenuit ad extremum, quamvis consulibus decreta fuisset Asiæ provincia. Sed paullo post in Ciceronis sententiam ivere, et repugnante Pansa, qui Cæsaris interfectores tacite oderat, senatusconsulto eæ Cassio Brutoque provinciæ datæ sunt, quæ iis sese addixerant.

ALIUD ARGUMENTUM.

Obtinente Asiam provinciam C. Trebonio, decretam a senatu post Cæsaris interitum, Dolabella in Syriam, Antonii sibi lege traditam, proficiscens, cum Trebonio familiarissime colloquutus, eumque summæ benivolentiæ simulatione complexus, incautum Smyrnæ oppressit, atque interfecit, et Asiam universam occupavit : hoc nuntio Romam perlato, senatus hostem Dolabellam judicavit, belloque persequendum censuit : sed quum ejus belli cura non satis constaret cui mandanda videretur, quum alii aliter sentirent, Cicero, deplorata prius Trebonii morte, imperatorem omnino C. Cassium, qui Dolabellam terra marique persequeretur, esse deligendum censuit : in quam sententiam (1) ut

(1) *In quam sententiam.* In alia omnia itum est, quam in Ciceronis sententiam : idque aperte colligitur ex epist. 7, lib. XII, ad Cassium : « quæ mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset ». Quo modo Pansa obstiterat? quia in Ciceronis verba fieri discessionem passus non fuerat; sicut etiam Philipp. VIII, quum de bello M. Antonio inferendo ageretur. Deinde dico factum eodem die SC. in Q. Fufii sententiam, ut consules Asiam sortirentur, et bellum inferrent Dolabellæ : hoc enim habetur epist. 14 lib. XII, quam P. Lentulus Pergæ dedit IV kal. junias, ubi ita scribit : « quoniam consulibus decreta est Asia, et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant ». Tertio, ex verbis hujus epistolæ colligo, senatum quidem nihil decrevisse de Cassio imperatore deligendo, sed ne de revocando quidem ex Syria, quem in eam provinciam privato consilio profectum fuisse omnes noverant : adeoque Philipp. XIII, 11, queritur M. Antonius, A. Hirtium, a C. Cæsare ornatum, « id agere, ut quam potentissimus sit Cassius atque Brutus » ; et ib. 15 subjicit, « in Syriam Cassium misistis », h. e. in Syriam profectum non revocastis. Quarto, victo ad Mutinam M. Antonio, absumptisque eo prælio consulibus, quibus bellum adversus Dolabellam mandatum fuerat, tunc demum res illa delata est ad C. Cassium. Cicero ad M. Brut. epist. 5 : « A. d. V kal. maias (nam XII kal. maias victoriæ nuntius Romam pervenerat) quum de iis, qui hostes judicati sunt, bello persequendis sententiæ dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, et ut Cassius persequeretur Dolabellam, cui quum essem assensus, etc. » Idem habet Velleius, II, 62, 1, quem negligenter legisse videtur Manutius. « Omnia, inquit, antequam fugaretur Antonius, honorifice a senatu in Cæsarem, exercitumque ejus decreta sunt, maxime auctore Cicerone. Sed, ut

SC. esse factum existimem, his Velleii verbis adducor : « Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine senatusconsulto occupaverant, decrêtæ ». P. Manut.

recessit metus (victo jam Antonio), erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine ullo SC. occupaverant, decretæ ». Quamquam de M. Bruto illud senatum decrevisse aliquanto ante, quam ad Mutinam fugaretur Antonius, testis est Cicero tum in Epistolis, tum etiam in Philippicis; et quod attinet ad hanc partem, defendi Velleius non potest. In quo magis errat Appianus (pag. 999, ed. Toll.) cum Manutio consentiens, atque adeo, pag. 1000, subjicit, Cassium accepisse Murci et Crispi legiones, « per amicitiam eas tradentium, et ex senatus mandato ad omnia obsequentium », κατά τε φιλίαν αὐτῷ παραδιδόντων, καὶ κατὰ τὸ δόγμα τῆς βουλῆς ἐς πάντα ὑπακουόντων. Patet autem ex Epist. XII, 11, Murcum et Crispum se suasque legiones tradidisse Cassio ante kal. martias, quum nullum adhuc esset ea de re SC. Ferr. — Hanc sententiam vere docteque tuetur etiam Norisius in Cenotaph. Pisan. Dissert. II, cap. 16, § 4, qui est conferendus. Garat.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA UNDECIMA.

ORATIO TERTIA ET QUINQUAGESIMA.

I. Magno in dolore[1], patres conscripti, vel mœrore potius[2], quem ex crudeli et miserabili morte C. Trebonii, optimi civis, moderatissimique hominis, accepimus, inest tamen aliquid, quod reipublicæ profuturum putem. Perspeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas[3]. Nam duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima et spurcissima, Dolabella et Antonius: quorum alter effecit, quod optabat[4]; de altero patefactum est, quid cogitaret. L. Cinna crudelis; C. Marius in iracundia perseverans; L. Sulla vehemens: neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est[5]. Quæ tamen pœna in cives nimis

I. 1. *Magno in dolore*. Male Ernest. *in dolore sum*. J. V. L.

2. *Mœrore potius*. Dolorem ita Cicero Tusculanarum in quarta definit: «dolor est ægritudo crucians;» et mœrorem sic interpretatur: « mœror est ægritudo flebilis ».

3. *Inesset immanitas*. Dolabella enim in Treboniam fuit crudelissimus; nam per dies duo modis omnibus cruciavit, et postea vita defunctum, opprobriis, per maxime impiam libidinem, affecit. Quæ omnia ceterum hac in Ciceronis oratione inferius exposita reperiemus.

4. *Optabat*. Necem scilicet Trebonii, Asiæque possessionem optabat.

5. *Ultra mortem est*. Haud facile est verba illa Ciceronis cum historia componere. Namque L. Sulla, erutos Marii cineres, in amnis alveum, si Valerio Maximo fides adhibenda, projecisse

crudelis putabatur. Ecce tibi geminum [6] in scelere par, invisitatum [7], inauditum, ferum, barbarum. Itaque quorum summum quondam inter ipsos odium bellumque [8] meministis, eosdem postea singulari inter se consensu et amore devinxit impurissimæ naturæ et turpissimæ vitæ similitudo. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. Sed ille quum procul abesset a consulibus exercitibusque nostris, neque dum, senatum cum populo romano conspirasse, sensisset, fretus Antonii copiis, ea scelera suscepit, quæ Romæ jam suscepta [9] arbitrabatur a socio furoris sui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare censetis, aut quam omnino causam esse belli? Omnes, qui libere de republica sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum romanum liberum esse voluimus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostes; majora tamen in nos, quam in hostem, supplicia meditatur: mortem naturæ pœnam [10] putat esse; iracundiæ, tormenta atque cruciatum. Qualis igitur hostis habendus est is, a quo

fertur: C. autem Marius, caput Antonii, clarissimi oratoris, abscissum, manibus suis ipse inter epulandum cum summa verborum insolentia contrectavit. Nunc vero quæ Cicero præfatur, oratorie magis dicta, quam vere putandum est: mirandum tamen, quod contra res tam notas medio in senatu, reclamante nullo, egerit. Curio autem, ut oratorem mendacii culpa exsolvat, eum talia ignoravisse conjicit, quod minime videtur admittendum.

6. *Ecce tibi geminum.* Multis modis locus ille fuit scriptus: quidam legendum censebant, *tergeminum*: quod certe nullo modo cum iis quæ antecedunt et sequuntur congrueret.

7. *Invisitatum.* Quidam conjiciebant legendum esse, *inusitatum*, quod certe nullo modo elegans est ac latinum: itaque nullum est dubium quin *invisitatum* reponi oporteat.

8. *Bellumque.* Contentionem, quum contra acta sua mutua pugnarent: quanam autem de causa inter se dissenserint secunda narratur Philippica.

9. *Jam suscepta arbitrabatur a socio furoris sui.* Antonius enim, senatoribus iratus, qui contra ipsum leges ferebant, multos eorum se morti daturum promiserat.

10. *Naturæ pœnam.* Faern. *pœnam* abundare censet: quod forsan haud ita absurdum fuerit, nam voce illa sublata, non minus intellectu facilis, et concinna magis est sententia.

victore si cruciatus absit, mors in beneficii parte numeretur?

II. Quamobrem, patres conscripti, quamquam hortatore non egetis (ipsi enim vestra sponte exarsistis[1] ad libertatis recuperandæ cupiditatem), tamen eo majore animo studioque libertatem defendite, quo majora proposita victis supplicia servitutis videtis. In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella; in alienam uterque provinciam. Alteri se Brutus[2] objecit, impetumque furentis, atque omnia divexare et diripere cupientis, vitæ suæ periculo colligavit, progressu arcuit[3], a reditu refrenavit: obsideri se passus ex utraque parte constrinxit Antonium. Alter in Asiam[4] irrupit: cur? si ut in Syriam[5], patebat via certa, neque longa. Quid opus fuit cum legione[6]? præmisso Marso nescio quo Octavio, scelerato latrone atque egenti, qui popularetur agros, vexaret urbes, non ad spem constituendæ rei familiaris, quam tenere eum posse negant, qui norunt (mihi enim hic senator ignotus est), sed ad præsentem pastum mendicitatis suæ. Consequutus est Dolabella, nulla suspicione belli. Quis enim id putaret? Sequutæ collocutiones familiarissimæ cum

II. 1. *Vestra sponte exarsistis*. Senatores enim summo studio decreta tulerant, quibus Antonium urgerent, studiumque libertatis quam acerrimum declaraverant.

2. *Brutus*. Decimus scilicet, qui irrumpenti in Galliam Antonio obstitit, sicuti jam supra vidimus.

3. *Progressu arcuit*. Omnes libri vett. atque ipse Vatic. sed a recentiore manu editum habent, *a progressu arcuit*. Sed magis consentaneum est latini sermonis elegantiæ scribere, *progressu arcuit*.

4. *Alter in Asiam*. Multis modis tentatus fuit locus ille a variis commentariorum scriptoribus, quorum opinionem reperias in Excursu I ad calcem hujusce orationis.

5. *Si ut in Syriam*. Si ob eam causam in Asiam prorupit, ut inde Syriam peteret, in Asiam ire non oportuit, quum pateret via longa minus ac certior. Sin autem ad Syriam properabat, quare latronem præ se misit qui regionem vastaret?

6. *Legione*. Quam quidem ei Antonius tradiderat, ex militibus ad quidlibet facinus audendum paratissimis conflatam.

Trebonio; complexusque summæ benivolentiæ[7], falsi indices exstiterunt in amore simulato[8]; dexteræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt et scelere violatæ; nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem; quæ est fidelissimorum antiquissimorumque sociorum; oppressus Trebonius[9]: si ut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus[10]; si ut ab eo, qui civis etiam tum speciem haberet, miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. Consularem hominem, consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, Samiario[11] exsuli tradidit: interficere captum statim noluit, ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur. Quum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idque per biduum. Post a cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit

7. *Summæ benivolentiæ*. Quare quidam hæc in verba fuerint invecti agnosces in Excursu II.

8. *In amore simulato*. Quidam ob hæc verba delendam putavere vocem *falsi*, quæ paullo ante occurrit, tamquam inutilem ac supervacaneam: nobis tamen illa propter hæc ipsa retinenda videtur: neque enim falsi fuissent indices, nisi mentitus ac simulatus fuisset amor.

9. *Oppressus Trebonius*. Ibi cum historicis non ita bene consentit Cicero: Strabo obsidione a Dolabella Trebonium captum narrat: Appianusque Dolabellam multo copiosius defendit. Ait enim, eum a Pergamo et a Smyrna exclusum, tum frustra Smyrnam oppugnasse: atque inde ut Ephesum iret, amotum, eodem reversum fuisse, urbemque nec opinato cepisse. Trebonium autem statim a centurione occisum narrat: corpusque ejus laniatum a militibus, maximo in eum odio accensis, quod Cæsarem cum Brutis mactavisset. De simulata autem benivolentia, fideque decepta nihil agit. Velleius tamen Trebonium ingratissimum prædicit, fraudeque deceptum testatur. Solus Dio cum Cicerone congruit.

10. *Incautus*. Locum sic intellige: Incautus fuit Trebonius, si ab eo se opprimi passus est, qui hostis reipublicæ esset; miser autem, si ab eo est occisus, qui civis etiam speciem adhuc præ se ferret.

11. *Samiario*. Verbum illud modis multis scripsere commentatores, quum quid significaret, non satis aperte deprehenderent. Samiarius autem plerisque nomen proprium esse visus est illius qui mortem Trebonio attulit. Quam opinionem sumus amplexi.

in pilo; reliquum corpus tractum atque laniatum abjecit in mare. Cum hoc bellandum hoste est; a cujus teterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde civium romanorum? de direptione fanorum? Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex, nos alio bello[12] distineri putat. Quasi vero non unum idemque bellum sit contra hoc jugum[13] impiorum nefarium.

III. Imaginem M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis : ex hoc illa efficta est[1]; ab hoc illa Dolabellæ scelerum præcepta sunt tradita. Num leniorem, quam in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? Mihi quidem et ille[2] pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia, neque Antonius ullius supplicii adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem esse relicturus. Ponite igitur[3] ante oculos, patres conscripti, miseram illam quidem et flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam : nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, quum miser ille prius latronum gladios videret, quam, quæ res esset, audisset; furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atque os illud infame, vincula, ver-

12. *Alio bello.* Quod prope Mutinam, cum Marco Antonio gerimus.

13. *Hoc jugum.* Antonium et Dolabellam. Jugum autem dicit, quia tamquam ferarum par reipublicæ infestissimorum eos intuetur.

III. 1. *Efficta est.* Quidam legunt, *effecta* : sed vox illa nullo modo admittenda est. Etenim Dolabellam Antonius ad indolis ac vitæ imaginem finxit : Vaticanus tamen habet *effecta est*, sed mendose, ut ipse Garatonius confitetur.

2. *Ille.* Dolabella scilicet, qui teterrimum feritatis exemplum edidit.

3. *Ponite igitur.* Servius ad Æn. II, 407, hæc ita recitat : « Ponite itaque ante oculos, P. C. miseram quidem illam et flebilem speciem, sed ad incitandos nostros animos necessariam ». Ferrarius monuerat, omnibus in suis MSS haberi « miseram illam quidem; » sed tamen Garatonius legendum putat *miseram quidem illam*, quia locus ille sic scriptus, auribus ejus, ut ipse ait, gratior est.

bera, equuleum, carnificem tortoremque Samiarium. Quæ tulisse illum fortiter et patienter ferunt. Magna laus, meoque judicio omnium maxima. Est enim sapientis[4], quidquid homini accidere possit, id, præmeditari, ferendum modice[5] esse, si evenerit. Majoris omnino est consilii, providere, ne quid tale accidat; sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit. Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quamquam ejus numquam particeps fuit[6], ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit[7] non solum in vivo, sed etiam in mortuo; atque in ejus corpore lacerando atque vexando, quum animum satiare non posset, oculos paverit suos.

IV. O multo miserior Dolabella, quam ille, quem tu miserrimum esse voluisti! Dolores Trebonius pertulit magnos: multi, ex morbi gravitate majores[1]; quos tamen non miseros, sed laboriosos[2] dicere solemus. Longus fuit dolor bidui: at compluribus, annorum sæpe multorum. Nec vero graviora sunt carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta morborum. Alia sunt, alia, inquam, o perditissimi homines et amentissimi, multo miseriora. Nam, quo major vis est animi, quam corporis, hoc sunt graviora ea, quæ concipiuntur animo, quam illa, quæ corpore. Miserior igitur[3], qui suscipit in se scelus, quam is, qui al-

4. *Est enim sapientis*. Quæ sententia græco quidem hausta e fonte videtur. Sic enim Pittacus: Συνετῶν ἀνδρῶν ἐστι, πρὶν γενέσθαι, τὰ δυσχερῆ προνοῆσαι, μὴ γένηται· ἀνδρείων δὲ γένομενα εὖ θέσθαι. « Intelligentium virorum est, antequam eveniant mala, providere ne accidant; fortium vero, si evenerint, moderate ferre. »

5. *Modice*. Moderato scilicet, neque iracundo animo.

6. *Fuit*. Legendum quidam putant *fuerit*.

7. *Exercuerit*. Quidam, *exacuerit*.

IV. 1. *Gravitate majores*. Multi pertulere dolores, multo graviores quam Trebonius, quum morbi gravitate urgerentur.

2. *Laboriosos*. Hoc sensu labor sumitur eo loco, quo dolor.

3. *Miserior igitur*. Ab omnibus omnium ætatum philosophis prolata fuit

terius[4] facinus subire cogitur. Cruciatus est a Dolabella Trebonius : et quidem et a Carthaginiensibus Regulus. In qua re quum[5] crudelissimi Pœni judicati sint in hoste, quid in cive Dolabella judicandus[6] est? An vero hoc conferendum est? aut dubitandum, uter miserior? isne, cujus mortem senatus populusque romanus ulciscitur[7]; an is, qui cunctis senatus sententiis hostis est judicatus? Nam ceteris quidem vitæ partibus, quis est, qui possit sine Trebonii maxima contumelia conferre vitam Trebonii cum Dolabellæ[8]? Alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in patria liberanda, quis ignorat? Alteri a puero pro deliciis crudelitas fuit; deinde ea libidinum turpitudo, ut in hoc sit semper lætatus, quod ea faceret, quæ sibi objici ne ab inimico quidem possent verecundo. Et hic, dii immortales! aliquando fuit meus[9]. Occulta enim erant vitia

hæc sententia, sæpissimeque Ciceronis in scriptis deprehenditur.

4. *Qui alterius.* Vaticanus non ita locum illum exhibet : sic enim in eo est expressus : « Miserior igitur qui suscepit in se scelus, quam si vi alterius facinus subire cogitur ». Quam lectionem, quum nulla alia auctoritate firmetur, Garatonius ipse non defendit.

5. *In qua re quum.* Locum sic scripsimus, a multis quoque ita editum : sed Garatonius his verbis lectionem illam impugnat : « Elegantiam loci non viderunt, qui confidenter *in* adposuere : neque cogitamus Tullium *qua in re* scripturum fuisse, si id placuisset, quod eis placuit. Recte unus Grævius, præpositione cum aliis Vaticani sectatoribus expuncta, divisas ut erant in libris omnibus voces *qua re* nobis exhibuit ».

6. *Dolabella judicandus est.* Multi habent : « quid in cive de Dolabella judicandum ». Utrumvis legas, eamdem habebis sententiam ; itaque parvi refert quonam modo locus ille scribatur.

7. *Ulciscitur.* Faernus vehementissime in hoc verbum invehitur, cujus tamen de absurditate se nihil dicturum profitetur : lectionemque aliam illam proponit, *ulcisci cupit.* Quæ ei in mentem venit, quia in manuscripto scriptum vidit *ulcis cupit ;* unde conjecit legendum *ulcisci cupit.* Nemo fere ei morem gessit.

8. *Cum Dolabellæ.* Vaticanus unus hanc lectionem præ se fert, quum omnes antea edidissent, *cum Dolabella*, quod minus cum ceteris hoc in loco congruit.

9. *Aliquando fuit meus.* Irrepserat, nescio quo pacto, post voces illas, verbum *amicus*, quod certe imperitus

non inquirenti. Neque nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille vobis, nisi mœnibus patriæ, nisi huic urbi, nisi diis penatibus, nisi aris et focis omnium nostrum, nisi denique naturæ et humanitati inventus esset inimicus. A quo admoniti[10], diligentius et vigilantius caveamus Antonium.

V. Etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos et insignes latrones. At videtis, quos et quam multos habeat Antonius. Primum L. fratrem. Quam facem, dii immortales! quod facinus! quod scelus! quem gurgitem! quam voraginem! Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis? in cujus possessiones atque fortunas non impudentissimos oculos spe et mente defigere? Quid Censorinum[1]? qui se verbo prætorem esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit. Quid Bestiam? qui se consulatum in Bruti locum petere profitetur. Atque hoc quidem detestabile omen avertat Jupiter! Quam absurdum autem, qui prætor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro prætura putat. Alter Cæsar[2], Vopiscus ille[3], homo summo ingenio, summa potentia,

quidam interposuerat librarius. Dolabellam autem Cicero suum nominat, quia Tulliam filiam uxorem duxerat, aut quia aliquando fuit amicitia cum Cicerone conjunctissimus: quod testatur epistola quædam ad Atticum: qua sic de illo agit: « O mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum: antea, antea, crede mihi, subdubitabam ». Postea multi occurrunt in epistolis ad Diversos loci, quibus acriter in Dolabellam invehitur, et omnia narrat quæ ab eo male gesta conqueritur.

10. *A quo admoniti*. Semper ad Antonium convertitur orator; et, quum de sociis ejus verba facit, hac mente agit, ut in eum gravius odium suscitet.

V. 1. *Censorinum*. Nihil de illo Censorino certum habemus, qui cap. 14 inferius nominatur.

2. *Alter Cæsar, Vopiscus ille*. Al. *Cæsar Vopiscus, ille h.* J. V. L.

3. *Vopiscus ille*. C. J. Cæsar, quum adhuc Marius Sullaque viverent, consul esse antequam prætor fuisset aggressus est: sed non per leges licebat, ex ædilitate ad consulatum provehi; Sulpiciusque, tribunus plebis, vehementer ei est adversatus. Hanc rem

qui ex ædilitate[4] consulatum petit[5], solvatur[6] legibus: quamquam leges eum non tenent, propter eximiam, credo, dignitatem[7]. At hic, me defendente, quinquies absolutus est. Sexta palma urbana etiam in[8] gladiatore difficilis. Sed hæc judicum culpa, non mea est. Ego defendi fide optima: illi debuerunt[9] clarissimum et præstantissimum senatorem in civitate retinere. Qui tamen nunc nihil aliud agere videtur[10], nisi ut intelligamus, illos, quorum res judicatas irritas[11] fecimus, bene et e republica judicavisse. Neque hoc in hoc uno est. Sunt alii in eisdem castris honeste condemnati, turpiter restituti. Quod horum consilium, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimum, putatis fore? Accedit Saxa, nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis[12]: a qua quum

revocat orator, quum Vopiscum novum Cæsarem dicit. Vopiscum autem illum eumdem esse ac Bestiam superius designatum constat: et forsan ex cognomine ita dicebatur.

4. *Qui ex ædilitate*, etc. Alii edd. exhibent: «Qui ex ædilitate ad consulatum. Solvatur legibus. Quamquam leges eum non tenent. Credo dignitate». J. V. L.

5. *Petit.* Non hoc quidem tempore petebat, sed proximum erat in annum petiturus.

6. *Solvatur legibus.* Ut, omissa prætura, consulatum poscere ei liceat.

7. *Dignitatem.* Eum deridet, quæ dignitas enim esse possit hominis quinquies in judicium vocati.

8. *In gladiatore.* Romæ gladiatores fortissimi atque audacissimi confluebant: itaque perarduum erat gladiatori plures victorias referre. Ad hoc alludit Cicero; et his vocibus, quasi indicare videtur, quædam præmia seposita fuisse iis, qui sexies vicerint.

9. *Illi debuerunt clarissimum*, etc. Ironice: immo optime egerunt, quum eum condemnavere.

10. *Agere videtur.* Ita agit, ita se omnibus flagitiis inquinat, ut demonstret nobis quam recte fecerint judices, qui eum urbe expulerunt.

11. *Irritas fecimus.* C. Cæsar dictator, quum alios multos legibus in exsilium pulsos restituit, tum ipsum Vopiscum revocavit: atque ita sententiam illorum irritam fecit, per quos ante ab urbe fuerat ejectus. Attamen ille se adeo sceleratum præstabat, ut quilibet intelligere posset, bene, et e republica judices illos fecisse, qui civem perditissimum ex urbe ejecissent. Sic Ferrarius locum illum explanavit, cui omnes assensere.

12. *Urbis.* Speraverat res Antonii feliciter ita cessuras, ut brevi non jam

sit alienus, suo capiti, salvis nobis, ominetur. Cum hoc veteranus Capho: quo neminem veterani pejus oderunt. His, quasi præter dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas prædiorum [13]: quibus utinam contenti essent! Ferremus, etsi tolerabile non erat; sed quidvis patiendum fuit, ut hoc teterrimum bellum non haberemus.

VI. Quid? illa castrorum M. Antonii lumina, nonne ante oculos proponitis? Primum duos collegas Antonii et Dolabellæ [1], Nuculam et Lentonem, Italiæ divisores lege ea, quam senatus per vim latam [2] judicavit: quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragœdiam. Quid dicam de Apulo Domitio? cujus bona modo proscripta vidimus: tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. Sed non possunt non prodige vivere, qui nostra bona sperant, quum effundunt sua. Videte etiam P. Decii auctionem, clarissimi viri: qui majorum suorum exempla persequens, pro alieno se ære devovit [3]. Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. Hominem ridiculum, qui se exire ære alieno putet posse,

castra, sed urbem ipsam metaretur: hoc est, in varias divideret partes, quas scelerum suorum fautoribus Antonius assignaret.

13. *Nutriculas prædiorum*. Ita omnibus frugum opibus agri Campani abundabant, ut alere possent reliqua prædia, quæ suis Antonius diviserat: itaque agrum illum tamquam nutriculam prædiorum omnium nominat.

VI. 1. *Dolabellæ*. In septemviratu: namque ii fuere septemviri; M. Antonius, L. Antonius, Dolabella, Nucula, Lento, Mustela, Tiro.

2. *Per vim latam*. Vidimus superioribus in Philippicis quanam ratione, contra morem, contraque augurum voluntatem, leges illæ latæ fuerint. Quas simul ac potuit senatus abrogavit: sic enim Philippica sexta ait Cicero: « Septemvirum acta sustulimus, jacent beneficia Nuculæ: friget patronus Antonius ».

3. *Devovit*. Nota nimis Deciorum historia, qui pro republica sese devovere, quam ut eam repetamus. Paucissimis his verbis indicat orator, quantum a majoribus vir ille distet, qui ære alieno obrutus, non sua, sed aliorum bona vendidit.

quum vendat aliena! Nam quid ego de Trebellio dicam? quem ultæ videntur furiæ debitorum[4]: vindicem enim tabularum novarum novam tabulam[5] vidimus. Quid de L. Planco[6]? quem præstantissimus civis, Aquila[7], Pollentia expulit, et quidem crure fracto: quod utinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset[8]! Lumen et decus illius exercitus pæne præterii, C. Annium Cimbrum[9], Lysidici filium, Lysidicum ipsum[10] [græco verbo], quoniam omnia jura dissolvit: nisi forte jure Germanum Cimber[11] occidit.

Quum hanc, et hujus generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet; quum Dolabella tantis se obstrinxerit parricidiis, nequaquam pari latronum manu et copia? Quapropter, ut invitus sæpe dissensi a Q. Fufio[12], ita sum ejus sententiæ libenter

4. *Furiæ debitorum*. Vir ille, quum tribunus plebis esset, valde obstiterat novis legibus, per quas æs alienum tollebatur. Itaque Cicero ait eum persequutas fuisse debitorum furias, ut qui ære alieno liberari eos noluisset. Nescio autem qua mente Ernest. nulla MSS auctoritate fretus, reposuerit *creditorum*, quod sensum omnino mutat.

5. *Tabulam vidimus*. Vindicem illam tabulam dicit, quia ulcisci videbatur tabulas novas, contra quas vehementer Trebellius pugnaverat. Quum multi locum illum variis modis interpretati fuerint, vide Excursum III.

6. *L. Planco*. Legendum est, sicuti in quarto sextæ Philippicæ capite, «T. Planco». De illo enim T. Munatio Planco agitur, de quo sæpe actum. Quanam autem ratione Pollentia fuerit pulsus, fracto crure, notum sane omnibus hoc erat tempore. Nobis vero, quamvis Philippic. XIII, 12, eadem narret Cicero, res paullo est subobscurior.

7. *Aquila*. Pontius Aquila, unus ex percussoribus Cæsaris, qui in Mutinensi pugna occubuit.

8. *Ne huc redire potuisset*. Quum eum C. Cæsar restituit.

9. *C. Annium Cimbrum*. Alii conj. *T. Annium*. J. V. L.

10. *Lysidicum ipsum*. In illo loco ludit orator; Lysidicus, si ad verbi usque originem recurras, græca lingua eum significat, qui jura omnia solvit: venit enim a geminis illis vocibus, λύειν δίκην.

11. *Germanum Cimber*. Jocus est: et ad verba illa *Germanum* et *Cimber* alludit orator. Quum enim Germanis infestissimi Cimbri essent, Cimbro Germanum occidere licebat. Non autem ex Germana gente quemquam, sed fratrem suum Cimber occiderat. Ibi aculeus est.

12. *Sæpe dissensi a Q. Fufio*. Idem ille Calenus est, contra quem acriter ita invectus est Cicero, tamquam Antoniorum fautorem.

assensus. Ex quo judicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa dissidere. Itaque non assentior solum, sed etiam gratias ago Q. Fufio. Dixit enim severam, gravem, republica dignam sententiam: judicavit hostem Dolabellam; bona ejus censuit [13] publice possidenda. Quo quum addi nihil posset (quid enim atrocius potuit, quid severius decernere?), dixit tamen, si quis eorum, qui post se rogati essent, graviorem sententiam dixisset, in eam se iturum. Quam severitatem quis potest non laudare?

VII. Nunc quoniam hostis est judicatus Dolabella, bello est persequendus [1]. Neque enim quiescet: habet legionem, habet fugitivos, habet sceleratam impiorum manum [2]; est ipse confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus [3]. Quamobrem, quoniam cum Dolabella [hesterno die hoste decreto] bellum gerendum est, imperator est deligendus. Duæ dictæ sunt sententiæ; quarum neutram probo: alteram [4], quia semper, nisi quum est necesse, periculosam arbitror; alteram [5], quia alienam his temporibus existimo.

Nam extraordinarium imperium [6] populare atque ventosum est, minime nostræ gravitatis, minime hujus

13. *Ejus censuit.* A Vatic. abest vox *ejus*, quum a ceteris omnibus servetur.

VII. 1. *Bello est persequendus.* In hac sententia tota Ciceronis oratio versatur, et ad hoc unum suscepta videtur: summa autem arte rem expedit orator, hoc argumento innixus: hostis est judicatus Dolabella, ergo est armis et bello persequendus.

2. *Impiorum manum.* Ea facinora admiserat vir ille, post quæ non poterat quiescere; etenim necesse erat, ut cædem ab illo factam respublica ulcisceretur, aut ipse, ut supplicium vitaret, rempublicam opprimeret.

3. *Mortis addictus.* Hac pugnat ratione, qua gladiatores, qui nunquam nisi mortui cedunt. Paullum subobscurus videtur hic locus.

4. *Alteram*, etc. Cujus auctor fuerat L. Cæsar, qui censuerat P. Servilium dictatoria quodammodo potestate esse instruendum, quo facilius Dolabellam bello persequeretur.

5. *Alteram.* Quidam censebant consules in Asiam atque Syriam mittendos esse, quo certius Dolabellam opprimerent. Itaque poscebant, uti illæ provinciæ iis a senatu protinus decernerentur.

6. *Imperium.* Al. *semper imperium.*

ordinis. Bello Antiochi[7] magno et gravi, quum L. Scipioni, Publii filio, obvenisset Asia[8], parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusque ad collegam ejus, C. Lælium, hujus Sapientis[9] patrem, negotium deferret : surrexit P. Africanus, frater major L. Scipionis, et illam ignominiam a familia[10] deprecatus est; dixitque, et in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei legatum, id ætatis, iisque rebus gestis, defuturum. Quod quum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis provincia commutatum : nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quæsitum, quam duobus antea maximis Punicis bellis, quæ a consulibus, aut a dictatoribus gesta et confecta sunt; aut quam Pyrrhi, quam Philippi[11], quam post Achaico bello, quam Punico tertio : ad quod populus romanus ita sibi ipse[12] delegit idoneum ducem, P. Scipionem, ut eum tamen bellum gèrere consulem vellet.

VIII. Cum Aristonico[1] bellum gerendum fuit, L. Va-

7. *Bello Antiochi.* Faernus et Garatonius legendum censent, *Antiochino*, quasi vox illa multo sit elegantior.

8. *Asia.* Hanc vocem non habet Vatican. quod recte factum fuisse testatur Garatonius; namque non in Asiam, sed in Græciam, missus erat Scipio, belli sedem.

9. *Hujus Sapientis.* Duo C. Lælii fuere, pater et filius : pater autem, Africani majoris amicitia notissimus, filius minoris. Huic autem Sapientis cognomen obtigit. De hoc agitur in libro de Amicitia.

10. *A familia.* Multi legendum putant *familiæ*, eamque vocem contendunt, cum latini sermonis elegantia et concinnitate multo melius congruere; nec idem significare, *aliquid ab aliquo deprecari*, ac *aliquid alicui deprecari.* Quum autem lectionem nostram defendant edd. plurimi, et MSS optimi, eam servavimus.

11. *Quam Philippi.* Macedonum rex ille fuit, a T. Flaminino devictus, non autem Flaminio, ut quidam scriptum volunt.

12. *Sibi ipse.* Alii codices exhibent *ipse sibi.* J. V. L.

VIII. 1. *Cum Aristonico.* Ab Eumene Pergamenorum rege erat oriundus; cujus, quum solium occupare fuisset aggressus, a Romanis fuit oppressus. Qui primum contra eum missus est, Crassus, miserabili morte periit. Ab historicis narratur fuisse primus, qui summus pontifex ex Italia cum imperio sit egressus. Quæ ibi præterea Cicero narrat, non testantur annales.

lerio, P. Licinio consulibus. Rogatus est[2] populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus consul, et pontifex maximus, Flacco collegæ, flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. Quam multam populus remisit[3]; pontifici tamen flaminem parere jussit. Sed ne tum quidem populus ad privatum detulit bellum: quamquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumphaverat; qui quum longe omnes belli gloria et virtute superaret, duas tantum tribus tulit[4]. Ita populus[5] romanus consuli potius Crasso, quam privato Africano, bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeii imperiis, summi viri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti[6] tulerunt. Nam Sertorianum bellum a senatu privato datum est[7], quia consules recusabant: quum L. Philippus pro consulibus[8] eum se[9] mittere dixit, non pro consule. Quæ igitur hæc comitia[10]? aut

2. *Rogatus est.* Abest *est.* J. V. L.

3. *Populus remisit.* Licebat iis qui summum pontificatum obtinebant, multas ceteris imponere, ut eos in officio continerent. Provocatio autem ad populum erat, cui multam remittendi leges potestatem fecerant.

4. *Tribus tulit.* Duarum tribuum tantum suffragia tulit.

5. *Populus.* Al. *populus romanus.* Vatic. sequimur. J. V. L.

6. *Turbulenti.* Gabinius scilicet atque Manilius, tribuni plebis, decernendum curavere Pompeio, ille Piraticum bellum, alter bellum Mithridaticum. Mirandum prorsus quod hoc in loco contra hos plebis tribunos invehatur Cicero, quum ipse legem ab iis, hoc in tempore latam, defenderit. Namque in oratione pro lege Manilia, quidquid statui de Pompeio curabant approbavit, et vehementer defendit. Qua in re tamen vir ille peritissimus erraverat, quumque ætate provectior, quantum peccavisset, agnovit, hæc ipse impugnat, quæ antea summa ope defenderat.

7. *Datum.* Lambin. notat alios MSS habere, *delatum;* alios, *mandatum.* J. V. L.

8. *Pro consulibus.* Pro lege Manil. cap. 21, refert orator verbum illud Philippi. Quum quis in provinciam, consulis vices gesturus, mittebatur, dicebatur eum mitti pro consule: Philippus autem auctor erat, Pompeium non pro consule tantum, sed pro consulibus mitti.

9. *Eum se mittere.* Al. *se eum mittere.* J. V. L.

10. *Hæc comitia.* Ad plebem pertinebant comitia: sed populi jus imminuebatur, si hæc senatus decerneret, quæ Quiritum ex auctoritate penderent. Itaque Cicero comitia ait, jus illud quod sibi senatus assumebat, magistratus ac provincias decernendi.

quam ambitionem constantissimus et gravissimus civis, L. Cæsar in senatum introduxit? Clarissimo viro [11] atque innocentissimo decrevit imperium, privato tamen. In quo maximum nobis onus imposuit. Assensero [12]: ambitionem induxero [13] in curiam. Negaro[14]: videbor suffragio meo, tamquam comitiis, honorem homini amicissimo denegasse [15]. Quod si comitia placet in senatu habere[16], petamus, ambiamus. Tabella modo detur nobis, sicut populo data est. Cur committis, Cæsar, ut aut præstantissimus vir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse videatur; aut unusquisque nostrum præteritus, si, quum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur?

At enim (nam id exaudio) C. Cæsari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi [17]. Ille enim mihi præsidium extraordinarium dederat. Quum dico mihi, senatui dico, populoque romano. A quo respublica præsidium, ne cogitatum quidem, tantum haberet, ut sine eo salva esse non posset, huic extraordinarium imperium non darem? Aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. Quæ est enim ratio, aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus? Non igitur, quod ereptum non est [18], est id

11. *Clarissimo viro.* P. Servilio, viro consulari, Isaurici filio.

12. *Assensero.* Eleganter, pro *si assensero:* multo enim venustius omittitur quam additur particula *si*. Eadem figura Phil. XIII rursus occurrit: « Recesseris: undique omnes insequentur; manseris, hærebis ».

13. *Ambitionem induxero.* Alii enim viri consulares idem petent: sententia iis quæ sequuntur, fit clarior; explanant eam enim verba illa: ne unusquisque nostrum præteritus esse videatur.

14. *Negaro.* Al. *negavero.* J. V. L.

15. *Denegasse.* Olim, *denegavisse.* J. V. L.

16. *In senatu habere.* Si placet eum eligere, qui contra Dolabellam mittatur.

17. *Mea sententia dedi.* Ea necesse erat Ciceroni objici, quæ ipse fecerat. Quæque autem ait inferius, ut acta quodammodo sua defendat, non ita firma sunt et recte judicata. Quorum quodque suo loco explanabimus.

18. *Ereptum non est.* Non omnino vera hæc dici possunt: namque quum

existimandum datum[19]. Eripuissetis C. Cæsari, patres conscripti, imperium, nisi dedissetis. Milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen sequuti, pro republica arma ceperant, volebant[20] sibi ab illo imperari; legio Martia, et quarta, ita se[21] contulerant ad auctoritatem senatus, populique romani dignitatem, ut eum deposcerent imperatorem et ducem. Imperium C. Cæsari belli necessitas[22], fasces senatus dedit. Otioso vero, et nihil agenti privato, obsecro te, L. Cæsar (cum peritissimo homine mihi res est), quando imperium senatus dedit?

IX. Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amicissimo[1], ac de me optime merito, videar. Etsi quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? Illa vero[2], patres conscripti, aliena consulum dignitate, aliena temporum gravitate sententia est, ut consules, Dolabellæ persequendi causa, Asiam et Syriam sortiantur. Dicam, cur inutile reipublicæ: sed prius, quam turpe consulibus sit,

decretis suis maximas laudes Cæsari Octav. tribuit senatus, et quæcumque fecerat, optime et recte acta judicavit, quumque ei quodammodo imperavit, ut in Antonium opprimendum progrederetur, certe potestas vere ei concessa est. Præterea licet eum non laudavissent senatores, quum imperium ei non adimerent, hoc ipso facto maximam ei potestatem dabant.

19. *Datum*. Al. *esse datum*. J. V. L.

20. *Volebant*. Quod ait hoc in loco Cicero, ipse superius confutavit. Etenim quum quidam jactarent, veteranos M. Brutum pertimescere, in senatu proclamavit, mortem potius esse subeundam, quam diutius ex militum arbitrio pendere. Nunc autem contraria his refert, quum ait imperium necessario fuisse Octavio relinquendum, quia metus erat, ne veterani non libenter, alio imperante, pugnarent. Jam autem diximus quantum in eis orator ille, quæ de Octavio censebat, erraverit.

21. *Se contulerant*. Al. *contulerat*. J. V. L.

22. *Imperium C. Cæsari belli necessitas*. Sic cod. Vatic. Vulg. *Cæsari bellum necessitas*. Quod Ernest. retinuit. J. V. L.

IX. 1. *Homini amicissimo*. P. scilicet Servilio, de quo fusius in Phil. secunda agitur.

2. *Illa vero*. Alteram sententiam quoque impugnat; quod quidem in orationis principio se facturum declaraverat.

videte. Quum consul designatus[3] obsideatur, in eoque liberando salus sit posita reipublicæ; quumque a populo romano pestiferi cives[4], parricidæque desciverint; quumque id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus; et, si in potestatem quis Antonii venerit, proposita sint tormenta atque cruciatus[5]; quumque harum rerum omnium decertatio[6] consulibus optimis et fortissimis commissa et commendata sit: Asiæ et Syriæ mentio fiet, ut aut suspicioni crimen[7], aut invidiæ materiam[8] dedisse videamur? At vero ita decernunt, « ut liberato[9] Bruto: » id enim restabat[10], ut relicto, deserto, prodito. Ego vero mentionem omnino provinciarum factam dico alienissimo tempore[11]. Quamvis enim intentus animus tuus sit, C. Pansa, sicut est, ad virum fortissimum et

3. *Consul designatus.* Decimus Brutus, quem Mutina obsessum Antonius tenebat. Jam vidimus non acriter æque in Dolabellam invehi Ciceronem, ac in Antonium. Quæ omnia de Dolabella opprimendo narravit, hæc in Antonium quodammodo jactantur, quia eum orator, tamquam omnium malorum fontem ac originem demonstrat.

4. *Pestiferi cives.* Qui Antonii causam amplexi, contra rempublicam arma ceperunt.

5. *Cruciatus.* Hæc ait propter omnia nefanda, quæ ausus fuerat in virum clarissimum Dolabella. Atqui, quum ille tantum Antonii vicarius sit, inde conjicere licet quæ pararet victis Antonius.

6. *Decertatio.* Assidua deliberatio, disceptatio; nam a decerno fit decerto.

7. *Suspicioni crimen.* Si consules enim, omissa D. Bruti liberandi cura, in Syriam et in Asiam proficiscuntur; non jam suspicio, quæ nunc est, de eorum animo erga Decimum, sed crimen habebitur: quasi contra Dolabellam arma ceperint, quia Bruto irati, propter C. J. Cæsaris necem, opem ferre noluerint.

8. *Invidiæ materiam.* Consulibus irati procul dubio erunt, quicumque libertatis causam tuentur, quia videbuntur deserere patriæ defensorem ac propugnatorem. Præterea si in Syriam et Asiam tendant consules, patebit omni auxilio vacua Italia.

9. *Ut liberato Bruto.* Qui consules contra Dolabellam mittendos censebant, auctores erant, eos tantummodo proficisci debere, quum D. Brutum obsidione liberavissent.

10. *Id enim restabat, ut relicto,* etc. Rem absurdam omnino esse orator ostendit; nihilque his verbis profici declarat.

11. *Alienissimo tempore.* Quia non decebat animum nostrum in varias partes distrahi, novis sceleratorum hominum consiliis. Quod præterea demonstrat iis quæ sequuntur.

30.

omnium clarissimum liberandum : tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum, et partem aliquam in Asiam et Syriam derivare curæ et cogitationis tuæ. Si autem fieri posset, vel plures te animos habere vellem, quos omnes ad Mutinam intenderes. Quod quoniam fieri non potest, istoc animo, quem habes præstantissimum atque optimum, nihil te volumus, nisi de Bruto, cogitare. Facis tu id quidem, et eo maxime incumbis : duas tamen res [12], magnas præsertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. Incitare et inflammare tuum istud præstantissimum studium, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus.

X. Adde istuc sermones hominum, adde suspiciones, adde invidiam. Imitare me, quem tu semper laudasti : qui instructam ornatamque a senatu provinciam deposui [1], ut incendium patriæ, omissa omni cogitatione, restinguerem. Nemo erit, præter unum me, quicum profecto, si quid interesse tua putasses, pro summa familiaritate nostra communicasses, qui credat, te invito, provinciam tibi esse decretam. Hanc, quæso, pro tua singulari sapientia, reprime [2] famam; atque effice, ne id, quod non curas, cupere videare. Quod quidem eo vehementius tibi laborandum est,

12. *Duas tamen res.* Ad verba illa Curio refert, nullo modo homines posse duas res una persequi. Quod ad præceptum firmandum ac comprobandum, multa ex Aristotele decerpit, quibus duas res uno atque eodem tempore non agere posse homo demonstratur. Quæ autem, quum non iis esset ibi locus, negleximus.

X. 1. *Provinciam deposui.* Quum consul esset, Galliæ provinciam deposuit, ut Catilinæ conjurationem opprimeret. Sic ipse in oratione adversus Pisonem habita de re illa loquitur : « Ego Antonium collegam cupidum provinciæ, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi ».

2. *Reprime famam.* Ipse, sponte tua, provinciam depone, ut totus sis in opprimenda Antonii sociorumque ejus audacia.

quia in eamdem cadere suspicionem collega[3], vir clarissimus, non potest. Nihil horum scit, nihil suspicatur. Bellum gerit; in acie stat; de sanguine et de spiritu decertat; ante provinciam sibi decretam audiet, quam potuerit tempus ei rei datum suspicari. Vereor, ne exercitus quoque nostri, qui non delectus necessitate, sed voluntariis studiis se ad rempublicam contulerunt, tardentur animis[4], si quidquam aliud a nobis, nisi de instanti bello, cogitatum putabunt. Quod si provinciæ consulibus expetendæ videntur, sicut sæpe multis clarissimis viris expetitæ sunt : reddite prius nobis Brutum[5], lumen et decus civitatis; qui ita conservandus est, ut id signum, quod de cælo delapsum, Vestæ custodiis[6] continetur; quo salvo, salvi sumus futuri. Tunc[7] vel in cælum vos, si fieri poterit, humeris nostris tollemus; provincias certe dignissimas vobis deligemus. Nunc quod agitur, agamus. Agitur autem, liberine vivamus, an mortem obeamus : quæ certe servituti anteponenda est.

Quid, si etiam[8] affert tarditatem ista sententia ad Dolabellam persequendum? Quando enim veniet consul? an id exspectamus, quo ne vestigium quidem Asiæ

3. *Collega*. A. Hirtius.

4. *Tardentur animis*. Sæpissime in orationibus quæ antecedunt sententiam illam explicuit. Namque si senatus molliter patriæ causam capesseret, verendum erat, ne cives qui ad arma ultro concurrerant, statim discederent, quum se unos pro libertate pugnaturos intelligerent, non adjuvante populo, ac senatu quiescente.

5. *Reddite prius nobis Brutum*. Decimum scilicet, qui Mutinæ ab Antonio obsessus tenebatur.

6. *Vestæ custodiis*. Palladium, sive Palladis imaginem parvam, quod e cælo lapsum putabatur, Vestæ sacerdotes summa observantia colebant. Quod autem sequitur, *quo salvo*, non jam ad palladium, sed ad Brutum pertinet. In hoc autem gallicus erravit interpres, qui verba illa ad palladium pertinere contendit.

7. *Tunc vel in cælum*. Alii habent *hunc vel in cælum*. Quod nullo modo cum iis quæ antecedunt, et quæ sequuntur, congruit.

8. *Quid, si etiam*. Alteram confirmationis partem aggreditur, quam paullo ante se explanaturum pronuntiavit.

civitatum atque urbium relinquatur? At mittent[9] aliquem de suo numero. Valde mihi probari potest, qui paullo ante clarissimo viro privato imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. Num P. Servilio digniorem? At eum[10] quidem civitas non habet. Quod ergo ipse nemini putat dandum, ne a senatu quidem; id ego unius judicio delatum comprobem? Expedito nobis homine et parato, patres conscripti, opus est, et eo, qui imperium[11] legitimum habeat; qui præterea auctoritatem, nomen[12], exercitum, perspectum animum in republica liberanda.

XI. Quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterque. Decernerem plane, sicut multa[1], « consulem alterum, ambove », ni Brutum colligassemus in Græcia, et ejus auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam, maluissemus: non ut ex ea acie respectum haberemus[2], sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum. Præterea, patres conscripti, M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet[3] Apolloniam,

9. *Mittent*. Consules scilicet, qui deligent aliquem contra Dolabellam mittendum.

10. *At eum*. Sed civitas non possidet virum aliquem Servilio digniorem, qui bello huic præficiatur. Quidam hoc in loco, propter verbum *eum*, erravere; sensus autem, sicut edidimus, lucidus est ac omnino patens.

11. *Imperium legitimum*. Qui auctoritate ea sit ornatus, quam leges ei commisere.

12. *Nomen*. Quum sponte sua milites ad bellum coibant, necesse erat, ut, qui eis præficeretur, notissimus factis esset, quo major civium numerus ad eum concurreret.

XI. 1. *Sicut multa*. Multi locum illum multis modis scripsere, quia non plane intelligere videbantur quid significaret vox illa, *sicut multa*. Legendum censebant *sicut multi*, quod rem omnino mutat. Etenim Cicero ait se fuisse decreturum, alterum eorum aut utrumque, sicut in multis senatusconsultis fieri solet, quibus ita scribitur, aut consulem alterum, ambove.

2. *Respectum haberemus*. Dubium omnino locum illum sic Manutius interpretatur: non ut propter exercitum Bruti, propinquum Italiæ, removeremus animos a Mutina, et in aliam partem respiceremus, sed ut exercitibus quos habemus in Italia, paratum etiam esset subsidium transmarinum. Quum autem non omnes in hanc sententiam iverint, vide Excursum IV.

3. *Tenet Apolloniam*. Urbem Epiri, quam relinquere coactus, quod inco-

magnam urbem et gravem; tenet, opinor, Byllidem [4]; tenet Amantiam; instat Epiro; urget Illyricum; habet aliquot cohortes [5], habet equitatum. Hinc si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Græciam certe amiserimus. Est autem etiam de Brundisio atque illa [6] ora Italiæ providendum. Quamquam miror tamdiu morari [7] Antonium. Solet enim accipere ipse manicas [8], nec diutius obsidionis metum [9] sustinere. Quod si confecerit [10] Brutus, et intellexerit, plus se reipublicæ profuturum, si Dolabellam persequatur, quam si in Græcia maneat: aget ipse per sese, ut adhuc quoque fecit; neque in tot incendiis, quibus confestim succurrendum est, exspectabit senatum. Nam et Brutus, et Cassius multis jam in rebus ipse sibi senatus [11] fuit. Necesse est enim, in tanta conversione et perturbatione rerum, temporibus potius parere, quam moribus [12]. Nec enim nunc primum aut Brutus, aut Cassius salutem libertatemque patriæ, legem sanctissimam, et morem optimum judicavit. Itaque si ad nos nihil

las Bruto favere intelligeret, Buthrotum se contulit: nec multo post a Ciceronis filio pugna victus est. Sic saltem Plutarch. in vita Bruti.

4. *Byllidem*. In Illyrico, Amantiam in Macedonia.

5. *Aliquot cohortes*. Vidimus supra in decima Philippica septem cohortes Antonio esse. Hic Cicero numerum non refert, quia vires Antonii augere in animo habet, ut ostendat necesse esse Brutum in Græcia morari, non autem in Syriam mitti contra Dolabellam. Quod si autem septem cohortes esse indicasset, exiguitas illa copiarum in causa fuisset, cur non metuendus C. Antonius videretur.

6. *Illa ora*. Itaque in Philippica decima censere se professus est M. Brutum proxime Italiam esse retinendum.

7. *Tamdiu morari*. In Græcia, neque trajicere inde in Italiam.

8. *Manicas*. Vestis genus erat quem Romani induebant, iter facturi, quaque brachia muniebantur, quum sub sagis autem nuda essent.

9. *Obsidionis metum*. Quod certe eventus comprobavit: nam Apolloniæ obsidionem non sustinuit, et se Buthrotum, ut supra diximus, contulit.

10. *Confecerit*. Devicerit Antonium, ita ut jam ab eo nihil posse metui videatur.

11. *Senatus fuit*. Hoc est, quid esset agendum, animo decrevere, decretumque aggressi sunt, quasi, quæ recte esse judicassent, senatus ipse censuisset.

12. *Temporibus potius parere, quam moribus*. Institutis majorum.

referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, quum essent tales virtute, auctoritate, nobilitate summi viri: quorum alterius jam notus[13] nobis est exercitus, alterius auditus.

XII. Non igitur Brutus exspectavit decreta nostra, quum studia nosset. Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus; in Macedoniam alienam[1] advolavit; omnia sua putavit, quæ vos vestra esse velletis; legiones conscripsit novas, excepit veteres; equitatum ad se abduxit[2] Dolabellæ, atque eum nondum tanto parricidio oblitum[3], hostem sua sententia judicavit. Nam ni ita esset, quo jure equitatum a consule abduceret? Quid? C. Cassius, pari magnitudine animi et consilii præditus, nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? Qua lege? quo jure? Eo, quod Jupiter ipse[4] sanxit, ut omnia, quæ reipublicæ salutaria essent, legitima et justa haberentur. Est enim lex nihil aliud, nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Cassius, quum est in Syriam profectus, alienam provinciam, si ho-

13. *Notus*. Bruti scilicet, quia propius Italiam est. — *Auditus*. Cassii, quia procul a nobis distat, nam vir ille jam Syriam obtinebat.

XII. 1. *Alienam*. Quæ Q. Hortensio fuerat decreta. Hanc autem M. Antonius Caio fratri destinarat, sed senatusconsulto quidquid tulerat abrogatum est, tamquam contra leges editum.

2. *Ad se abduxit*. Lentulus autem in epistola ad Ciceronem narrat, se equitatum Dolabellæ abduxisse, Cassioque, non autem Bruto tradidisse.

3. *Parricidio oblitum*. Trebonii nece, per summam injuriam mactati. Quidam hæsere in *oblitum*, quæ vox non ex *oblivisci*, sed ex *oblinere* defluit.

4. *Quod Jupiter ipse*. Invidia atque odio in Antonium abreptus, longius progreditur orator, et ea profert quæ ad civile bellum concitandum essent aptissima. Namque, si cuique licet, nullo senatus respectu habito, ea patrare quæ utilia reipublicæ credit, quot mala inde quantæque discordiæ oriantur, quum boni malique fines ex cujusque arbitrio terminentur. Vidimus jam in his, quæ antecedunt, orationibus, quantum Cicero nonnumquam erraverit, nimio libertatis recuperandæ studio quasi obcæcatus.

mines legibus scriptis uterentur; his vero[5] oppressis, suam, lege naturæ.

Sed ut ea vestra quoque auctoritate[6] firmetur, censeo : Quum P. Dolabella, quique ejus crudelissimi et teterrimi facinoris[7] ministri, socii, adjutores fuerunt, hostes populi romani a senatu judicati sint; quumque senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut is, qui omnia deorum hominumque jura novo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioque patriæ se parricidio obstrinxerit, pœnas diis hominibusque meritas debitasque persolvat : senatui placere, C. Cassium, proconsulem, provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure provinciam obtinuerit; eumque a Q. Marcio Crispo, proconsule, L. Statio Murco[8], proconsule, A. Allieno legato[9], exercitus accipere[10], eosque ei tradere; cumque his copiis, et si quas præterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequi : ejus belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, cetera, quæ ad id bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, jus potestatemque habeat; utque, quamcumque in provinciam ejus belli ge-

5. *His vero oppressis.* Si vero leges e medio tollantur, ipsius erat illa provincia; hac ratione scilicet, quia quæ reipublicæ esse judicabat, tamquam sua usurpaverat. Non adeo arduum esset, hoc etiam in loco, contra sententiam oratoris pugnare.

6. *Auctoritate.* Necesse erat, ut illa adderentur; namque, quum apud senatum ageret Cicero, oportebat eum indicare non omnino exstinctam fuisse hujus ordinis auctoritatem. Quod evenisset, si ita primo occupanti provinciæ patuissent.

7. *Facinoris.* Vidimus supra quanta crudelitate fuerit habitus post mortem etiam Trebonius, quum cadaveri nefarii homines modis omnibus illuderent.

8. *L. Statio Murco, proconsule.* Cum Crispo missus ille ad Bassum opprimendum fuerat.

9. *Legato.* Dolabellæ scilicet. Quatuor autem legatos habuit ille : Allienum, M. Octavium, de quo supra, Sext. Marium, C. Titium, de quibus in epistola Lentuli ad Ciceronem mentio est.

10. *Accipere.* Accepit quidem ab Allieno quatuor legiones ex Ægypto eductas.

rendi causa advenerit, ibi majus imperium C. Cassii, proconsulis, sit, quam ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, quum C. Cassius, proconsul, in eam provinciam venerit : regem Dejotarum patrem, et regem Dejotarum filium[11], si, ut multis bellis sæpenumero imperium populi romani juverint, item C. Cassium proconsulem copiis suis opibusque juvissent, senatui populoque romano gratum esse facturos; itemque si ceteri reges, tetrarchæ, dynastæque fecissent, senatum populumque romanum eorum officii non immemorem futurum : utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, si eis videbitur, republica recuperata, de provinciis consularibus, prætoriis, ad hunc ordinem primo quoque tempore referant. Interea provinciæ ab iis, a quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex senatusconsulto successum sit.

XIII. Hoc senatusconsulto ardentem inflammabitis, et armatum armabitis Cassium. Nec enim animum ejus potestis ignorare, nec copias. Animus is est, quem videtis[1]; copiæ, quas audistis, fortis et constantis viri, qui, ne vivo quidem Trebonio, Dolabellæ latrocinium in Syriam penetrare sivisset. Allienus, familiaris et necessarius meus, post interitum Trebonii profectus, ne dici quidem se legatum Dolabellæ volet. Est Q. Cæcilii Bassi[2], privati illius quidem, sed fortis et præclari

11. *Regem Dejotarum filium.* Pro Dejotar. 13 sic ait : « Omnia tu Dejotaro, Cæsar, tribuisti, quum et ipsi, et filio nomen regium concessisti ».

XIII. 1. *Videtis.* Qui, nullis instructus copiis, eo tamen ex Italia profectus consilio est, ut Dolabellam Syria prohiberet. Ferrarius malebat *vidistis*, quia hoc verbo idus martiæ designabantur. Sæpe autem commutantur *audistis* et *vidistis*, ut notum est, et in his orationibus ipsis observavimus. Supra Nauger. primus dedit *is est*, mendo illo veterum editionum *ipse* sublato.

2. *Bassi.* Q. Cæcilius Bassus, Pompeianarum partium fautor acerrimus, quamvis tantummodo eques esset romanus, nullo adjuvante, exercitum conflaverat. Copiis autem instructus, quas sibi ipse paraverat, Syriam invasit, et plures consulum legatos devicit.

viri, robustus et victor[3] exercitus. Dejotari regis et patris, et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus : summa in filio spes, summa ingenii indoles, summaque virtus. Quid de patre dicam? cujus benivolentia in populum romanum est ipsius æqualis[4] ætati; qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. Quæ de illo viro Sulla, quæ Murena, quæ Servilius, quæ Lucullus[5], quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in senatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque benivolum, unum fidelem populo romano judicavit. Fuimus imperatores, ego et M. Bibulus, in propinquis finitimisque provinciis. Ab eodem rege adjuti sumus et equitatu, et pedestribus copiis. Sequutum est hoc acerbissimum et calamitosissimum civile bellum. In quo, quid faciendum Dejotaro, quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse; præsertim quum contra, ac Dejotarus sensit, victoria belli judicarit[6]. Quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum senatu; sin recta sententia, ne victa quidem causa vituperanda est. Ad has copias accedent alii reges, etiam delectus accedent. Neque vero classes deerunt : tanti Tyrii Cassium faciunt, tanti ejus[7] in Syria nomen atque Phœnice est.

3. *Victor*. Murci legiones fuderat : Cassius autem de Basso ad Tullium ita scripsit : « Murci et Crispi imperatorum dignitatem, quantum est in te tuere : nam Bassus misere mihi noluit legionem tradere. Quod nisi milites, invito eo, legatos ad me misissent; clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata ».

4. *Benivolentia... æqualis ætati*. Ita in Romanos benivolens fuit, ut bene de iis meritus sit ab incipiente vita.

5. *Quæ Lucullus*. De Mithridate Sulla, Murena Lucullusque triumphum egerunt, de Isauris autem Servilius, unde cognomen traxit. Haud procul autem a Dejotari regnis omnia illa bella sunt gesta.

6. *Judicarit*. Pompeium bello adjuvarat civili : cujus quidem quoque partes ipse foverat senatus.

7. *Tanti ejus*. Ferrarius reposuit

XIV. Paratum habet imperatorem, C. Cassium, patres conscripti, respublica contra Dolabellam, nec paratum solum, sed peritum atque fortem. Magnas ille res gessit [1] ante Bibuli, summi viri, adventum, quum Pacori nobilissimos duces maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit. Maximam ejus et singularem laudem [2] prætermitto. Cujus enim prædicatio nondum omnibus grata est, hanc memoriæ potius, quam vocis testimonio conservemus.

Animadverti, patres conscripti, dici jam a quibusdam [3], exornari etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari; Cassio vero sententia mea dominatum et principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reipublicæ. Quid? D. Brutum nonne omnibus sententiis semper ornavi? num igitur reprehenditis? An Antonios potius ornarem, non modo suarum familiarum, sed romani nominis probra atque dedecora? an Censorinum ornem, in bello hostem, in pace sectorem [4]? an cetera ex eodem latrocinio nau-

tantum, quam quidem conjecturam admisit Car. Stephanus. Garatonius quoque probabat, sed quum nullis MSS defenderetur, non ausus est libris eam suis inscribere. Nescio vero quare ita laboraverint hoc in verbo viri doctissimi; nam sensus, sicuti edidimus, planus est et facillime patet.

XIV. 1. *Res gessit.* Quum M. Crassi quæstor in Syria esset : quum autem hoc duce interfecto irruerent in romanas provincias Parthi, eos Cassius fudit ac profligavit. Non consentiunt omnes in hoc loco editores, quum alii Pacorum regem esse, alii regis tantummodo ducem contenderint. Variæ autem illæ opiniones ex variis scripturis oriebantur. Nos MSS et vett. edd. sequuti sumus, lectioque nostra cum historia mire congruit.

2. *Singularem laudem.* Quod Cæsarem mactaverit. Qua de re quotiescumque agit Cicero, rem semper velo, ut ita dicam, obtegit, ita tamen ut plane ab omnibus introspici possit, et agnosci.

3. *Quibusdam.* Inter senatores enim quidam erant, qui metuerent ne nimia potestate viris illis concessa, in pejus respublica rueret, et omnino libertas opprimeretur. Quos autem metu non ita absurdos fuisse res comprobavit.

4. *Sectorem.* Qui in bellis contra patriam ac rempublicam agit, quique bona dividit, et in fortunas irrumpit nostras, simul ac pax venit.

fragia colligam? Ego vero istos, otii, concordiæ, legum, judiciorum, libertatis inimicos, tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos tam oderim, quam rempublicam diligo.

Vide, inquit, ne veteranos offendas[5]. Hoc enim vel maxime exaudio. Ego vero[6] veteranos tueri debeo; sed hos, quibus sanitas est : certe timere non debeo. Eos veteranos, qui pro republica arma ceperunt, sequutique sunt C. Cæsarem auctoritate beneficiorum paternorum, hodieque rempublicam defendunt cum magno periculo, non tueri solum, sed etiam commodis augere debeo. Qui autem quiescunt, ut sexta, et octava legio, in magna gloria et laude ponendos puto. Comites vero Antonii, qui, postquam beneficia Cæsaris comederunt[7], consulem designatum obsident, huic urbi ferro ignique minitantur, Saxæ se et Caphoni tradiderunt, ad facinus prædamque natis, num quis est, qui tuendos putet? Ergo aut boni sunt[8], quos etiam ornare; aut quieti, quos conservare debemus; aut impii, quorum contra furorem, et bellum, et justa arma suscepimus[9].

XV. Quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, veremur? Eorumne, qui D. Brutum obsidione

5. *Veteranos offendas.* Recte illa Ciceroni objici poterant, quia illud ipse jactitaverat, quum summum imperium C. Octaviano traderet. Optime autem ibi rem explicat.

6. *Ego vero.* Al. *autem.* J. V. L.

7. *Comederunt.* Ad egestatem nequitia luxuque redacti, novas res quærunt, ut iterum habeant, unde libidines possint pascere. Qui vero Cæsaris beneficia servavere, ii cum republica vere consentiunt. Sic Phil. XIII, «huc accedunt Alaudæ ceterique veterani, qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Cæsaris devoratis, nostras fortunas concupiverunt». Et in quadam ad Brutum epistola : «Segulium, ait, negligamus, qui res novas quærit; non quo veterem comederit; nullam enim habuit : sed hanc ipsam recentem novam devoravit».

8. *Aut boni sunt.* Veteranos tres in partes quodammodo dividit, quo facilius appareat, quam recta sint et æqua quæ de iis decernenda proponit.

9. *Suscepimus.* Al. *cepimus.* J. V. L.

cupiunt liberare[1]? quibus quum Bruti salus cara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? An eorum, qui utrisque armis vacant? Non vereor, ne acerbus civis quisquam istorum sit, qui otio delectantur[2]. Tertio vero generi non militum veteranorum, sed importunissimorum hostium, cupio quam acerbissimum dolorem inurere. Quamquam, patres conscripti, quousque dicemus sententias veteranorum arbitratu[3]? Quod eorum tantum fastidium est, quæ tanta arrogantia, ut ad arbitrium illorum imperatores[4] etiam deligamus? Ego autem (dicendum est enim, patres conscripti, quod sentio), non tam veteranos intuendos[5] nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiæ, quid novæ legiones, ad liberandam[6] patriam paratissimæ, quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. Nihil enim semper floret; ætas succedit ætati[7]: diu legiones Cæsaris viguerunt; nunc vigent Pansæ, vigent Hirtii, vigent Cæsariis filii, vigent Planci; vincunt numero, vincunt ætatibus; nimirum etiam auctoritate vincunt. Id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. Itaque his præmia promissa sunt; illis

XV. 1. *Cupiunt liberare.* Qui cum Cæsare Octaviano contra Antonium bellum moverant.

2. *Otio delectantur.* Nam hac agendi ratione palam denuntiavere nullam ipsorum esse habendam rationem. Quum enim arma non sumpserint neque ad sustinendum Antonium, neque ad eum opprimendum, nullo modo curabunt quem senatus contra Dolabellam sit missurus.

3. *Quousque dicemus sententias veteranorum arbitratu?* Semper ad id omni ope nititur, ut animos senatorum erigat, et acriori dignitatis suæ studio accendat. Jam superius dixit mortem potius esse subeundam, quam sententias ex veteranorum arbitratu dicendas.

4. *Imperatores.* Alii, *imperatorem.* J. V. L.

5. *Veteranos intuendos.* Codex Car. Stephani *metuendos:* quam permutationem pro Milone, cap. 21, et alibi etiam vidimus. Non discessimus a veteri scriptura, quamvis Stephani codicem quidam defenderint.

6. *Liberandam.* Alii, *liberandum.* J. V. L.

7. *Succedit ætati.* Sic sæpe dictum est: non possunt omnes primi esse omni tempore.

persoluta. Fruantur his illi; persolvantur his[8], quæ spopondimus. Id enim deos immortales spero æquissimum judicare.

Quæ quum ita sint, eam, quam dixi, sententiam, vobis, patres conscripti, censeo comprobandam.

8. *Fruantur his illi; persolvantur his*. Cod. Car. Steph. « fruantur illis, persolvantur his »: Barb. sec. « fruantur, vel persolvantur his »: MS in V. L. Græv. « fruantur his, vel certe persolvantur ». Ceteri, ut in Aldina Ferrarius invenit. Scribi etiam poterat, « fruantur illi: persolvantur his, quæ spopondimus ». Neque improbo, quod in edit. Seb. Gryphii 1551 reperi, « fruantur illi suis: persolvantur, etc. » GAR.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XI, cap. 2, pag. 453:

Alter in Asiam irrupit : cur? si ut in Syriam, patebat via certa, etc.

Alter in Asiam irrupit cursim: ut in Syriam patebat, etc. Sic Lang. « Cursim uti Syriam petebat ». Scalig. « Cursim ut in Syriam petebat ». Nonnulli, « Cursum ut in Syriam patebat » : qui aliud mihi, ac Cicero sentit, loqui videntur : qui hoc, meo quidem animo, voluit dicere, nihil fuisse, cur Dolabella irrumperet in Asiam, quum via pateret in Syriam : ut interdum veniat in mentem suspicari, sic M. Tullium scriptum reliquisse, « Alter in Asiam irrupit : cur sic? cui in Syriam patebat via certa, neque longa. Quid opus fuit cum legione? » Ut hæc sit sententia, duo fecisse Dolabellam, quæ nihil attinuerit facere : alterum, quod irruptionem fecerit in Asiam, quum via pateret in Syriam : alterum, quod cum exercitu irruperit, quum iter per provinciam procos. amici, et necessarii facturus esset : ex quo vult intelligi, eum meditatum, et præceptis Antonii instructum id facinus conscivisse. FERR. — « Alter in Asiam irrupit cursim, ut in Syriam patebat via certa neque longa ». Hunc locum sic restitue, ut post *irrupit* distinguas, et pro *cursim* emendes ex antiquo libro *cur si*, distinguendo post *cur* per notam interrogationis, et post *via* addas copulam *et:* ut ita totum hunc locum legas : « Alter in Asiam irrupit : cur? si ut in Syriam, patebat via, et certa, neque longa ». FAERN. — « Alter in Asiam irrupit cursim, ut in Syriam patebat via ». Mihi magis placet, ut est in manuscripto : « Alter in Asiam irrupit cursu, cui in Syriam patebat, etc. » F. URSIN. — « Asiam irrupit cursim, cui in Syriam, etc. » Manut. et Lambin. « irrupit : cur si, ut in Sy-

riam: patebat via, etc.» si ex MSS laudo: nam nostræ membranæ, «cursim uti in Syr.» Videantur et emendationes Ferrarii. Grut. — Fide Vaticani emendatum est, «alter in Asiam irrupit. Cur? si ut in Syriam patebat via». Hoc amplexi sunt Faernus, Manutius, Lambinus, a quibus non dissentio: quamvis in meis libris varie hic locus scribatur, quod ex variarum lectionum libello disces. Mihi tamen hæc accuratius perpendenti videtur Cicero scripsisse: «Cursus in Asiam patebat, via certa, neque longa», hoc est, navigatio in Syriam patebat certa et brevis. Nam *cursum* esse navigationem, et *currere* navigare tralatitium est. Per *viam* intelligit viam seu iter maritimum. Jam procoss. Syriæ et Ciliciæ, immo et Asiæ plerumque navibus in Ciliciam profectos esse quis ignorat? Scriptum fuit errore librariorum *cursut* pro *cursus*, inde factum ab aliis «cursim ut», ab aliis «cursum ut». Græv. — Emendatio viri summi hæc, opinor, fuit: «Alter in Asiam irrupit. Cursus in Syriam patebat: via certa, neque longa». Barb. ambo *cursim*, Rom. *cursum*, Ven. *cursu*, hique omnes, «ut in Syriam». Sed Vaticani lectio meo judicio est omni emendatione præstantior, cui Faernus veram interpunctionem adhibuit, quamque nuper optime Lallem. restituit, quum Verb. et Oliv. non Gruteri sententiam, qui nostram lectionem laudat, sequi maluerint, sed ejus factum, quo *uti* mutavit in *cui*, ut antea Ferr. comprobante tamen Ursini codice. Non dubito, quin Gruterus Lambino et Manutio fuerit obsequuturus, si de Vaticano cogitasset, certoque scisset. Ursinum miror, qui Vaticanum inspexit, alteri nescio cui deteriori MS, quem aliquoties laudat, credidisse. Quid est enim, quæso, «irrumpere cursu», aut *cursim*? hæccine Tullio digna erat locutio? Immo vero, *cur*, inquit, in Asiam irrupit? *si* idcirco, *ut* iret «in Syriam», quam provinciam suam existimabat, quid oportebat per deviam Asiam transire? nam euntibus in Syriam «patebat via et certa, neque longa», quæ Asiam illam Trebonii provinciam non attingebat, ut

oculis licet in tabulis antiquæ geographiæ recognoscere. Particula *si* hoc modo passim adhibetur, et aliquot ex Tullio exempla collegit Wopkensius Lect. Tull. II, 2, p. 119, 120. Voculam *et* probavit, atque optime firmavit Manutius. GAR. — Ern. recepit vulg. lect. «alter in Asiam irrupit cursim, cui in Syriam». Sch. recte reliquit textum Ern. et egregiam Vat. lect. exhibuit: «Alter in Asiam irrupit. Cur? si ut in Syriam».

Quid opus fuit, cum legione. Hic aliquid putamus deesse, maxime post verbum *fuit*: aliquid certe mendi subest. FAERN. — «Quid opus fuit cum legione». Lambinus præmittit: «sin ut ad Trebonium; quid opus, etc.» sed tale nihil Manutius aut scripti nostri. GRUTER. — Valde audacter Lambinus, quum in nullo codice verba, quæ infercit, legantur, sed quia Faernus aliquid desiderari hic scripserat, illa ipse excogitavit. GRÆV. — «Quid opus fuit cum legione præmisso Marso»; præmittere Marsum; ut illud Sallustii procemio Catil. «priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature opus est facto», pro consulere et facere. CURIO. — Ita Regii codices, sine nota interrogationis post vocem *legione*: unde locus Faerno mutilus videbatur. LALL. — Barb. ambo male *præmissa*, sed ita et ii, et Rom. ac Ven. exhibent sine ullo interductu, quemadmodum Regii: ac recte videntur Curio et Lallem. existimasse. De locutione vide Cortium ad l. c. Sallust. Catil. I, 6. Eamdem servabat Lambinus: quo magis miror, additionem illum non necessariam excogitasse. Legionem attributam fuisse Marso, est verisimile, quum is Dolabellæ ὑποστρατηγὸς, sive, ut vertunt, *legatus* appelletur a Dione, XLVII, 30. Nam hic idem ab eo nominatur Μάρκος Ὀκταούϊος, ut recte intellexerunt Ferrarius, Ducæus, Manutius, Ernestus, et Norisius Cenot. Pis. II, 16, 4, qui Usserio duos homines comminiscenti hunc Tullii locum opponit. Haud æque tamen est certum, Octavio Marso prænomen Marci fuisse: nam apud Dionem fortasse perperam legitur Μάρκος pro Μάρσος, quum nihil sit

tali errore facilius. Si Dolabella duas legiones tunc habuit, ut certe postea, quum in Syriam iter ex Asia terrestre suscepit, alteram tradidit Marso, alteram ipse duxit. Appianus, ubi eas pag. 1001 commemorat, non dicit earum alteram fuisse post occisum Trebonium comparatam, quod universa de classe ibi tamen affirmat. Quale autem Dolabellæ iter fuerit, ex Dione, XLVII, 29, cognoscimus: Οὗτος γὰρ ἐτέτακτο μὲν τῆς Συρίας ἄρχειν, καὶ τὴν ἔξοδον ὑπατεύων ἐποιεῖτο, χρόνιος δὲ διά τε τῆς Μακεδονίας, καὶ τῆς Θρᾴκης ἐς τὴν Ἀσίαν τὸ ἔθνος κομισθεὶς, καὶ ἐκεῖ ἐνδιέτριψεν. «Dolabellæ Syria fuerat decreta, isque consul eo profectus, per Macedoniam et Thraciam tardius in Asiam venit, et ibi diu commoratus est». In Asiam illum venisse, ut pecunias inde colligeret, tradit Appianus p. 880. Brundisio videtur trajecisse in Epirum; deinde in Macedonia quæstorem et legatum suum reliquisse, qui equitatum sibi decretum colligerent et ad se adducerent; denique a Bosporo, sive ab aliis Asiæ finibus, Marsum cum legione præmisisse. De equitatu postea intercepto conf. supra X, 6, quem quidem in Syriam Cicero, in Asiam Plutarchus iter intendisse scribit: uterque vere: nam et in Syriam pervenire debebat, et Dolabellam in Asia tum commorantem facile consequi poterat, Hellesponto trajecto. Gar.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XI, cap. 2, pag. 454 :

Complexusque summæ benivolentiæ, falsi indices exstiterunt, etc.

Complexusque summæ benivolentiæ. In his verbis M. Tullium non agnosco: nam primum me illud movet, quod cetera dissolute elata sunt, hoc unum membrum conjunctione copulatum est: deinde consequenti non satis apte atque scite connexum: deinde verbum illud *summæ* inaniter inculcatum videtur. Quid, si sic emendemus? « Complexus qui sunt vae », id est, « veræ benivolentiæ ». Cetera eodem modo: sic enim nihil esset inane : contraria contrariis referrentur: omnia membra dissolutione relaxarentur: hoc et proximum inter se cum quodam lepore cohærerent. Quum tamen o. l. contra faciant, pronuntiemus amplius. Ferr. — « Complexusque summæ benivolentiæ falsi indices ». Nos tollendam dictionem *falsi*, quamvis contra omnium librorum fidem, putamus hoc sensu, ejusmodi fuerunt complexus Dolabellæ, quamvis in amore simulato erga Trebonium, cujusmodi sunt complexus, qui summam benivolentiam solent indicare: quod vero sequitur, « dexteræ quæ fidei testes esse solebant », multi libri, si non antiqui, tamen scripti, habent *dexteræque*, qua lectione admissa, ut certe judicio nostro videtur admittenda, duo hæc extrema verba, « esse solebant », delenda arbitramur : ut totus hic locus sic legatur : « complexusque summæ benivolentiæ indices exstiterunt in amore simulato, dextræque fidei testes sunt perfidia et scelere violatæ » : quod nisi demas hanc unam dictionem *falsi*, profecto abundant illæ tres, « in amore simulato ». Faern. — Et hic Faerni conjecturam contra libros omnes arripuit in editione sua Lambinus : sed

hoc est ubertatis Tullianæ exemplum ad perfidiam Dolabellæ exagitandam. Græv. — Quibusdam supervacanea et delenda videtur vox illa *falsi*, quod statim sequatur, « in amore simulato », unde sensus omnino idem elicitur. At re ipsa manca, et mutila sententia esset, si alterutrum desideraretur. Detur hæc universalis propositio : collocutiones familiarissimæ, et complexus summæ benivolentiæ sunt indices. Vir sapiens non sine distinctione de ea judicabit, ut veram esse in amore sincero, falsam in simulato contendat. Aliquid igitur addendum erit, ex quo intelligere possimus, utrum vera an falsa benivolentia indicetur. Indices quidem, inquit, fuerunt benivolentiæ, sed « indices falsi » : hac dempta voce, sententia claudicaret : et quo magis perspicuum id fieret, subjunxit etiam causam, cur falsi essent, « in amore simulato ». Ferr. — Scribe ex Vatic. *dexteræ*, et supra, *egenti*. Gar. — Adstipulatur Ern. quidem Faerni conjecturæ, ita ut ex Faerni sententia etiam post *benivolentiæ* interpungi velit, quam interpunctionem etiam Guelf. habet, atque adeo Sch. *falsi* ante *indices* e textu ejecit : at ego facile concedo in partes Ferrarii, qui recte locum interpretatus est, neque dubito, quin lectio Vat. et aliorum codicum retinenda sit. Paullo post elegantiam Ern. agnoscit in eo, quod Faernus omittit « esse solebant », et legendum censet, « dextræque fidei testes sunt perf. e. s. v. », quæ tamen mera est ejus conjectura. Ien. omittit « in amore simulato ». Paullo post « antiq. fidelissimorumque ».

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XI, cap. 6, pag. 461 :

Vindicem enim tabularum novarum novam tabulam vidimus.

Vindices enim tabularum novarum. Eodem modo scripti. Ego tamen non dubito, quin *vindicis* sit emendandum : siquidem non seipsum M. Tullius his verbis describit, sed Trebellium : idemque hoc loco, quod in VI significat : « Nam Trebellium valde jam diligit : oderat tum, quum ille tabulis novis adversabatur : jam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse ». Nam Dolabellæ legem ferenti de novis tabulis Trebellius acerrime restiterat, creditoresque defenderat : postea se ære alieno sic obruerat, ut tabula, ut mos erat, prolata sit, bonaque ejus auctione venierint. Ludit igitur in « tabulis novis » et *auctionariis.* Ex hoc etiam liquet, cur dixerit, « Trebellium ultæ videntur furiæ debitorum ». Ferrar. — « Vindicis enim tabularum novarum novam tabulam vidimus ». *Vindicis* emendavit Ferrarius, quum in vulgata et libris scriptis esset, ut ipse asserit, *vindices :* intelligere volens pro vindice tabularum novarum Trebellium, qui Dolabellæ legem ferenti de novis tabulis acerrime restiterat. Sed videamus, an convenire possit huic loco vocabulum *vindicis*, quod quidem tum ultorem, tum assertorem significat : de priore significatione nulla dubitatio est, quin hic repulsanda sit, quid enim sibi vellet, si dixisset ultorem tabularum novarum de eo, qui oppugnator fuit ? nunc de posteriore significatione videamus : dicimus vindicem, id est, assertorem alicujus rei, qui eam rem defendit atque asserit : ut vindicem libertatis procul dubio, qui libertatem tuetur : si ergo appellare volumus Trebellium vindicem ta-

bularum novarum, intelligemus eum stetisse pro tabulis novis, quod contra fuit, impugnaverat enim legem tabularum novarum, creditoresque defenderat: nos et ex antiquo libro, et ex aliis scriptis legimus *vindicem*, accipiendo eam vocem in priori significatione pro *ultricem*, referendoque ad « tabulam novam », hoc sensu: Tabula auctionis bonorum Trebellii proposita ob æs ejus alienum quasi videtur ulcisci injuriam ab illo illatam tabulis novis; facit enim hæc tabula, ut Trebellius, qui tabulas novas impugnavit, nunc ipse earum auxilio indigeat, ne omnia bona amittat. Sane in antiquo libro pro *vidimus* est *videmus*. Faern. — « Vindicem enim tabularum novarum, etc. » Præclare hic locus a Faerno et Mureto restitutus est ex auctoritate codicis Vaticani, ut plerique alii: etiam a Faerno explicatus, quam explicationem tamen non usquequaque probo. Hunc enim Ciceronis sensum esse puto. Videmus tabulam bonorum Trebellii auctionariam propositam, vindicem, id est, ultricem tabularum novarum, hoc est, quæ ulciscitur injuriam factam creditoribus per tabulas novas, quas defenderat contra creditores. Lamb. — In Vaticano utraque lectio est, pro ejus consuetudine ita exposita, « vindicem is », ut alios *vindicem*, alios *vindicis* legere aperte significetur. Atque ego *vindicis* ferme præfero. Vide ad VII, 1. Garat.

Novam tabulam. Auctionaria, qua ejus bona proscribebantur. Hoc modo lusit in Catilinam: « meo beneficio tabulæ novæ proferuntur, verum auctionariæ ». Curio.

Qui præstantissimos cives Aquila, Pollentia expulit. Sic L. Lang. « Qui potentissimos cives cum Aquilæ potentia expulit ». Plerique sic: « Cives civis Aquilæ potentia expulit ». Ego sic emendandum arbitror, « Quem præstantissimus civis Aquila potentia expulit ». Et ne temere, non modo audacter fecisse videamur, scribit Dion, Pontium Aquilam unum ex tyrannicidis prælio decertasse cum T. Munatio Planco, eumque superasse: sed ipsius verba subjiciamus: ὡς οὖν ταῦτα ἐγένετο, καὶ Ποντίος Ἀκύλα ἔκ τε τῶν σφαγῶν καὶ τῷ Δεκίμῳ

ὑποστρατηγῶν Τίτον Μουνάτιον Πλάγκον ἀντιπολεμοῦντα αὐτῷ μάχαις ἐνίκησεν. «Eodem fere tempore Pontius Aquila, ipse quoque unus ex percussoribus Cæsaris, legatus D. Bruti, T. Munatium Plancum arma contra illum moventem præliis aliquot vicit». Hanc autem rem, eumdemque hominem nunc a Cicerone designari, ex Philipp. XIII apparet: «Illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent: fracta sunt, et vivit. Hoc tamen, ut alia multa, Aquilæ fertur acceptum». Quod ad *Pollentia* attinet, omnes l. v. *Potentia*. Quid verum sit, divinandum. Potentia certe oppidum non longe abest a Pollentia; indicat Plinius: «Ab altero, inquit, latere ad Padum amnem Italiæ ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent, Libarna, Dertona, Colonia, Trira, Barderata, Industria, Pollentia, Carrea, quod Potentia cognominatur». Ferrar. — Nihil hic adnotat in V. L. Grævius: sed certe codex quoque Car. Steph. et ambo Barb. *potentia*, quod ipse Stephanus cum P. Manut. recepit, ceteris editis *Pollentia* exhibentibus, aut corrupte *Polleritia*, ut Rom. *Pollertia*, ut Ven. Si Harduinum sequamur, nihil intererit: is enim locum Plinii, Histor. Nat. III, 5, ita interpunxit, «Pollentia Carrea, quod Potentia cognominatur»: ut unum idemque oppidum et *Pollentia* et *Potentia* nominaretur. Sed V. C. Jac. Durantius in libello eruditissimo de Venatoribus Pollentinis italice conscripto, § 3, docuit *Pollentiam*, et, ut ipse scribit, *Caream* duo fuisse oppida, Careamque illam veterem, quæ *Potentia* cognominatur, *Chieri* nunc appellari. Sic optime defenditur Ferrarius. At *Pollentia* reducta fuit ab iis, qui Vaticanum sequuntur: atque in ceteris conjecturæ Ferrarii omnes plane paruerunt, dissentientibus MSS Carol. Steph. et meis, qui cum plerisque Aldinam corruptissimam lectionem præbent, Ferrarii adnotationi præfixam. Unum fuisse Vaticanum, qui eam confirmaret, silendo indicant: nam de Gruterianis et Græ-

vianis haud crediderim. Ac sane Vatic. a Grævii lectione non discrepat. GARAT.

Pæne præterii Caninium. Alii scripti sic, ut in impressis est, habent : alii *Caninum* : antiq. lib. « pæne præteriit Antonium » : nos, « pæne præterii T. Annium » : qui forte idem est, quem tertio libro harum orationum nominat : licet illic *L.* id est, Lucius sit : hic autem *T.* id est, Titus : nos antiquam scripturam sequemur. FAERN. — « Præterii T. Annium Cimbrum ». Alii, « Caninium Cimbrum » : vetus liber, « præteriit Annium Cimbrum ». Sed facile intelligi potest, eam literam, qua prænomen indicabatur, errore librarii conjunctam esse cum ea voce, quæ proxime antecedebat. MURET. — « T. Annium Cimbrum ». Ita Faernus : sed in vetere meo manuscripto codice est, « C. Annium » : et ita olim Ant. Augustinus ex Quintiliano et Suetonio erudite emendavit. F. URSIN. — In antiquioribus editionibus, ut et MSS, quum legitur *Caninum*, satis apparet emendationem Antonii Augustini esse veram et certam. GRÆV. — Ex lectione omnium ante Faern. editorum, quam Ferrarii MS, et Barb. sec. et plerique servant, *Caninium*, aut, ut prodit Grævius, egoque in edit. Rom. vidi, *Caninum*, perite Augustinus fecit « C. Annium », adjuvitque virum doctissimum in eruendo nomine Augusti Cæsaris jocus apud Suetonium Aug. LXXXVI, quo hic homo « Cimber Annius » appellatur. Nam Quintilianus Inst. Orat. VIII, 3, pag. 689, *Cimbrum* cognomine tantum appellat. Ac de Annii nomine dubitare non sinit codex Vat. et alter Ursini, atque adeo Tullius ipse infra XIII, 12, quum inter prætorios Antonii comites « Philadelphum Annium » commemorat, per ironiam hunc Cimbrum fratris interfectorem describens. Sed ejus prænomen hoc uno ex loco cognosci potest : quo quidem carens Barb. prim. habet « Ninium Cimbrum » : at *Caium* diserte tuetur cod. Ursini, plerisque libris eodem conspirantibus, qui corrupti sunt, ita ut Cl. Burmannus junior Anth. Lat. II, 242, tom. I, pag. 423, non dubitaverit cum Grævio

Caium præferre, quamvis ex Vaticano *Titum* facile habeamus. Quum autem C. et T. passim commutentur, ancepsque judicium sit, fortasse tutius Perizonius Animadv. Hist. cap. 8, pag. 333, Ernestus in Ind. Hist. et Gesnerus ad Quintil. l. c. viri eximii, uni omnium optimo codici cum Lamb. adhæserunt, ipsoque Grutero: quum Verb. Oliv. et Lallem. Grævium sequi maluerunt. De suspicione Faerni ex varietate III, 10, in Vat. reperta ibi diximus quæ nobis viderentur. GARAT.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XI, cap. 11, pag. 470:

Non ut ex ea acie respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium, etc.

Non ut ex ea acie auxilium haberemus. Omnes lib. vet. « non ut ex ea acie respectum haberemus ». Hinc existimari potest, quam sint omnia depravata atque perversa : nec tamen miratus sum, qui viderem in v. l. de Leg. ex « Denicales », « Delphica lex » esse factum, « Nec vero tam Delphica lex quæ a nece appellatæ sunt ». « Denicales feriæ, inquit Sext. Pomponius, colebantur, quum hominis mortui causa familia purgabatur. Græci enim νεκρὸν mortuum dicunt ». In epistola vero ad Q. Fratrem, *diribitis* in *diruptis*, « Is diruptis tabellis de circulo se subduxit ». In Pis. *diribeantur* in *deripiantur*, « Dum de te quinque et septuaginta tabellæ diripiantur ». Pro Planc. *diribitio* in *direptio*, « Nihil est jam quod populo supplicetur, nihil quod direptio, etc. » Apud Varron. lib. III de Re rust. *diribentur* in *dirimuntur*, « Dum dirimuntur, inquit, suffragia ». Et alibi *diriberent* in *decumberet* esse mutatum, « Narrat, ad tabulam quum decumberet ». *Diribere* autem valet distribuere: unde *diribitorium*, locus ille ubi recensebatur exercitus, stipendiumque militibus numerabatur: et *diribitores* non divisores qui appellabantur, ut tradit Hermolaus : sed, meo quidem judicio, qui suffragia lata diribebant, numerumque inibant tabellarum : quæ, si de reo judicabatur, censebant absolvendum, aut ampliandum, aut condemnandum : si lex ferebatur, quæ antiquabant, aut jubebant: si magistratus creabantur, quæ mandabant honorem, aut denegabant. Quo facto facile erat videre, candidatus honorem obtinuisset, an repulsam tulisset; lex antiquata, an accepta; reus esset absolutus, an

condemnatus, an causa prolata. Sed quid hæc ego? quæ tamen habent inter se aliquam similitudinem: et ejusmodi sexcenta, si id ageretur, proferre possem. Illud nonne portenti simile est, quod in Catilin. orat. II, *miserum* abiit in *timidum*? « Et erunt qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed timidum », quum *miserum* reponendum sit, nisi Prisciano et Pediano fidem penitus abrogamus. Et illud alterum apud Varr. lib. I de Re rust. « In pingui rectius quæ succi sunt majoris ». Pro *succi* libri veteres *ibi:* ego *cibi* reposueram, conjectura ductus : quod postea mihi comprobavit Plinius, qui hunc locum totidem verbis, ut dicitur, in lib. XVIII transtulit. Sed ad rem : omnino libri veteres mendo non vacant, sed tamen propius, ut opinor, accedunt ad veritatem. Quid si sic emendemus? « Non ut eo ex acie respectum haberemus ». Nam quod græce ἀποβλέπειν πρός τινα, id latine, mea quidem sententia, vel conjicere, vel referre oculos in aliquem, vel ad aliquem respectum habere dicitur. Id autem significat, in quopiam omnem spem reponere suarum rerum. Xenoph. lib. IV ἀπομνημονευμάτων· Πότερον Θεμιστοκλῆς διὰ συνουσίαν τινὸς τῶν σοφῶν, ἢ φύσει τοσοῦτον διήνεγκε τῶν πολιτῶν, ὥστε πρὸς ἐκεῖνον ἀποβλέπειν τὴν πόλιν, ὁπότε σπουδαίου ἀνδρὸς δεηθείη; Lucianus περὶ τοῦ ἐνυπνίου· ἂν δέ τι σπουδῆς ἄξιον ᾖ, καὶ τοὺς φίλους, ἢ καὶ τὴν πόλιν ὅλην καταλαμβάνῃ, εἰς σὲ πάντες ἀποβλέψονται. Cicero de Amicit. « Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior, sed existimare debes, omnium oculos in te esse conjectos ». Et Virgil. lib. XII : « in te ora Latini, In te oculos referunt ». M. Tullius Philipp. V : « Itaque quum respectum ad senatum et ad bonos non haberet ». Et Liv. lib. XLII : « Quum ceterorum id interesse, tum præcipue Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant : quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos respectus ». Fit autem fere, ut ii, qui nituntur alicujus auxilio, nimisque confidunt, fiantque languidiores atque remissiores, atque iis quiddam contingat, quod sæpe viatoribus evenit : ut,

quum iter contentius faciant, si forte respexerint, objecta oculis aliqua specie, si non insistant, at certe tardius ingrediantur. Ex quo illud ad Brut. « Meus animus in acie est, nec respectum ullum quærit, nisi me utilitas civitatis forte converterit ». Et contra illud de Prov. Consul. « Qui se ex illa jactatione cursuque populari bene gesta republica referunt aspectum in curiam ». Hæc igitur verba hanc habebunt sententiam, Brutum Græciæ præfecimus, decretoque nostro mandavimus, ut quam proxime Italiam esset : non ut, eo respectum habentes, atque in eo ponentes omnia, studia hic nostra remitteremus, nollemusque eos, qui ad Mutinam sunt, qui in acie stant, non eniti, non omnia facere, ut Antonium a Mutina rejicerent : sed ut nos, et illi ipsi multo alacrius, majoreque animo, armis, equis, viris D. Bruto subvenirent, quum subsidium etiam transmarinum sibi paratum viderent. Ferr. — « Non ut eo ex acie respectum haberemus ». Restituimus vulgatam, quæ etiam est in omnibus libris, « non ut ex ea acie », relinquentes aliis explicationem hujus loci; nam eam expositionem, quam commentus est Ferrarius, non probamus, qui etiam ex ingenio suo emendavit, quemadmodum est in impressis. Faern. — « Non ut ex acie eo respectum haberemus ». Ferrarii conjecturam sequutus sum, tamquam probabilem, et antiqua scriptura longe meliorem, quæ talis est : « non ut ex ea acie respectum haberemus ». Lamb. — « Non ut ex ea acie respectum haberemus ». Explicat hunc locum egregie contra Gabr. Faernum Schottus noster, lib. I Nodor. Cic. cap. 15. Grut. — « Respectum habere » παθητικῶς usurpasse Ciceronem credo, non comparatum exercitum, quem metueret Antonius, sed qui præsidio esset, cæso jam ad internecionem romano exercitu ad Mutinam. Quem enim reveremur ut liberi parentes suos majoresque solent, vel quem metuimus ut servi dominos, identidem respicere, vultumque animi speculum intueri, sitne tristis, an ad hilaritatem compositus, solemus. Juvenal. Sat. VIII pro

metu sumpsit: «Nil ibi majorum respectus, gratia nulla Umbrarum». Et Naso Trist. I, eleg. 3, et «mei et sui respectu» παθητικῶς pro eo, qui respicitur, dixit. Cic: de Div. I: «Fugientibus miserabilem respectum incendiorum», pro horrendo spectaculo. Philipp. V ἐνεργητικῶς· «Itaque quum respectum ad senatum et ad bonos non haberet, eam sibi viam patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non possit», h. e. nulla habita a Cæsare senatus et reip. studiosorum ratio. Schott. Nodor. Cic. I, c. 15, ubi vide plura.—Locum hunc comploratum esse judico nec sine meliore libro restitui, nec, ut nunc habet, explicari posse. Nam optimi Schotti interpretatio quam parum his, de quibus Cicero disputat, convenit. Ne dicam, perquam obscure, si non absurde, *acies* accipi primo loco pro exercitu Bruti, quem habebat in Græcia, dein «ipsa acies» intelligendum de exercitu romano, qui ad Mutinam opponebatur exercitui Antonii. Quæ enim est illa acies, quæ subsidium transmarinum habere debet ex Schotti mente? Exercitus scilicet romanus ad Mutinam, si ad internecionem forte cæderetur ab Antonio, cui acies, hoc est, Bruti exercitus græcus, sit subsidio. Vides quam insulsa hæc sint; vides etiam quanta jactura sit, quum ex Vaticano libro exciderint hæc et sequentia hujus orationis. Nam in istis, quæ in vetustissimo illo libro desiderantur, ingens corruptionum prodigiosarum seges est in aliis omnibus MSS, magno Ciceronis malo. Hunc locum itaque comploratum, cui manus admovere vetat Hippocrates, mitto. Hanc quidem sententiam Ciceronis fuisse puto, quod et alii viderunt, non ideo M. Brutum in Græcia retineri, ut ex ejus copiis haberent, quod in alias terras mitterent, sed ut resp. in illius exercitu haberet, ubi res exigeret, subsidium, sed quæ Ciceronis verba fuerint ignoro. Nam *acies* simpliciter pro exercitu accipi, et quidem apud Tullium, nemo, qui Tullium legit, sibi persuaserit. Græv.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA DUODECIMA

ARGUMENTUM.

Referente Pansa consule, iterum senatus legatos ad Antonium mittendos decreverat. Antonii autem amici ac fautores, patrumque plerique, et ipse Cicero, falso rumore decepti, pacem jam componendam esse arbitrabantur.

Orator vero, qui obcæcatus fuerat studio suo erga D. Brutum, quem liberari obsidione valde desiderabat, amicis Antonii delicta nuntiantibus, errorem agnovit, lucemque senatoribus præferre est adnixus. Quantum fuerit deceptus a principio, et cur fuerit, ipse narrat: tum multis argumentis demonstrat nullo modo pacem cum Antonio fieri posse, quod nimis multa exstent furtorum ac latrociniorum monumenta, quæ in perpetuum, quam gravis patriæ hostis fuerit Antonius testentur. Ad patres conversus, comprobat personam suam non eligi debuisse ad tale munus obeundum: quanta in pericula incurrat, si Antonium adierit, explicat.

Quæ de nova legatione mittenda senatus decreverat, fuere abolita. C. Pansa consul ex urbe profectus est, ut Hirtium Octavianumque Cæsarem conveniret, ac Decimum Brutum diuturna tandem obsidione exsolveret.

ALIUD ARGUMENTUM.

Retulerat Pansa consul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti erant P. Servilius et ipse Cicero. Legationem non modo supervacaneam esse, quum ab Antonio pacem sperare non liceat, sed inutilem etiam ac turpem, multis argumentis Cicero docet: quod si rursus agendum de pace cum Antonio sit, minime tamen omnium se legatum deligi oportere; nec tamen in ea re vitæ suæ majorem, quam reipublicæ, quam semper defenderit, rationem habere velle. P. Manut.

M. T. CICERONIS

ORATIONES.

PHILIPPICA DUODECIMA.

ORATIO QUARTA ET QUINQUAGESIMA.

I. Etsi minime decere videtur, patres conscripti, falli, decipi, errare eum, cui vos maximis sæpe de rebus assentiamini: consolor me tamen, quoniam vobiscum pariter, et una cum sapientissimo consule erravi[1]. Nam quum duo consulares spem honestæ pacis nobis attulissent, quod erant familiares M. Antonii, quod domestici, nosse aliquod ejus vulnus, quod nobis ignotum esset, videbantur. Apud alterum[2] uxor, liberi; alter[3], quotidie literas mittere, accipere, aperte favere Antonio. Hi subito hortari ad pacem, quod jamdiu non fecissent, non sine causa videbantur[4]. Ac-

I. 1. *Erravi*. Quum Pisoni et Caleno ficta nuntiantibus fidem adhibui. Scilicet sex legatos iterum ad Antonium mittendos senatus decreverat, quia, nescio qua de causa, remissiorem futurum Antonium partium ejus fautores nuntiaverant. Errat autem in hoc Manutius, quod contendit Pisonem et Calenum legatos fuisse ab Antonio missos, ut pacem componerent. Non eos enim ab Antonio missos Cicero ait, sed in eos invehitur, quia, falsa pacis spe oblata, senatorum animos a recta avocaverint.

2. *Apud alterum*. Pisonem scilicet, qui totam Antonii familiam protegebat ac tuebatur.

3. *Alter, quotidie literas mittere*. Calenus, quem sæpe impugnat Cicero, tamquam malis tantum partibus in republica faventem.

4. *Quod j. non fecissent, non sine causa videbantur*. Si causa erat, cur nos ad pacem non cohortarentur antea, necesse erat ut aliquo secreto Antonii vulnere, nunc ad pacem suadendam impellerentur. Qua quidem ratione imprudentem senatum fefellerunt.

32.

cessit consul hortator. At qui consul? Si prudentiam quærimus, qui minime falli posset; si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi Antonio cedente atque victo; si magnitudinem animi, qui præferret mortem servituti. Vos autem, patres conscripti, non tam immemores vestrorum gravissimorum[5] decretorum videbamini, quam spe[6] allata deditionis, quam amici[7] pacem appellarent, de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. Auxerat autem meam quidem spem, credo item vestram, quod domum Antonii afflictam mœstitia[8] audiebam, lamentari uxorem. Hic[9] etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei[10], tristiores videbam. Quod si non ita est, cur a Pisone et a Caleno potissimum, cur hoc tempore, cur tam improviso, cur tam repente pacis est facta mentio? Negat Piso scire se[11], negat audisse quidquam; negat Calenus, rem ullam novam allatam esse. Atque id nunc negant, posteaquam nos pacificatoria legatione implicatos[12] putant. Quid ergo opus est novo consilio[13], si in re nihil omnino novi est?

5. *Gravissimorum decretorum*, etc. Quæ omnia, suadente Tullio, contra Antonium lata fuerant.

6. *Quam spe*. Dubius hic locus est. Vide Excursum I.

7. *Quam amici pacem*. Antonii scilicet, qui fictis verbis senatum decipere sunt aggressi.

8. *Afflictam mœstitia*. Qua autem de causa afflicta foret Antonii domus, non satis apertum : nulli commentatores deprehendere potuerunt, quo tacito vulnere esset læsa.

9. *Hic*. Al. *hinc*. J. V. L.

10. *Habitant oculi mei*. Elegans sermo ac concinnus, ut significet, se numquam oculos a patriæ inimicis dimovere.

11. *Negat Piso scire se*, etc. Novum aliquod Antonio incommodum impendere, cujus metu ad pacem fuerint adducti.

12. *Implicatos*. Senatus enim dignitati ac fidei illudere visi sunt, quum falsa nuntiavere, quæ nos rursus nova legatione implicarent, ex qua nos exsolveramus.

13. *Novo consilio*. Quum legati, quos primum ad Antonium misimus, nihil nobis quod fieri posset renuntiavissent, bellum quam acerrime suscipiendum judicavimus : nunc autem quum eodem in loco res sitæ sint, non opus est eadem recensere, et Antonius ope omni atque opera est opprimendus.

II. Decepti, decepti, inquam, sumus, patres conscripti : Antonii est acta causa ab amicis ejus, non publica [1]. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem : præstrinxerat [2] aciem animi D. Bruti salus [3]. Quod si in bello dari vicarii solerent, libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Atqui hac voce Q. Fufii capti sumus : « Ne si a Mutina quidem recesserit, audiemus [4] Antonium? ne si in senatus quidem potestatem futurum se dixerit? » Durum videbatur. Itaque fracti sumus : cessimus. Recedit igitur a Mutina? « Nescio. » Paret senatui? « Credo, inquit Calenus; sed ita, ut teneat dignitatem [5] ». Valde hercule vobis [6] laborandum est, patres conscripti, ut vestram dignitatem amittatis, quæ maxima est; Antonii, quæ neque est ulla, neque esse potest, retineatis : ut eam per vos recuperet [7], quam per se perdidit. Si jacens vobiscum aliquid ageret, audirem fortasse : quamquam [8]... sed hoc malo dicere, audirem. Stanti resistendum est, aut concedenda una cum dignitate libertas.

II. 1. *Non publica.* Quum enim pacis spem nobis prætendebant, non reipublicæ, sed Antonii causa agebant.

2. *Præstrinxerat. Restrinxerat.* Al. etiam, *perstrinxerat.* J. V. L.

3. *Salus.* Namque, quum de pace mentio facta fuit, succurrit subito, D. Brutum obsidione brevi liberum fore; et ita vehementi gaudio ex ejus salute sum perfusus, ut quid in re fuerit omnino non deprehenderem.

4. *Audiemus.* Alii conj. *audiamus.* J. V. L.

5. *Teneat dignitatem.* In hoc tota belli causa versabatur; senatores enim Antonium eo adduci cupiebant, ut pacem peteret, et ad senatus se permitteret arbitrium; ille autem arma se positurum negabat, dum Cæsaris interfectores provincias obtinerent. Vidimus proinde in Philippicis præcedentibus, quæ Antonius sibi a senatu decerni æquum censeret.

6. *Valde hercule vobis laborandum est, patres conscripti,* etc. Ironice. Nam dignitatem omnino suam senatus amittet, si, post tot et tam acerba in Antonium decreta, primus ipse pacem sancire velle videatur, ita ut in irritum omnia quæ fecerit cadant.

7. *Per vos recuperet.* Namque quidquid senatus egerit, non in minimis laudum Antonio erit, quum tantorum virorum contumaciam audacia sua vicerit et omnino superarit.

8. *Quamquam.* Quamvis, si eum, sicuti æquum est, haberemus, procul esset repellendus.

At non est integrum[9]. Constituta legatio est. Quid autem integrum non est sapienti, quod restitui potest? Cujusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Posteriores enim cogitationes (ut aiunt[10]) sapientiores solent esse. Discussa est illa caligo, quam paullo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia, neque per nos solum, sed admonemur a nostris. Attendistis paullo ante, præstantissimi viri[11] quæ esset oratio. «Mœstam, inquit, domum offendi, conjugem, liberos. Admirabantur boni viri, accusabant amici, quod spe pacis legationem suscepissem». Nec mirum, P. Servili. Tuis enim verissimis gravissimisque sententiis omni est non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius. Ad eum ire te legatum, quis non miraretur? De me experior: cujus idem consilium, quod tuum, sentio, quam reprehendatur[12]. Nos reprehendimur soli? Quid? vir fortissimus Pansa sine causa tam[13] accurate paullo ante loquutus est tamdiu? Quid egit, nisi uti falsam proditionis[14] a se suspicionem depelleret? Unde autem est ista suspicio? Ex pacis patrocinio repentino[15], quod subito suscepit, eodem captus errore, quo nos.

9. *Non est integrum.* Sed res non jam decernenda disceptatur; namque sententiis nostris jam eam sanximus; itaque non possumus retro oculos flectere, ac intueri quam gravi errore peccaverimus.

10. *Ut aiunt.* Ut ait vates: sententiam illam ex Euripide decerpit. Occurrit in Hippolyto versu 430, sicuti Brunck edidit: αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

11. *Præstantissimi viri.* P. Servilii: unus e sex legatis erat qui cum Cicerone ad Antonium erant mittendi. Ex variis autem locis cum Ferrario conjicere licet eos fuisse: Pansam consulem, M. Ciceronem, P. Servilium, L. Cæsarem, L. Pisonem et Q. Fufium Calenum.

12. *Reprehendatur.* Quia duorum consularium virorum voce capti legationem probaverimus.

13. *Tam.* Ernest. e pr. edd. *tamen.* J. V. L.

14. *Proditionis.* Vox illa diu, nescio quo fato, a loco illo exsulavit: restituit autem eam Muretus.

15. *Patrocinio repentino.* Quia quum pacem subito is suasisset, qui bellum paullo ante decreverat, verendum erat ne id ageret, subita animi inclinatione in Antonii partes facta.

Quod si est erratum, patres conscripti, spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus est portus pœnitenti, mutatio consilii.

III. Quid enim, per deos immortales! potest reipublicæ prodesse[1] nostra legatio? Prodesse dico? quid, si etiam obfutura est? Obfutura? quid, si jam nocuit? An vos acerrimam illam et fortissimam populi romani libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis[2] audita? Quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? An non putamus fore, ut eos pœniteat professos esse, et præ se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos et animis et corporibus in salutem reipublicæ contulerunt[3]? Quemadmodum vestrum hoc consilium Capua[4] probabit, quæ temporibus his Roma altera est? Illa impios cives judicavit, ejecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissime conanti, e manibus est ereptus Antonius. Quid? legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus? Quis est enim, qui ad

III. 1. *Reipublicæ prodesse.* Rursus omnia ibi exponit, quæ superius fuerat eloquutus, ne legatio ad Antonium mitteretur. Paucissimis notis locum illum commentatores illustravere, quia nihil ibi novi, ut ita dicam, expónit orator, nihil quod non sit aliis in locis jam explicatum et explanatum.

2. *Non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis.* Quum prima quæ ad Antonium missa est legatio animos certe molliverit, quid de illa est futurum, quæ multo acrius omnem civium ardorem refringet, quum hoc ipso tempore ad eum mittatur, quo omnes ad opprimendos nefarios conatus conspirant, quumque ipse effrenata audacia iras omnium magis ac magis acuerit.

3. *Contulerunt.* Namque si potestatem facimus Antonio, rursus arma movendi, in eos incurret certe qui contra ipsum bellum moverant.

4. *Capua.* Inimicissima semper Antonio Capua fuerat; secunda Philippica vidimus, quam graviter a civibus urgeretur, quum Cicero de fuga ejus ait : «Quemadmodum illinc (a Capua) abieris, vel potius pæne non abieris, scimus». Procul dubio a bello incipiente, quid de eo censeret fuerat professa, omnesque partium ejus fautores ejecerat, modisque omnibus in eum fuerat invecta.

bellum inflammato animo sit futurus, spe pacis[5] oblata? Ipsa illa Martia, cælestis et divina legio, hoc nuntio languescet et mollietur, atque illud pulcherrimum Martium nomen amittet; excident gladii; fluent arma de manibus[6]. Senatum enim sequuta, non arbitrabitur se graviori odio in Antonium esse debere, quam senatum. Pudet hujus legionis, pudet quartæ, quæ pari virtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem et imperatorem suum, sed ut hostem et oppugnatorem patriæ, reliquit Antonium; pudet optimi exercitus, qui conjunctus est ex duobus[7]; qui jam lustratus, qui profectus ad Mutinam est; qui si pacis, id est, timoris nostri, nomen audiverit, ut non referat pedem, insistet certe[8]. Quis enim[9], revocante et receptui canente senatu, properet dimicare?

IV. Quid autem hoc injustius, quam nos, inscientibus iis, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec solum inscientibus, sed etiam invitis[1]? An vos A. Hirtium, præclarissimum consulem, C. Cæsarem, deorum beneficio natum ad hæc tempora, quorum epistolas, spem victoriæ declarantes, in manu teneo, pacem velle

5. *Spe pacis oblata.* Ab iis præsertim qui bellum suscipiendum proclamabant, quique omnes ad arma capienda excitaverant.

6. *Excident gladii; fluent arma de manibus.* Commentatores multi locum illum explicavere, ut ostenderent quam eleganter scriptus esset, ac perpolitus; nihil quoque nobis verbis illis, et vehementius et elegantius excogitari posse videtur.

7. *Ex duobus.* Auli Hirtii scilicet, et Cæsaris Octaviani.

8. *Insistet certe.* Guilielm. legebat, *sistet;* Lambinus quoque ad marginem notat alios habere *subsistet.* Curio quoque proponebat *sistet.* Omnes autem illi frustra adversus MSS omnes nituntur. Proinde *insistet* hoc in loco, nullo modo a vero sensu distat. Insistere enim dicitur, qui ultra non pergit, qui interquiescit, qui demum in loco, ubi est, sistit.

9. *Quis.* Sic Græv. e vett. edd. Al. *Quid.* J. V. L.

IV. 1. *Sed etiam invitis?* Nam si pacem ii voluissent, multo facilius fuisset non bellum movere, et contra Antonium progredi. Hac ipsa agendi ratione declarabant se pacem nullo modo, nisi victo ac profligato Antonio, expetituros.

censetis? Vincere illi expetunt; pacisque dulcissimum et pulcherrimum nomen non pactione[2], sed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim hujus belli propulsandi[3], administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, sequuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit[4]; eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus objecit; exhauritur, vastatur, uritur, omnes æquo animo belli patitur injurias, dummodo repellat periculum servitutis. Et, ut omittam reliquas partes Galliæ (nam sunt omnes pares), Patavini alios[5] excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio; pecunia, militibus, et, quod maxime deerat, armis, nostros duces adjuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant[6], et propter multorum annorum injurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata[7] cum his republica, fideles esse, qui

2. *Pactione.* Fœdere; quasi pax hoc modo dehonestaretur: namque parata non armis, sed quorumdam civium artificio videretur.

3. *Propulsandi.* In Galliam enim cum omni suo exercitu ingruerat Antonius, ut Brutum persequeretur qui ibi confugerat, novos hostes ei quæsiturus. Nunc autem si pax cum Antonio pacta fuerit, nequicquam tot pericula, tot labores exantlarit fidelissima provincia illa, quum Antonius, contra quem arma movit, senatui subito fuerit acceptissimus.

4. *Principia firmavit.* Totum enim ex hoc bellum pendebat; namque si nullam sibi patere provinciam, qua copias conscriberet, sensisset Brutus, nullo modo tam vastum excitavisset incendium. Quum autem Gallia abunde dederit, unde Antonium impugnaret, multi hoc exemplum sequuti, pecunias atque arma detulere, unde Cæsaris interfectores bellum cum Antonio possent inire.

5. *Alios excluserunt.* Non passi sunt ex Antonii legatis, alios urbem intrare, alios vero intra mœnia primum receptos ex urbe ejecerunt.

6. *In eadem causa erant.* Quia civitate donandos eos senatus negaverat. Quæ res autem in primis causa stetit cur bellum arderet quod Sociale dictum est, sive Italicum. Quo autem confecto, qui reipublicæ dediti manserant, eos senatus romana civitate donavit, ut tantam fidem remuneraretur. De his autem populis hoc in loco agit orator.

7. *Communicata.* Namque decreverat senatus, uti suffragia cum romanis civibus ferre possent.

etiam expertes ejus, fidem suam semper præstiterunt. His igitur omnibus victoriam sperantibus pacis nomen afferemus, id est, desperationem victoriæ?

V. Quid, si ne potest quidem ulla esse pax? Quæ enim est conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? Multis rebus[1] a nobis ad pacem est invitatus[2] Antonius: bellum tamen[3] maluit. Missi legati, repugnante me, sed tamen missi; delata mandata: non paruit. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius[4]. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit? Verecundioremne coram[5] putamus in postulando fore, quam fuerit tum, quum misit mandata ad senatum? Atqui tum ea petebat, quæ videbantur improba omnino[6], sed tamen aliquo modo posse concedi; nondum erat vestris tam[7] gravissimis, tamque multis judiciis ignominiisque concisus: nunc ea petit, quæ dare nullo modo possumus; nisi prius volumus nos bello victos confiteri. Senatusconsulta[8]

V. 1. *Multis rebus*. Nam antequam bellum decerneretur, modis omnibus adnixus erat senatus, Antonium flectere, et ad meliorem vitæ normam reducere.

2. *Ad pacem est invitatus*. Al. *invit. ad pacem A*. Multi delent *est*. J.V.L.

3. *Bellum tamen maluit*. Namque quum conditiones, quibus pax offerebatur, respueret, necessario arma a civibus romanis capienda providebat, atque ita libenter in belli aleam descendebat.

4. *Etiam vehementius*. Namque, ut supra vidimus, inspicientibus legatis, machinas muris admoveri jussit, quo apertius declararet quam parvi senatum faceret.

5. *Coram*. Quum ipse stabit apud nos et verbis, adstante omni senatu, exponet quæ de se decerni æquum censet.

6. *Improba omnino*. Quod dignitatem servare in animo habebat, et postulaverat, ut per sex annorum spatium provincia ipsi decerneretur, qua se contra hostes tutaretur.

7. *Tam gravissimis*. Muret. ibi mendum suspicatur. Hanc opinionem amplexus est Græv. quia vox *tam* cum superlativo est conjuncta. Attamen sic loquebantur Veteres nonnumquam; pessime autem, invitis omnibus libris, Lambinus edidit *tam gravibus*.

8. *Senatusconsulta*. Quum falsa ac mentita Cæsaris codicillis inscripsit, de quibus in Philippica quinta sic aiebat: « Senatus etiam consulta, pecu-

falsa delata ab eo judicavimus. Num ea vera possumus judicare? Leges statuimus per vim et contra auspicia latas, iisque nec populum, nec plebem teneri. Num eas restitui posse censetis? [Sestertium] septies millies avertisse Antonium pecuniæ publicæ judicavistis. Num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo civitatibus 9, sacerdotia, regna venierunt. Num figentur rursus eæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis?

VI. Quod si ea, quæ decrevimus, obruere [1], num etiam memoriam rerum delere possumus? Quando enim obliviscetur ulla posteritas, cujus scelere in hac vestitus fœditate [2] fuerimus? Ut centurionum legionis Martiæ Brundisii profusus sanguis [3] eluatur; num elui prædicatio crudelitatis poterit? Ut media [4] præteream, quæ vetustas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta, sceleris indicia, latrociniique vestigia? Huic igitur importuno atque impuro parricidæ, quid ha-

nia accepta, falsa referebat» : sic quidam, quos inter Curio, locum illum intelligunt, non recte tamen, ut opinor. Namque ibi non de actis Cæsaris res est; sed Antonius, quum esset consul, et magistratus jure, senatus consulta omnia in literas publicas referenda atque ad ærarium deferenda curaret, falsa quædam pecunia corruptus retulit. Utrum autem *relata* legas aut *delata*, ut nonnulli volunt, parum interest, quum sensus semper idem remaneat.

9. *Civitatibus*. Quidam *civitates*. Sic autem Garaton. lectionem hanc defendit, quæ in Vatic. occurrit. Constat civitatem romanam pretio addictam fuisse ab Antonio : deinde, civitatis immunitatisque venditionem exprobrando in unum videmus conjunctam. Nam Philippic. II, 36, « neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non jam sigillatim, sed provinciis totis dabatur ». Nos vero *civitatibus* servavimus, omnium veterum editionum fide in hac sententia confirmati.

VI. 1. *Obruere*. Al. *obruere volumus*. J. V. L.

2. *Vestitus fœditate*. Saga enim omnes induerant, quæ non vulgo in urbe sumebantur.

3. *Profusus sanguis*. Phil. quinta, cap. 8, narratur quonam modo Antonius cives optime de patria meritos per fraudem oppresserit, assidente conjuge.

4. *Ut media prætereaam, quæ vetustas tollet*. Manuscripti plures habent *mediam*, unde aliqui conjecere legendum esse *inediam*. Quidam etiam hanc lectionem admisere; sed quem sensum habeat, haud facile est deprehendere.

bemus, per deos immortales! quod remittamus[5]? An Galliam ultimam, et exercitum? Quid est aliud, non pacem facere[6], sed differre bellum[7]? nec solum propagare bellum, sed concedere etiam victoriam? An ille non vicerit, quacumque conditione in hanc urbem cum suis venerit[8]? Armis nunc[9] omnia tenemus; auctoritate valemus plurimum; absunt tot perditi cives, nefarium sequuti ducem. Tamen eorum ora, sermones, qui in urbe ex eo numero relicti sunt, ferre non possumus. Quid censetis, quum tot uno tempore irruperint? nos arma posuerimus, illi non posuerint[10]? nonne nos nostris consiliis victos in perpetuum fore? Ponite ante oculos M. Antonium consularem; sperantem consulatum[11] Lucium adjungite; supplete ceteros, neque nostri ordinis[12] solum, honores et imperia meditantes; nolite ne Tirones quidem Numisios[13], et

5. *Quod remittamus?* Namque petiverat a senatu Antonius, ut aliqua sibi concederentur, unde quodammodo dolorem non captæ Mutinæ solaretur: et arma deponere nolebat, nisi prius a senatu decretam obtinuisset provinciam.

6. *Non pacem facere.* Al. *quam non p. f.* J. V. L.

7. *Differre bellum.* Ostendit jam superius orator, quum de prima legatione mittenda ageretur, numquam pacem cum tali viro fieri posse, sed contra bellum differri. Etenim tot et tanta scelera admiserat, et ita rempublicam modis omnibus quasserat, ut numquam ea quæ egerat, e memoria hominum possent aboleri.

8. *In hanc urbem cum suis venerit?* Decretis enim suis postquam eum senatus concidit, simul ac in urbem ingredietur, victoriam hac ipsa re referet, quum inania fuerint quæ contra eum senatus est jaculatus.

9. *Armis nunc.* Non ab omnibus ita scriptus est locus ille: etenim sic quondam edebatur, *cum suis armis venerit.* Nos vero, lectionem nostram quum MSS tuerentur et edd. plurimi, servare eam æquum censuimus.

10. *Posuerint.* Ernest. delet *posuerint.* J. V. L.

11. *Sperantem consulatum.* Ph. Beroaldus legendum censebat *spirantem*, et sic locum explanabat: Dicitur perquam eleganter quispiam spirare consulatum, quando superbiam illam et insolentiam et impotentiam præfert, et ostentat spiritu et incessu, ea quæ consuli conveniunt. Hanc lectionem Curio repugnantibus manuscriptis omnibus recepit, Beroaldique adnotationem suam fecit.

12. *Neque nostri ordinis solum.* Senatorii scilicet.

13. *Ne Tirones quidem Numisios.* Male multi, inter quos Lalleman. *ne T. quidem, Numisios.* J. V. L.

Mustellas, Saxasve contemnere. Cum his facta pax, non erit pax, sed pactio servitutis. L. Pisonis, amplissimi viri, præclara vox, a te non solum in hoc ordine, Pansa, sed etiam in concione jure laudata est. « Excessurum se ex Italia, dixit, deos penates et sedes patrias relicturum, si (quod dii omen averterint!) rempublicam oppressisset Antonius ».

VII. Quæro igitur a te, Piso, nonne oppressam rempublicam putes, si tot, tam impii[1], tam audaces, tam facinorosi recepti sint? Quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censes civitati fore? Aut isto tuo, mihi crede, consilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, vitam inopem et vagam persequamur; aut cervices latronibus dandæ, atque in patria cadendum[2].

Ubi sunt[3], C. Pansa, illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus a te excitatus senatus, inflammatus populus romanus, non solum audivit, sed etiam didicit, nihil esse homini romano fœdius servitute? Idcircone saga sumpsimus, arma cepimus, juventutem omnem ex tota Italia excivimus[4], ut, exercitu florentissimo et maximo, legati ad pacem mitterentur? Si postulan-

VII. 1. *Nonne oppressam rempubl. putes..... tam impii.* Diu post hanc vocem servavere nonnulli verbum *cives*, quod a Manutio sublatum omnino postea ex editis evanuit, nisi quod excudit eum Muretus.

2. *In patria cadendum.* Editi ante P. Manutium et codicem Vaticanum, et ipse Muretus addunt *est;* vocem autem illam Lambinus Gruterusque omisere, merito quidem : ab utroque etiam Barberino ignoratur ; male autem relata fuerat a repet. Lamb. Nam locum hic non habet, sed subaudiendum est *erit*, quod superius paullo deprehenditur.

3. *Ubi sunt.* Evanuere omnino et tempore obrutæ sunt cohortationes illæ Pansæ consulis ; sed ex iis quæ Cicero refert, facile agnosci potest, eas in Antonium fautoresque scelerum ejus fuisse acerrimas et gravissimas. In hac autem quæstione Pansa, sicut ceteri, verbis fallacibus deceptus, pacem componendam, et legatos ad Antonium mittendos censuerat.

4. *Excivimus.* Nonius Marcellus et cod. Vatic. *excussimus.* J. V. L.

dam, quid timemus? Si accipiendam, cur non rogamur? In hac ego legatione sim, aut ad id[5] consilium admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a ceteris, sciturus populus romanus sit? Ita fiet, ut, si quid remissum aut concessum sit[6], meo semper[7] periculo peccet Antonius, quum ei peccandi potestas a me concessa videatur.

Quod si habenda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego numquam legatos mittendos censui; ego ante legatorum reditum ausus sum dicere[8], pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam[9]; ego princeps sagorum; ego semper illum hostem appellavi, quum alii adversarium; semper hoc bellum, quum alii tumultum. Nec hæc in senatu solum; eadem ad populum semper egi : nec solum in ipsum, sed in ejus socios facinorum et ministros[10], et præsentes, et eos, qui una sunt, in totam denique M. Antonii domum sum semper invectus. Itaque ut alacres et læti, spe pacis oblata, inter se impii cives, quasi[11] vicissent,

5. *Ad id consilium.* Cum iis scilicet, qui aderunt nobis in consilio, de pace cum Antonio agentibus. Sic infra : « Quæ, quum agam in consilio, nonnullis, ut opinor, repugnantibus, nonne metuendum est, ut imperita militum multitudo per me pacem distineri putet ».

6. *Concessum sit.* Antonio scilicet.

7. *Meo semper periculo.* Etenim, quum vehementissime in eum fuerit invectus Cicero, si quid concessum est, quod contra rempublicam Antonius convertat, hoc ei omnes exprobrabunt, quia maxime omnium erravisse videbitur.

8. *Ausus sum dicere.* Tota in hoc versatur Philippica quinta, quæ ea continentur, quæ paucissimis nunc verbis et quasi obiter orator indicat.

9. *Repudiandam.* Al. *reipublicæ repudiandam*. J. V. L.

10. *Socios facinorum et ministros.* Olim, *socios, facinorum ministros*. J. V. L.

11. *Quasi vicissent.* Etenim vincent, si bellum differtur; namque senatus rem mollius manifeste tractare videbitur; et multo ampliorem referent victoriam, si pax cum iis sanciatur, quia, quæcumque pessime edidere, inulta remanebunt.

gratulabantur : sic me iniquum ejurabant[12], de me querebantur. Diffidebant etiam Servilio : meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. L. Cæsarem, fortem quidem illum, et constantem senatorem, avunculum tamen[13]; Calenum, procuratorem; Pisonem, familiarem; te ipsum, Pansa, vehementissimum et fortissimum consulem, factum jam putant[14] leniorem : non quo ita sit, aut esse possit; sed mentio a te facta pacis, suspicionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has personas me interjectum amici Antonii moleste ferunt : quibus gerendus mos est[15], quoniam semel liberales[16] esse cœpimus.

VIII. Proficiscantur legati optimis ominibus; sed ii proficiscantur, in quibus non offendatur Antonius[1]. Quod si de Antonio non laboratis, mihi certe, patres conscripti, consulere debetis. Parcite oculis saltem meis, et aliquam veniam justo dolori[2] date. Quo enim

12. *Iniquum ejurabant.* Cod. Guelferb. *inimicum.* Male. Al. etiam, *ejerabant.* J. V. L.

13. *Avunculum tamen.* Quamvis vir ille Antonium justo persequeretur odio, quum ejus esset avunculus, Antonianarum partium fautores sperabant, eum pacis conditiones non ita graves impositurum. Sic autem omnes Cicero recenset, qui legati cum ipso Antonium erant invisuri, ut ostendat quantum ipsi impendat periculum, quoniam solus sit qui contra Antonii latrocinia, et omnis generis flagitia, fuerit semper et acerrime invectus.

14. *Putant leniorem.* Etenim dicebatur Pansa tacito odio viros, qui Cæsarem interfecerant, persequi, atque ita quodammodo obsidenti D. Brutum Antonio favere velle.

15. *Gerendus mos est.* Quoniam amicis Antonii quodammodo paruimus, quum legatos ad eum mittendos decrevimus, iis usque ad ultimum favere decet, neque legatis eum adscribere, quem maxime oderint.

16. *Liberales.* In hac legatione decernenda : namque ita, hac re, plus, quam æquum postulabat, concessimus, ut non justi, sed liberales contra fuerimus.

VIII. 1. *Offendatur Antonius.* Neque enim æquo animo eum inter legatos aspiciet, cujus verbis ac decretis concisus est ac confixus, quique bellum, quod tunc agebatur, semper suasit esse quam primum denuntiandum.

2. *Justo dolori.* Maxime enim dolebat Cicero patriam Antonii latrociniis pessumdari : quæ vero ibi de odio ac dolore suo præfatur, non in primis causæ sunt, cur Antonium non adeat; sed vitæ suæ timebat; et certe grave periculum erat aditurus, inimicissi-

adspectu videre potero (mitto hostem patriæ, ex quo mihi odium in illum commune vobiscum est), sed quomodo[3] adspiciam mihi uni crudelissimum hostem, ut declarant ejus de me acerbissimæ[4] conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adspicere possim? qui nuper, quum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audacissimi videbantur, mea bona donare se dixit Petissio Urbinati[5], qui ex naufragio luculenti patrimonii ad hæc Antoniana saxa[6] projectus est. An L. Antonium adspicere potero? cujus ego crudelitatem effugere non potuissem, nisi me mœnibus, et portis, et studio municipii mei[7] defendissem. Atque idem hic mirmillo Asiaticus[8], latro Italiæ, collega Lentonis et Nuculæ, quum Aquilæ[9] primipili[10] nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit. Si enim de suis dixisset, ne aquilam quidem ipsam[11] credituram putavit. Non ferent, non ferent[12], inquam, oculi Saxam, Caphonem, non

mum et impotentissimum virum conveniendo.

3. *Sed quomodo.* Abest *sed.* J. V. L.

4. *Acerbissimæ conciones.* Notum quanta Ciceroni mala minatus fuisset Antonius primis ex Philippicis.

5. *Petissio Urbinati.* Multi diu in hæc verba hæsere; Grævius autem, non *Urbinati* legendum censebat, quia hanc urbem ætate Tullii nondum stare jactitabat; in quo vir doctissimus erravit, quia multis ex locis deprehendere licet, hoc oppidum his temporibus jam stare. Quam accepimus lectionem manuscripti et plures editi tuentur. Ceterum, ut varias commentatorum opiniones colligas, vide Excursum II, quo etiam et aliqui loci vicini explanantur.

6. *Antoniana saxa.* Translatio vivida: namque sicut multi ex naufragio ad saxa provecti servantur, ita ille, postquam omnia bona pessumdedisset, ad Antonium, tamquam ad saxum confugit, ubi se reficere, ac mala naufragii posset reparare.

7. *Municipii mei.* Arpinatum.

8. *Mirmillo Asiaticus.* Vide Phil. V, cap. 7, ubi res illa fusius, sed non ita aperte narratur.

9. *Aquilæ.* Vulg. *aquilæ.* J. V. L.

10. *Primipili*, etc. Aquila nomen est centurionis, qui primum pilum ducebat. Centuriones autem primipili ordines ducebant inter triarios, qui tertia in acie tamquam fortissimi collocabantur.

11. *Aquilam quidem ipsam.* Ludit orator in voce *aquilam*, quæ hominem hic et avem significat. Nescio autem an omnibus ludus ille placuerit.

12. *Non ferent.* Abest *non ferent.*

duo prætores[13], non tribunum plebis, non duo designatos tribunos[14], non Bestiam, non Trebellium, non Plancum. Non possum animo æquo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes; nec id fit fastidio meo[15], sed caritate reipublicæ.

Sed vincam animum, mihique imperabo; dolorem justissimum, si non potero frangere, occultabo. Quid? vitæ censetisne, patres conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quæ mihi quidem minime cara est, præsertim quum Dolabella fecerit, ut optanda mors esset, modo sine cruciatu atque tormentis[16]: vobis tamen, et populo romano vilis esse spiritus meus non debet. Is enim sum, nisi me forte fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam, quæ plurima adii propter acerbisssimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obstarem[17] reipublicæ: ne quid arrogantius videar dicere. Quod quum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?

IX. Hic quum essem in urbe ac domi, tamen multa sæpe tentata sunt[1], ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. Quid censetis, quum iter ingressus ero, longum præ-

13. *Non duo prætores.* Censorinum et Ventidium, de quibus etiam in Philippica tertia et decima mentio facta est. Quidam ibi et infra scripsere *duos.*

14. *Designatos tribunos.* Tullum Hostilium et Viseium. A Cæsare autem fuerrnt ad hanc dignitatem provecti, qui magistratus omnes in biennium designaverat.

15. *Nec id fit fastidio meo, sed caritate reipublicæ.* Non quod superbus sim, ac tales viros convenire et alloqui non sustineam.

16. *Tormentis.* Quibus ille Dolabella Trebonium, antequam occumberet, affecit.

17. *Non obstarem.* Multi legunt *obstarent.* Et sic intelligunt, ut ii impii non obstarent reipublicæ. Sed quum nostra lectio MSS auctoritate firmetur, eam servavimus.

IX. 1. *Tentata sunt.* Sæpe perditi cives violentas manus Ciceroni imponere sunt aggressi, quamvis ipsa in urbe et amici, et plebis studia eum tutarentur. Quid autem erit, quum, absque auxilio, sese quasi inimicis tradet ac permittet?

sertim? nullasne insidias pertimescendas? Tres viæ sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi romani, D. Brutum, adspicere possim : cujus in complexu libenter extremum vitæ spiritum ediderim, quum omnes actiones horum mensium[2], omnes sententiæ meæ pervenerint ad eum, qui mihi fuit propositus, exitum. Tres ergo, ut dixi, viæ : a supero mari, Flaminia[3]; ab infero, Aurelia[4]; media, Cassia. Nunc, quæso, attendite, num aberret a conjectura suspicio periculi mei. Etruriam discriminat Cassia[5]. Scimusne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Cæsennii[6] septemviralis[7] auctoritas? Nobiscum nec animo certe est, nec corpore. Si autem aut domi est, aut non longe a domo, certe in Etruria est, id est, in via. Quis igitur mihi præstat, Lentonem uno capite[8] esse contentum? Dic mihi præterea, Pansa, Ventidius ubi sit, cui fui semper amicus, antequam ille reipublicæ bonisque omnibus tam aperte

2. *Mensium*. MSS, *mensum*. J. V. L. — *Horum mensium*. Se libenter mortem obiturum testatur, si orationes, quas his mensibus habuit, id est, Philippicæ exitum quem optabat habuissent. Brutum autem obsidione exsolvi, et libertatem totam recuperari, Cæsarisque interfectores justis dignitatibus decorandos censebat : quæ omnia certe non evenerant, quum legati ad Antonium mitterentur, qui cum tali viro pacem componere tentarent.

3. *Flaminia*. Ejus initium a porta Flumentana, quæ et Flaminia dicta est, nunc populi, et protendebatur usque ad Ariminum ad mare Adriaticum.

4. *Aurelia*. Incipit a ponte sublicio, sive a porta Aurelia, quæ nunc Pancratiana dicitur, et extenditur per Etruriam Pisas usque, sive potius in Galliam ut Peirescius observavit. Hæc fuit Aurelia vetus, nam et alia nova : de his autem viis in primis videndus Nardinus de vetere Roma, et Raphael Fabrettus, de aquis et aquæduct. Dissert. I, n. 92.

5. *Discriminat Cassia*. Dividit et mediam quasi partitur. Ab urbe enim ducebat ad Vulsinios, inde, Senis a sinistra relictis, Arretium, inde Florentiam, Pistorium et Lucam, quod erat Cisalpinæ Galliæ primum oppidum.

6. *Cæsennii*. Alii male, *Cesennii*. J. V. L.

7. *Septemviralis*. Unus enim e septemviris fuerat, qui ab Antonio agris fuerant dividendis præfecti.

8. *Uno capite*. Quis certiorem me faciet, mihi tantum vitam auferri, nec cruciatibus ac tormentis, sicuti Trebonium, me dilacerari?

est factus inimicus. Possum Cassiam vitare, tenere Flaminiam. Quid, si Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit? poterone Ariminum tuto accedere? Restat Aurelia. Hic quidem etiam præsidia habebo[9]; possessiones enim sunt P. Clodii. Tota familia occurret, hospitio invitabit, propter familiaritatem notissimam.

X. Hisce ego me viis committam, qui Terminalibus[1] nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non sum ausus? Domesticis me parietibus vix tueor sine amicorum custodiis. Itaque in urbe maneo; si licebit[2], manebo. Hæc mea sedes est, hæc vigilia, hæc custodia, hoc præsidium stativum. Teneant alii castra, regna[3], res bellicas; oderint hostem[4]: nos, ut dicimus[5], semperque fecimus, urbem et res urbanas vobiscum pariter tuebimur. Neque vero recuso munus hoc: quamquam populum romanum video pro me recusare. Nemo me minus timidus, nemo cautior. Res

9. *Præsidia habebo.* Ironice, namque notum est, quonam modo in Clodium invectus fuerit Cicero, quum Milonem defenderet.

X. 1. *Terminalibus.* Dies erat Termino deo dicatus, xi nimirum kalend. mart. De quo Ovidius, Fast. II.

2. *Si licebit.* Multi doctissimi viri scripsere *si sic licebit*, atque ita locum interpretantur. Si licebit sic, id est, cum dignitate mea manere. Garatonius hoc quidem non probabat, quamvis Manutius receperit ac defenderit. Nos manuscriptos sumus sequuti.

3. *Regna.* Vox illa non omnibus placuit, Schütz. emendabat *regant res bellicas. Regna* autem sic explanari potest, quasi diceretur de potestate ea quæ magistratibus dabatur, qui provincias administrabant. Fatendum est tamen verbum illud non sæpissime hoc in sensu deprehendi.

4. *Oderint hostem.* De mendo ibi multi suspicantur; nam verba illa quid significent non satis apparet. Itaque locum variis modis editum, plures diversis modis illustravere. Quidam legendum esse censebant, *adierint*, alii *fuderint*. Muretus autem, unius ex manuscripti auctoritate, adjecit «nam hoc caput est». Sic autem Garatonius ad hunc locum: Certe *oderint hostem* nescias cur hoc in loco sit positum, nisi addas, *nam hoc caput est*, rei scilicet adversus Antonium gerendæ feliciter atque strenue, libertatisque populi romani defendendæ. Quam vero commoda sententia sit alii viderint. Conjecturarum probabilior videtur esse *adeant*, quam quoque Curio protulit.

5. *Dicimus, semperque fecimus.* Legendum forte, *didicimus, semperque fecimus.* J. V. L.

declarat. Vigesimus annus est[6], quum omnes scelerati me unum petunt. Itaque ipsi, ne dicam mihi, reipublicæ pœnas dederunt : me salvum adhuc respublica conservavit sibi. Timide hoc dicam; scio enim quidvis homini accidere posse : verumtamen semel circumsessus[7] lectis valentissimorum hominum viribus cecidi sciens, ut honestissime possem exsurgere. Possumne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto, tamque periculoso commisero? Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpæ reprehensionem[8], et stultitiæ vituperationem relinquere. Quis bonus non luget mortem Trebonii? quis non dolet interitum talis et civis, et viri? At sunt, qui dicant; dure illi[9] quidem, sed tamen dicunt : minus dolendum, quod ab homine impuro nefarioque non caverit. Etenim qui multorum custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere. Quum septus sis legibus, et judiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias præsidia quærenda. Quis enim audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? Hæc neque hoc[10] tempore,

6. *Vigesimus annus est, quum omnes scelerati me unum petunt.* Ex quo consulatum iniit. Similiter agit initio Philippicæ secundæ.

7. *Circumsessus.* Clodianis temporibus, quum decertare noluit, sed urbe cessit, ne ipsius causa cum improbis boni pugnarent. Si legas *circumsessus*, intelligendum est obsessus, ab inimicis potentissimis; quidam autem, quos inter Faernus, reponunt *circumseptus*, quod multo melius cum loco congruit.

8. *Culpæ reprehensionem.* Qui res publicas tractant, ita agere debent, ut si forte occubuerint, mors sit eorum laudabilis et lugenda, nec ullo modo merita quodam modo videatur. Merita autem erit, si ultra quam necesse erat, in pericula incurrunt.

9. *Dure illi quidem.* Severum nimis tali de viro, præsertim quum sic occubuerit, judicium ferentes.

10. *Neque hoc tempore.* Quia hac in ætate sumus, qua leges nullam vim habent, qua omnia per scelus civium importunissimorum permixta fuere. Testis autem est Trebonii mors, quantam auctoritatem judicia possideant, quamque sit æquo confidendum.

neque in me valent. Non modo enim pœnam non extimescet, qui mihi vim attulerit; sed etiam gloriam sperabit a latronum gregibus, et præmia.

XI. Hæc ego in urbe prævideo[1]: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dexteram, quid ad sinistram sit. Num idem in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiamsi non erunt insidiæ, quæ facillime esse poterunt, animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit de officiis[2] legationis attendere. Sed effugi insidias; perrupi Apenninum. Nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est. Quinam locus capietur? Si extra castra, ceteri viderint[3]; ego mortem actutum futuram puto. Novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. Cujus acerbitas morum, immanitasque naturæ, ne vino quidem permixta temperari solet: hic ira dementiaque inflammatus, adhibito fratre Lucio, teterrima bellua, numquam profecto a me sacrilegas manus atque impias abstinebit. Memini colloquia et cum acerrimis hostibus, et cum gravissime dissentientibus civibus. Cn. Pompeius[4], Sexti filius, consul, me præsente, quum essem tiro in ejus exercitu, cum P. Vettio Scatone[5], duce Marsorum, inter bina castra colloquutus est. Quo quidem memini Sext. Pompeium, fratrem

XI. 1. *Prævideo.* Quum in urbe maneo, omnes illas insidias deprehendo ita, ut ab iis me exsolvere possim, quia nulla alia causa detineor, quin saluti meæ invigilem.

2. *Officiis legationis.* Hoc argumento nititur, ut comprobare possit se nullo modo bonum legatum futurum. Etenim necesse erit, ut vitæ suæ attendat, atqui legationis officia hoc modo negliget; aut securus ad Antonium invisendum progrediatur, et in itinere per insidias, ni caveat, opprimetur.

3. *Ceteri viderint.* Quid ipsi sentiant, ceteri explicent.

4. *Cn. Pompeius, Sexti filius, consul, me præsente.* Cn. Pompeius Strabo, Magni pater. Bellum illud gessit, quod Sociale, Italicum, Marsicumque dictum est, quia primi omnium illud Marsi inchoavere.

5. *Scatone.* Multi legendum putant *Catone.*

consulis, ad colloquium ipsum Roma venire, doctum virum atque sapientem : quem quum Scato salutasset, « Quem te appellem? » Inquit. At ille, « Voluntate hospitem, necessitate hostem ». Erat in illo colloquio æquitas; nullus timor, nulla suberat suspicio; mediocre etiam odium. Non enim, ut eriperent nobis socii civitatem[6], sed ut in eam reciperentur, petebant. Sulla cum Scipione inter Cales et Teanum[7], quum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi[8], et de jure civitatis, leges inter se, conditionesque contulerunt. Non tenuit omnino colloquium illud fidem[9]; a vi tamen periculoque abfuit. Possumusne igitur in Antonii latrocinio æque esse tuti? Non possumus; aut, si ceteri possunt, me posse[10] diffido.

XII. Quod si non extra castra congrediemur, quæ ad colloquium castra sumentur? In nostra ille numquam veniet; multo minus nos in illius. Reliquum est, ut et accipiantur, et remittantur postulata per literas. Ergo erimus in castris[1]. Mea ad omnia postulata una sententia : quam quum hic, vobis audienti-

6. *Socii civitatem*. Notum nimis qua de causa apud Romanos Sociale bellum exarserit, quam ut necesse sit, quodnam illud fuerit exponere.

7. *Cales et Teanum*. Quæ urbes in Campania sitæ erant.

8. *De suffragiis populi*. Sulla jusserat libertinos in quatuor tantum tribubus suffragia sua ferre, quum contra Marius contenderet eos in triginta et quinque tribubus urbanis, ad suffragia danda, inscribi debere. Petebat etiam ille, ut civitate socii donarentur.

9. *Colloquium illud fidem*. Quia Scipionis exercitum per fraudem Sulla pecunia et largitionibus corruperat; dumque inter se duces colloquerentur, ad Sullam copiæ omnes se contulere. Tum quamquam Scipioni infestissimus, quamvis eum suam in ditionem teneret, vi abstinuit, eumque incolumem dimisit. Sic in Sulla Plutarchus.

10. *Me posse*. Namque erant causæ odii Antonium inter et Ciceronem, quæ nullo modo inter virum illum ac legatos esse poterant. Ex primis enim Philippicis comprobatum quo animo in Tullium esset; eventusque patefecit non posse Ciceronem tam vehementis civis fidei se posse permittere.

XII. 1. *Erimus in castris*. Scilicet in castris nostris clausi remanebimus, quia omnia infesta aliunde erunt.

bus, dixero, isse et redisse me putatote[2]; legationem confecero. Omnia ad senatum mea sententia rejiciam, quæcumque postulabit Antonius. Neque enim licet aliter; neque permissum est nobis ab hoc ordine, ut, bellis confectis, decem legatis[3] permitti solet more majorum; neque ulla omnino a senatu mandata accepimus. Quæ quum agam in consilio, nonnullis, ut arbitror, repugnantibus, nonne metuendum est, ne imperita militum multitudo per me pacem distineri putet? Facite, hoc meum consilium legiones novas non improbare. Nam Martiam, et quartam, nihil cogitetis, præter dignitatem et decus, comprobaturas esse: certo scio. Quid? veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. Sed quonam modo accipient severitatem meam? Multa enim falsa de me audierunt; multa ad eos improbi detulerunt. Quorum commoda, ut vos optimi testes estis, semper ego sententia, auctoritate, oratione firmavi: sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriam rerum, quas gesserunt pro populi romani libertate, et salute reipublicæ, nimis feroces[4], et ad suam vim omnia nostra consilia revocantes. Horum ego cogitationem non vereor; impetum pertimesco.

Hæc quoque pericula tanta si effugero, satisne tu-

2. *Putatote*. Namque nihil amplius addam huic meo responso; atque prorsus inutile est me tam longi itineris pericula subire, ut hæc referam, quæ nunc vobis recito.

3. *Decem legatis*. Quotiescumque bellum erat confectum, decem legati victam apud gentem mittebantur, qui pacis aut societatis componendæ conditiones imponerent; et omnia ordinarent, quæ forent necessaria, ut regio in provinciam romanam redigeretur. Inane autem erat prorsus ac supervacaneum legatos ad Antonium mittere, quum neque tuto ire, neque bellum omnino possent obruere.

4. *Nimis feroces*. Ferrarius locum illum sic intelligebat: sed ferociores sunt, quam ut populi romani libertas et reipublicæ salus postulat. Qui vero sensus non omnibus arridet, neque ita rectus videtur.

tum reditum putatis fore? Quum enim et vestra auctoritate, et meo me more defendero, et meam fidem reipublicæ constantiamque præstitero: tum erunt non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam, qui invident, extimescendi. Custodiatur igitur mea vita reipublicæ, eaque, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriæ reservetur: mors autem necessitatem habeat fati[5], aut, si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria.

Hæc quum ita sint, etsi hanc legationem respublica, ut levissime dicam[6], non desiderat; tamen, si tuto licebit ire, proficiscar. Omnino, patres conscripti, totum hujusce rei consilium non periculo meo, sed utilitate reipublicæ metiar. De qua mihi, quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto, idque potissimum faciendum, quod maxime interesse reipublicæ judicavero.

5. *Mors autem... habeat fati, aut,* etc. Tunc moriamur, quum vitæ finem fatum attulerit, quod vitare licet nemini.

6. *Levissime dicam.* Potuisset enim dicere, rempublicam a legatione illa abhorrere, illam rejicere, odisse, ut quæ damnum potius quam fructum ullum optabilem sit allatura: sed hoc tantum profitetur: rempublicam non desiderare, ut quæ inanis sit ac supervacanea.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XII, cap. 1, pag. 500 :

Spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent, etc.

Spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent : C. Halieni, etc. Sic Lang. « Quam spe allata deditionis quam amici pacem appellarem alieni ». Scal. et cum eo plerique, « Quam spe allata deditione quam amici ». Cetera eodem modo, ut Lang. Ego sic, « Quam spe allata, deditionem quam amici, pacem appellarent alieni » : ut sit, Allata spe ejus rei, quam amici deditionem, alieni pacem nominarent : nam et unum plurave verba interdum præterire elegans atque usitatum est, ut pro Sulla, « Quod in quos testimonium dixisti, inquit, damnati sunt ». Et illud Terent. « Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit ? » Et in sermonis latini consuetudine est, ut vocabulum præcedat, quod provocabulum Varro, relativum vocant grammatici. Cic. in Bruto : « Πειθὼ quam vocant Græci, hanc Suadam appellavit Ennius ». Et in Partitionibus : « Et ea vel anguste disserere, ut dialectici qui appellantur ». Et pro Quintio : « Quum venissent ad vada Volaterrana quæ nominantur ». Liv. « Avem sangualem quam vocant, sacrum lapidem rostro cecidisse ». Scala vero noster a suo libro dissentit, atque hunc locum ita corrigendum putat, « Allata spe deditionis, quam amici pacem appellare mallent ». Ferrar. — « Quam amici pacem appellare mallent ». In nullo libro hæc lectio est, sed pro *appellare*, *appellarent*, pro *mallent*, *C. alieni*. His quum perplexi hæreremus, expedivit nos unus liber scriptus ex nostris, in quo, pro *C. Alieni*, scriptum est *Caleni* : conjecimus enim eam vocem adscriptam esse ab

aliquo ostendere volente, qui essent amici Antonii : quos non unum, sed multos putavit esse Calenos, ideoque plurali numero adscripsit *Caleni:* qua voce detracta, juxta etiam vulgatam, ante emendationem Ferrarii, legimus, «quam amici pacem appellarent» : putamus tamen post *amici* deesse dictionem *Antonii*, vel certe subaudiendam esse, quod durissime fieri potest. Faern. — «Quam amici pacem appellare mallent». Vetus liber, «appellarent C. Halieni» : ut videatur fortasse legendum, «Quam amici pacem appellarent, fallaciam alieni». F. Ursin. — «Spe allata (deditionem quam amici, pacem appellarent alieni), de imponendis, etc.» Est a conjectaneo Ferrarii, quo tamen nihil abit a MSS, quam quod *deditionem* facit ex vulgato *deditionis;* pro quo tamen in Pal. pr. ac quart. «deditio in amici», tert. «deditioni amici»; ut forte fuerit, «deditionem amici, pacem app. alieni» : recepta lectio, «spe allata deditionis, quam amici pacem appellare mallent, de imponendis». Grut. — In meis quoquè varie legitur. Colon. «quam sæpe allata est deditio in amici pacem appellarem C. alieni de imponendis». Ista verba «sæpe allata èst deditio in» adscripta erant manu recentiore, fuerat enim ibi lacuna in contextu. Franc. «quam sæpe allata est deditio, quam amici pacem appellare, alieni de imponendis». Græv. «quam spem allata deditione : quam animi pacem appellarem alieni de imponendis». Amster. «quam sæpe ablata est deditio in amici pacem appellant Caleni de imponendis». Ex his omnibus non video quidquam elici posse commodius, quam quod ex iis elicuerunt Victorius, Faernus, Muretus, Manutius, qui ediderunt : «quam spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent, de imponendis» : nisi quod Muretus, «pacem appellare mallent». Cur enim, si retineamus lectionem, quam Gruterus est amplexus, quam alieni ab Antonio pacem appellarent, amici Antonii deditionem dicerent, causam nullam video. Immo quum Antonius per hos, quos Romam miserat, deprecatus esset præterita et promi-

sisset se in potestate senatus futurum, hoc vocabant ejus amici pacem, alieni vero ab Antonio, qui scapham vocabant scapham, deditionem. Si dicas amicos reip. deditionem appellasse, quam alieni a rep. appellarint pacem, est obscurius, et a sententia Tullii remotum. Græv. — « Quam spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent, de imponendis ». Hæc mihi videtur sincera lectio, quæ continet lucidam lectionem. Significat enim, quam fautores Antonii *pacem* nominarent, leniore scilicet vocabulo, senatores *deditionem* intellexisse, qua se Antonius senatui traderet, veniam deprecatus. Quod si putassent agi de ea pace, qua Antonii dignitas retineretur, senatus minueretur, numquam in eam legationem consensuros patres. Curio. — Hujus lectionis, quam Curio, Græv. et recentiores sequuntur, auctor est Naugerius: neque differunt Rom. Ven. Ald. Herv. et Gryph. nisi quod addunt *C. Halieni*. Lamb. quoque Naugerium sequitur, addito tamen de Faerni sententia nomine, « quam amici Antonii pacem appellarent ». Uterque Barb. cum Colon. consentit, sed sec. *C. Caleni*. Scala ille, homo ætate sua celebris, literam *m* arripuit ex iis MSS, qui habent *appellarem*, atque vocem *alieni* attexuit, ut his ex vestigiis erueret *mallent:* quam conjecturam receperunt P. Manut. et Car. Steph. qui de suo codice ita silet, quasi eam plane ille confirmet. Relata inde fuit a Mureto, et a repet. Lamb. Garat. — Vult Ern. addi post « appellarent C. Antonii » aut « C. Halieni », quod sit in Huyd. Ien. « appellarent alieni de imponendis ». Male. Desunt verba in eodem: « non de accipiendis ». Paullo post: « verum durum ».

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XII, cap. 8, pag. 512:

Mea bona donare se dixit Petissio Urbinati, qui ex naufragio, etc.

Mea bona donare se dixit Petissio Urbinati. Sic Lang. et cum eo plerique, « De meis bonis donare se dixit P. Urinati »: nonnulli *Urinati.* Valer. quidem Maximus cujusdam T. Marii Urinatis mentionem facit. Ferrar. — « Petissio Urbinati ». Alii libri habent *Urinati:* et ita edidit Muretus. Faernus autem, quo modo vulgati, *Urbinati:* ego *Urinati* malim. Nam Urbinum, quæ hodie est urbs princeps Umbriæ, non puto fuisse ætate Ciceronis. Lamb. — « Petissio Urbinati ». Varie scribitur utrumque nomen nostris : ultimum quidem, *Urvinati*, aut *Uriinati:* at prius « præsidio, præsidi, Piasio, Pitisio ». Grut. — In hoc errat Lambinus, quum Urbinum existimat recens esse oppidum, quum ejus meminerit Tacitus et Plinius, et referatur inter municipia. Vide Cluv. Ital. antiquam, II, cap. 6, pag. 680. Græv. — Bard. pr. « præsidi Urinati », sec. « præsidii Utinati » : sed ambo cum cod. Car. Stephan. et plerisque Ferrarii, « de meis bonis », quod a Lambino receptum video, ut opinor, merito. Cur enim hoc alios offendit? Sane parum est verisimile, bona Tullii aut omnia, aut maximam partem Petissio fuisse ab Antonio donata. Quin adeo donatio quæcumque bonorum Tullii eo tempore non modo apud Antonii adversarios, sed etiam apud comites perridicula fuisset. Omnino hic locus videtur esse debere inferiori similis, « quum Aquilæ primi pili nummos aureos daret, de meis bonis dare se dixit ». Vatic. a Grævii lectione non dissentit. Garaton.

Aquilæ primi pili. Rescripsi cum Faerno et Manut. et ed. antiquioribus, *Aquilæ*, non *aquilæ*, ut recentioribus placuit. «Aquilæ primi pili» (sic omnes MSS, nisi quod in Colon. «aquilæ primipuli», ita tamen, ut ultimæ duæ syllabæ *puli* essent a manu recentiore, literis, quæ olim ibi fuerant, erasis, et his suppositis), est primi pili centurioni. Integra locutio legitur in V ad Atticum: «At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primi pili nobilem sui generis», ubi quoque MSS, *primipuli.* Postea ludit in ambigua voce *Aquilæ*, quæ centurionis nomen erat, et signi totius legionis. Non probo, qui exponunt *aquilæ* militibus primi ordinis, qui sub ea aquila, quæ signum fuit Romanorum, militabant. Aquila servabatur olim quidem a triariis, sed a tempore Marii translata erat ad cohortem primam, in qua etiam erant primi pili, sed erat tamen aquila totius legionis signum. Præterea «aquilæ primi pili dare nummos», pro primæ cohortis militibus, aut triariis nummos dare, quis ferat in Floro, aut Apuleio, aut inepto quodam declamatore, ne dum in disertissimo Romuli nepotum? Græv. — Barb. ambo, «aquile primi pili», Vatic. «aquilæ primi pili», ut habet Muretus: ceteri mei editi a Græv. non discedunt. In iis, qui *aquilam* hic pro signo legionis accipiunt, principem locum tenet Fabrettus de Col. Trajani, cap. 7, pag. 192. Id signum ait pro ipso primo pilo, eodemque aquilifero salse nominari, ut sequenti joco fiat locus, «ne aquilam quidem ipsam credituram putavit». Ac sane verba eo ducunt. Quod si Tullio dignum non est, et urbanior in centurionis nomine lusus est: emendatione locus indiget, ut Manutius intellexit. Nam vocem *centurioni* subaudiri posse, eidem Manut. et Grævio non concesserim. Differt locus Cæsaris, Bell. Gall. II, 25, ubi ἀπὸ κοινοῦ repeti potest. Aut ergo ea vox nota solemni 7 perscripta excidit, et fuit, «Aquilæ primi pili centurioni»: aut legendum, «Aquilæ primo pilo», unde *primipilo* primum exstiterit, quod Man. probat haud recte, deinde «primi pili». Conf. Oudend. ad Cæs. l. c. GARAT.

Nec aquilam quidem ipsam. « Ne aquilam quidem ipsam », o. l. v. quod placet. Ferr.

Non ferent, inquam. V. C. Burmannus junior in codice Huydecoperiano reperit, « non ferent, non ferent, inquam », et ita emendandum contendit tom. II Anthol. Lat. pag. 57, hanc geminationem a verbo *inquam* postulari affirmans, et exempla ex Philipp. II, 44, XIII, 19, XIV, 5, afferens, quibus aliud ex I, 12 addi potest, et multa præterea. Sed quod is citat Heinsium ad Vell. I, 17, 3, vulgatam scito ex illius observatione defendi. Docet enim verbum *inquam* tum quoque interjici, quum diversis verbis sententia eadem iteratur. Hic itaque, postquam est dictum, « parcite oculis saltem meis, quo adspectu videre potero, quomodo adspiciam, an adspicere potero », sequi potest, « non ferent, inquam, oculi ». Verumtamen, quoniam ad alios homines transitio fit, Burmanno assentirer, nisi Vaticanus ab eo dissentiens me deterreret. Garat. — Ernest. scripsit, « non ferent, non ferent, inquam », ex auctoritate MS Huydec. at alterum forsitan delendum. Exemplum Ernest. Sch. sequutus est. Ien. « non ferent, inquam ».

Non duo prætores. Ita vetus liber: et paullo post: « Non duo designatos tribunos ». Sic et in epistolis: « Præter duo nos loquitur isto modo nemo ». Et apud Virgilium: « Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros ». Mur. — Vide ad cap. 53 pro Sexto. Unum vero ex iis prætoribus, quos hic Cicero, et XIII, 12, designat, Censorinum fuisse, inter omnes constat. Alterum Curio L. Antonium facit, qui anno superiore tribunus plebis fuit: neque ullum ejus rei testimonium afferre potuit. Ferratius, Epist. VI, 1, Calvisium fuisse putat, qui porro præturam ipsam anno ante gessit ex III, 10. At nihil certius, quam P. Ventidium conjungi cum Censorino debere: id quod vidit jamdiu Manutius, et confirmavit Pighius. Is fuit hoc anno prætor, quo se ad Antonium contulit, eodemque extremo etiam consul. Quamvis enim Dion, XLIII, 51, ejus præturam in antece-

dentem huic annum conjicere videatur, idem tamen diserte id, quod dixi, tradit XLVII, 15, ad quem, XLVI, 46, Fabricius lapidem Ancyranum ex Cossonio affert habentem : « Consulibus mortuis (Hirtio et Pansa) in vacantem locum exercitus imperium mihi (Augusto) dedit : ac mox turbata resp. Ventidio prætori simul cum Carrinate consulibus factis ». Velleius, II, 65, 3, « vidit hic annus Ventidium... consularem prætextam jungentem prætoriæ ». Adde Val. Max. VI, 9, 9, et A. Gellium, XV, 4, qui hæc habet de Ventidio : « mox tribunum quoque plebis, ac deinde prætorem creatum, atque in eo tempore judicatum esse a senatu hostem cum M. Antonio (post Mutinense prælium) : post vero, conjunctis partibus, non pristinam tantum dignitatem recuperasse, sed pontificatum, ac deinde consulatum quoque adeptum esse ». Rem notissimam recognosci volui, ut judicium statim de iis fiat, quæ infra leguntur, XIV, 7, « idem Ventidium, quum alii tribunum pl. voluissent, non ego semper hostem ? » Ferratium hæc adduxerunt, ut, alio perperam substituto prætore, Ventidium hic diceret proximis verbis describi, « non tribunum plebis » : quum ratio legendum ibi potius suaderet, « quum alii prætorem voluissent ». Quis igitur hic tribunus nominatur ? Curio Saxam Decidium perabsurde putat : nam et ejus mentio proxime antecessit, et inter tribunitios locum habet, XIII, 13. Atque adeo, quum eo loco Cicero senatores, qui erant in castris Antonii, recenseat, dignitatis eorum ratione servata, duosque hos designatos tribunos pl. nominet, Tullum Hostilium et Viseium, nullum autem hujus anni tribunum, qui certe non erat ibi prætereundus, si fuisset, immo vero non fuisse indicet his verbis, « tribuni primum duo designati » ; graves mihi omnino causæ videntur esse, cur hinc ejiciamus hoc totum, « non tribunum plebis ». Forte ad sequentia, « non duo designatos tribunos », adscripsit aliquis margini, « tribuni pl. » cujusmodi adscriptiones in MSS plurimas vidi. Atque id postea receptum peperit errorem illum, qui su-

perest in edd. Naug. Cam. et Gryph. « non tribuni pl. » magnoque hujusce rei nobis indicio est. Sed fortasse veriorem adjectionis fontem aperit Barb. prim. in quo, mentione prætorum omissa, sic legitur, « non duos trib. pl. non duos designatos tribunos ». Duplex nimirum lectio conjuncta est; quum primo PR. in TR. abiverit, et paullo post PL. adjectum fuerit, ut evenit loco illo, XIV, 7, ubi vide. *Tribunos* autem sine *plebis* recte dici vidimus ad cap. 33 pro Sext. Nec moveor Dionis loco, XLVI, 32, a quo profecti palam dicuntur ad Antonium δήμαρχοι, στρατηγοί τέ τινες, « tribuni plebis, prætoresque quidam »: duos enim designatos intelligere satis est: neque in x tribunis, quos hoc anno recenset Pighius, Antonianum quemquam agnosco. In Vatic. scribitur, « non duo populi romanon. TRpl. non duo desig. tribunos », et infra, « non T. Plancum ». Mendum illius docet, notas PR. hic exstitisse. Alias vero diserte præbet, quas adjectitias esse censuimus. Garat.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA TERTIADECIMA

ARGUMENTUM.

Cicero, sicuti supra vidimus, quum legatus, jubente senatu, ad Antonium esset profecturus, sese excusavit, ceterique omnes, quibus hoc munus fuerat decretum, Romæ mansere. Consul vero Pansa, quum omnibus iis finem imposuisset, quæ in urbe agenda erant, ad bellum contra Antonium, cum Cæsare et Hirtio gerendum profectus est. Tum vero Lepidus ad senatum literas misit, quibus ad pacem hortaretur. Cujus quidem civis illustrissimi consilia, eo majorem auctoritatem habebant, quod exercitui florenti præerat, nec jam reipublicæ studiosissimus esse ferebatur. Eodem autem tempore, quas Hirtio Cæsarique literas scripserat Antonius, Cicero sibi a consule missas receperat. Alia autem parte Sext. Pompeius, alter e Pompeii Magni liberis, Massiliam cum copiis tenebat. Ad quem missi legati, senatui renuntiaverant eum patribus operam suam navaturum, ac reipublicæ causam cum suis defensurum. Senatus, Antonio consule, decreverat eum in patriis fortunis esse restituendum, pecuniamque dandam, qua redimere bona posset. Lepidus vero, qui citeriorem Hispaniam tenebat, cum Pompeio de republica consilium habuerat, et auctor fuerat ut senatus majorem vim pecuniæ ei concederet. Quæ, quum ita essent, Cicero tertiamdecimam Philippicam habuit. Consulibus absentibus, senatum M. Cornutus prætor urbanus habuerat.

Novis argumentis demonstrat orator, nullo modo pacem cum Antonio componi posse; quod quidem ex Antoniorum moribus ac indole, et eorum omnium quos scelerum participes habent, comprobat. Potius honesta morte occumbendum profitetur, quam talibus serviendum tyrannis. Tum Lepidum appellat, quonammodo erraverit, indicat; dumque ob omnia, quæ in rempublicam contulit beneficia, magnis effert laudibus, monet ne nimis arroganter res velit publicas tractare, nec opibus suis contra libertatem abutatur. Denique epistolam ab Antonio ad Hirtium scriptam recitat, tamquam indicem certum, quo appareat nullum fœdus cum tali peste esse sanciendum. Quam quidem totam perlegit, sed ea permiscens quibus quidquid profert An-

tonius confutat; concluditque profitendo se in Servilii sententiam ire, qui bellum acrius urgendum censebat, et senatores ad præmia Pompeio concedenda cohortatur.

Quæ autem Ciceronis oratio cum his mire congruit quæ ad Lepidum eadem de re scripsit (ad Div. X, 27), et ad Plancum, qui pacis quoque auctor fuerat (ad Div. X, 6). Senatus Ciceronis Serviliique sententiam comprobavit, bellumque nullo modo fuit dilatum.

Quum autem literæ Antonii non uno tenore ab oratore fuerint recitatæ, eas ibi reponere æquum censuimus, quo melius quid significarent agnosceretur.

ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI.

« Cognita morte C. Trebonii, non plus gavisus sum quam dolui. Dedisse pœnas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, et apparuisse numen deorum intra finem anni vertentis, aut jam soluto supplicio parricidii aut impendente lætandum est. Hostem judicatum hoc tempore Dolabellam, eo quod sicarium occiderit, et videri cariorem populo romano filium scurræ quam C. Cæsarem patriæ parentem, ingemiscendum est. Acerbissimum vero est te, A. Hirti, ornatum esse beneficiis Cæsaris, et talem ab eo relictum qualem ipse miraris. Et te, o puer, qui omnia ejus nomini debes, id agere, ut jure damnatus sit Dolabella, et ut venefica hæc liberetur obsidione, ut quam potentissimus sit Cassius atque Brutus. Nimirum eodem modo hæc adspicitis ut priora : castra Pompeii senatum appellatis.

« Victum Ciceronem ducem habuistis; Macedoniam munitis exercitibus, Africam commisistis Varo bis capto : in Syriam Cassium misistis; Cascam tribunatum gerere passi estis; vectigalia Juliana Lupercis ademistis, veteranorum colonias deductas lege et senatusconsulto sustulistis; Massiliensibus jure belli adempta reddituros vos pollicemini.

« Neminem Pompeianum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates : Apuleiana pecunia Brutum subornastis : securi percussos Pætum et Menedemum civitate donatos, et hospites Cæsaris laudastis. Theopompum nudum expulsum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexistis : Serv. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis. Milites aut meos aut veteranos

contraxistis, tamquam ad exitium eorum qui Cæsarem occiderant, et eosdem nec opinantes ad quæstoris sui, aut imperatoris, aut commilitonum suorum pericula impulistis.

« Denique quid non aut probavistis, aut fecistis? quid faciat, si reviviscat Cn. Pompeius ipse, aut filius ejus, si domi esse possit? Postremo negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento juvero. Quid? hoc placetne veteranis istis, quibus adhuc omnia integra sunt? Quoniam vos assentationibus et venenatis muneribus venistis. At militibus inclusis opem fertis. Nihil moror eos salvos esse, et ire quo jubetis, si tamen patiuntur perire eum qui meruit. Concordiæ factam esse mentionem scribitis in senatu, et legatos esse consulares quinque. Difficile est credere eos, qui me præcipitem egerint, æquissimas conditiones ferentem, et tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos, vix etiam verisimile est: qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere posse, idem sentientibus.

« Quamobrem vos potius animadvertite utrum sit elegantius, et partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Cæsaris; et utrum sit nequius concurrere nos quo facilius reviviscat Pompeianorum causa toties jugulata, an consentire ne ludibrio simus inimicis.

« Quibus, utri nostrum ceciderint, lucro futurum est, quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicantes, qui usque eo felix est, ut iisdem ornamentis deceperit vos quibus deceptum Cæsarem gloriatus est. Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre, nec deserere partes quas Pompeius odivit, nec veteranos sedibus suis moveri pati, nec singulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem quam dedi Dolabellæ, nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis, nec Plancum prodere participem consiliorum.

« Si me rectis sensibus euntem, dii immortales, ut spero, adjuverint, vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. Namque si victi Pompeiani tam insolentes sunt, victores quales futuri sint vos potius experiemini. Denique summa judicii mei spectat huc, ut meorum injurias ferre possim, si aut oblivisci velint ipsi fecisse, aut

ulcisci parati sint una nobiscum Cæsaris mortem. Legatos venire non credo, bellum quo veniat; quum venerint, quæ postulent, cognoscam ».

ALIUD ARGUMENTUM.

Sententia de mittendis iterum legatis jam abjecta, pacem laudat, sed eam cum Antonio negat ullam esse posse. Recitat, et interpretatur Antonii literas ad Hirtium Cæsaremque missas. Servilii sententiam probat de mandatis, literisque M. Bruti, ad pacem cohortantis. Sext. Pompeium, quod suam eorumque quos secum haberet, operam senatui populoque romano pollicitus esset, vel eo SC. quod in Servilii sententiam de Lepidi literis fieret, vel proprio laudandum esse censet. Et hæc absente Pansa consule, qui ad collegam Hirtium et Cæsarem cum iis copiis, quas ipse ex delectu comparat, profectus erat. P. Mar.

M. T. CICERONIS ORATIONES.

PHILIPPICA TERTIADECIMA.

ORATIO QUINTA ET QUINQUAGESIMA.

I. A PRINCIPIO hujus belli, patres conscripti, quod cum impiis civibus, consceleratisque [1], suscepimus, timui, ne conditio insidiosa [2] pacis libertatis recuperandæ studia restingueret. Dulce enim etiam [3] nomen est pacis; res vero ipsa quum jucunda, tum salutaris [4]. Nam nec privatos focos, nec publicas leges [5], nec libertatis jura, cara habere potest, quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat; eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaque sive Sulla, sive Marius, sive uterque, sive Octavius, sive Cinna, sive iterum Sulla [6], sive alter Marius, et Carbo,

I. 1. *Consceleratisque*. Al. *sceleratisque*. J. V. L.

2. *Conditio insidiosa*. Verbis illis revocat ea omnia quæ contra pacem cum Antonio habendam, superioribus orationibus egit. Insidiosam autem pacis hanc conditionem vocat, quia, ut vidimus, mentita fuerat et falsis prolata nominibus.

3. *Etiam nomen est*. Abest *etiam*. J. V. L.

4. *Salutaris*. Tempus enim venerat, quo tam diuturnis bellis rempublicam conquiescere oportebat, et bonis omnibus pax arridebat.

5. *Publicas leges*. Sic Homerus: ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος, ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος. « Sine tribu, sine lege, sine lare est ille, quisquis bellum amat intestinum horrendum ». Contulit quoque hunc Homeri locum Victorius Var. lect. I, 3, quem vide, ac præterea Clarkium ad ipsum Homer. Iliad. IX, 63.

6. *Sulla*. Bis civile bellum Sulla gessit, prius cum Mario, posterius vero

sive quis alius civile bellum optavit, eum detestabilem civem reipublicæ natum judico. Nam quid ego de proximo dicam[7], cujus acta defendimus, quum ipsum jure cæsum[8] fateamur? Nihil igitur hoc cive, nihil hoc homine tetrius, si aut civis, aut homo habendus est, qui civile bellum concupiscit. Sed hoc primum videndum est, patres conscripti, cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile[9]: in quo pactio pacis lex sit servitutis. Pacem cum Scipione Sulla sive faciebat, sive simulabat; non erat desperandum, si convenisset[10], fore aliquem tolerabilem statum civitatis. Cinna si concordiam cum Octavio confirmare voluisset, hominum in republica sanitas remanere[11] potuisset. Proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupiditate Cæsar remisisset[12]; et pacem stabilem, et aliquam rempublicam nobis habere licuisset.

II. Hoc vero quid est? cum Antoniis pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia,

cum Carbone ac Marii filio. Satis superque de his omnibus bellis diximus, et supervacaneum esset rursus, quonam modo incœperint, iterum narrare.

7. *Quid ego de proximo dicam*. De C. J. Cæsare, qui civile bellum cum Pompeio gessit.

8. *Jure cæsum*. Quoniam summam potestatem usurpaturus erat. Nusquam alias Cicero tam aperte quid de occiso Cæsare sentiret, patefecit.

9. *Inexpiabile*. Curio legebat *expiabile*, sicque locum explanabat: Bellum expiabile, id est, cujus damna sarciri possint, quale hoc est quod libertate compensatur, et servitute inexpiabile efficitur; idcirco tali pactione pacis non omittendum. Sed lectio nostra potior est; namque bellum inexpiabile hoc est, quod nulla pace, nulla pactione exstingui potest, nisi prius perierint, qui id sustulerunt.

10. *Convenisset*. Alii, *convenissent*. J. V. L.

11. *Sanitas remanere*. Namque, quum de privatis rebus inter se dimicarent, si aliquid sibi quisque remisisset, nullo modo turbata fuisset respublica. Quod vero de Cæsare ait ac Pompeio non adeo verum videtur: etenim non jam de peculiaribus commodis ipsorum, sed de tota republica hos inter viros agebatur; neque ex eorum ingenio, speranda libertatis salus erat, quum uterque res solus administrare valde concupisceret.

12. *Remisisset*. Olim, *dimisisset*. J. V. L.

Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? Exempli causa paucos nominavi: genus infinitum [1], immanitatemque ipsi cernitis reliquorum. Addite illa naufragia Cæsaris amicorum, Barbas Cassios [2], Barbatios, Polliones; addite Antonii collusores et sodales, Eutrapelum, Melam, Cœlium, Pontium, Crassitium, Tironem, Mustellam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. Huc accedunt Alaudæ, ceterique veterani, seminarium judicum tertiæ decuriæ [3], qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Cæsaris devoratis, fortunas nostras concupiverunt. O fidam dexteram Antonii [4], qua ille plurimos cives trucidavit! O ratum religiosumque fœdus, quod cum Antoniis fecerimus! Hoc si Marcus violare conabitur, Lucii eum sanctitas a scelere revocabit. Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus non erit [5]. Ora vobis eorum ponite, patres conscripti, ante oculos, et maxime Antoniorum, incessum, adspectum, vultum, spiritum; latera tegentes alios, sequentes

II. 1. *Genus infinitum, immanitatemque*, etc. Scitis, quo numero sint et quam audaces.

2. *Barbas Cassios.* Alii legunt *Barbas, Cassios*, virgula interposita: mendose quidem; namque ex Cæsaris familiaribus fuit Barba Cassius. Non autem ad verba quæ sequuntur transferenda hæc lectio est, et erravere qui Barbatios Polliones, uno tenore, exhibuerunt. Quis autem Pollio ille fuerit prorsus ignoratur: quod enim Pollio gentis Asiniæ cognomen fuerit, nihil hoc adjuvat. De viro clarissimo C. Asinio Pollione, qui quidem Cæsaris amicus fuerat, ac postea Antonio favit, non suspicari licet. Nam, non modo numquam dignitatem deminuit suam, sed quo tempore hæc habebatur oratio, in Hispania, cum imperio et exercitu erat; et ad Ciceronem ipsum literas scribebat. Eadem hac in oratione, quam nunc tractamus, ad cap. 13, Asinius quidam nominatur, qui in senatum Cæsare mortuo irrepsit; sed eumdem hoc in loco nominari nihil comprobat. Itaque, quis omnino fuerit, arduum est agnoscere.

3. *Seminarium judicum tertiæ decuriæ.* Sæpissime in hac re, prima Philippica, versatur orator, et qui fuerint judices illi exponit.

4. *Dexteram Antonii.* Quonam modo pacem cum Antonio habere licebit, quum jurisjurandi testem hanc dextram dabit, quæ sanguine tot romanorum civium adhuc est imbuta.

5. *Locus non erit.* Adeo sunt scelerati Antonii, ut, si in hac urbe fuerint, nos remanere nullo modo possimus; pax itaque nullo pacto est cum iis componenda.

alios, alios prægredientes[6] amicos. Quam vim anhelitus[7], quas contumelias fore censetis, minasque verborum? Nisi forte eos pax ipsa leniet, maximeque quum in hunc ordinem venerint[8], salutabunt[9] benigne, comiter appellabunt unumquemque nostrum.

III. Non recordamini, per deos immortales! quas in eos sententias dixeritis? Acta Antonii rescidistis; leges refixistis; per vim et contra auspicia latas decrevistis[1]; totius Italiæ delectus excitastis[2]; collegam et socium scelerum omnium, hostem judicavistis[3]. Cum hoc quæ pax potest esse? Si esset externus hostis, tamen id ipsum[4] vix, talibus factis, posset aliquo modo. Maria, montes, regionum magnitudines interessent: odissetis eum, quem non videretis. Hi in oculis hærebunt, et, quum licebit[5], in faucibus: quibus enim septis tam immanes belluas continebimus? At incertus exitus belli est. Est omnino[6] fortium virorum, quales vos esse debetis, virtutem præstare; tantum enim pos-

6. *Prægredientes*. Al. *progredientes*. J. V. L.

7. *Quam vim anhelitus*. Robuste quidem : sed omnino locum enervat Ferrar. qui ex MSS quibusdam conjicit, «quem vini anhelitum». Communia enim ac sæpissime recantata verba pro iis quæ firma sunt, et quæ cum latini sermonis elegantia optime congruunt, reponit.

8. *Venerint*, *salutabunt*. Al. *venerint : salutabunt*. J. V. L.

9. *Salutabunt benigne*. Immo contra nemini infestiores erunt quam senatoribus, qui decreta in eos sunt jaculati, quibus hostes patriæ ac totius reipublicæ pestes declarabantur.

III. 1. *Latas decrevistis*. Revocat quæcumque in Antonium acta, ipso suadente, fuerint; quæ omnia his in orationibus fusius explanantur : et absonum omnino esset ea in memoriam rursus revocare.

2. *Excitastis*. Decretis illis quæ summam potestatem Cæsari Octaviano permisere, quæque laudibus exornavere maximis eos, qui ad arma capessenda concurrerant.

3. *Hostem judicavistis*. Dolabellam qui, Trebonio occiso per proditionem, hostis publice est denuntiatus; namque bellum cum eo gerendum esse decrevit senatus.

4. *Id ipsum*. Scilicet pax, sive *id ipsum* pacem facere. Hoc in loco post *posset* subaudiendum *fieri*; quo absente nullo modo locus intelligi posset.

5. *Quum licebit*. Quum nullo jam vinculo coercebuntur, in faucibus hærebunt, id est, vitæ nostræ insidiabuntur.

6. *Est omnino*. Pulcherrimam ac

sunt[7] : fortunæ culpam non extimescere[8]. Sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur (quamquam vix videntur hæc posse sejungi, sejungamus tamen[9]): fortitudo dimicare jubet, justum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum. Quid sapientia? cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione protectior[10]. Quid igitur censet? parendum est enim[11], atque id optimum judicandum, quod sit sapientissime constitutum. Si hoc præcipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen : quæram ex ea, etiamne[12], si erit, quum id fecero, serviendum. Si annuerit; næ ego[13] sapientiam istam, quamvis sit erudita, non audiam. Sin responderit, Tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hæc posteriora libertate ducas, itaque his uti velis, si libera[14] republica possis; nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc projicias, tamquam pignora injuriæ[15] : tum sapientiæ vocem audire videar, eique, uti deo, paream. Itaque si, receptis illis, possumus esse

dignitate plenam sententiam, antea corruptam, Muretus ex veterum librorum auctoritate restituit.

7. *Tantum enim possunt*, etc. Olim, *Virtute præstare tantum, ut possint fortunæ c. n. e.* J. V. L.

8. *Extimescere.* Fortunæ enim culpa erit, si hac in re erraverimus, quum omnia, quibus ad prosperum exitum perduci posset, mente præceperimus.

9. *Sejungamus tamen.* Hæc ait, ut demonstret cautos fortesque viros bellum cum Antonio gerendum optare debere, quum hæc una sit salutis via recuperandæ.

10. *Omni rat. protectior.* A se omnibus modis mala arcet, et quo potest se munimine tuetur.

11. *Parendum est enim.* Fortitudinem sapientiæ morem gerere decet, et ea quæ suaserit exsequi.

12. *Etiamne, si erit, quum.* Olim, *etiamne fuerit, quum.* J. V. L.

13. *Næ ego.* Alii scribunt, *ne ego*, et *non*, quod infra positum est, delent.

14. *Si libera republica possis.* Alii, *si liberare remp. possis.* J. V. L.

15. *Pignora injuriæ.* Namque ea si malis retinere quam libertatem, injuste facies. Projicienda igitur sunt, ne sint causæ, et tamquam pignora injuriæ.

liberi, vincamus odium, pacemque patiamur[16]: sin jus, incolumibus his, nullum esse potest, lætemur decertandi[17] oblatam esse fortunam. Aut enim, victis his, fruemur victrice republica; aut oppressi (quod omen avertat Jupiter!), si non spiritu[18], at virtutis laude vivemus.

IV. At enim nos M. Lepidus, imperator[1] iterum, pontifex maximus, optime proximo civili bello de republica meritus, ad pacem adhortatur[2]. Nullius apud me, patres conscripti, auctoritas major est, quam M. Lepidi, vel propter ipsius virtutem, vel propter familiæ dignitatem. Accedunt eodem multa privata, magna ejus in me merita, ac mea quædam in illum. Maximum vero ejus beneficium numero, quod hoc animo in rempublicam est: quæ mihi vita mea semper fuit carior. Nam quum Magnum Pom-

16. *Pacemque patiamur.* Legunt quidam *potiamur*: sed hoc rejiciendum; nam Cicero pacem habet, tamquam malum, si cum iis componatur; itaque vox *pati* ad hanc sententiam intelligendam multo melius congruit.

17. *Lætemur decertandi oblatam esse fortunam.* Quum adeo audacia ac sceleribus suis sint progressi, ut bellum sit omnino cum iis gerere necesse.

18. *Spiritu.* Si lucem hoc in certamine amiserimus, non jam vita illa terrestri vivemus, sed ad gloriæ immortalitatem, nomina nostra virtute consecrabimus.

IV. 1. *Imperator iterum.* L. Lucullus, ut Eusebius literis tradidit, primus imperator est dictus, Armenia Mesopotamiaque potitus. Ac principio nemo quidem hoc honore ornabatur, nisi qui res gesserat amplissimas. Sed postea vulgatum ita nomen illud fuit, ut duci non semel, sed iterum decerneretur. Militum consensu cognomen hoc sæpe erat inditum, aut, quod honorificentius erat, senatusconsulto dandum esse judicabatur. Quid autem M. Lepidus gesserit ut imperator iterum nuncuparetur, non omnino deprehendere est facile: nam res ab eo gestæ ita obscuræ fuerunt, ut earum memoria evanuerit. Hoc exstat tantum: scilicet eum Hispaniæ citeriori fuisse præpositum, et post Cæsaris interitum, eamdem obtinuisse provinciam Velleius testatur. F. Ursinus delendum putat *iterum*. Sed MSS omnes vocem hanc habent, et præterea in epistola ad Ciceronem idem M. Lepidus nomen hoc sibi adscribit.

2. *Ad pacem adhortatur.* Ad Lepidum de hac re ita scripsit Cicero: « Sapientius meo quidem judicio facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur.

peium [3], clarissimum adolescentem, præstantissimi viri filium, auctoritate adduxit ad pacem [4], remque publicam sine armis maximo civilis belli periculo liberavit : tum me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto. Itaque ei et honores [5] decrevi, quos potui [6] amplissimos, in quibus vos mihi estis assensi; nec umquam de illo et sperare optime, et loqui destiti. Magnis et multis pignoribus M. Lepidum respublica illigatum tenet. Summa nobilitas est hominis, summi honores, amplissimum sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, fratris [7], majorumque monumenta; probatissima uxor [8], optatissimi liberi, res familiaris quum ampla, tum casta a cruore civili; nemo ab eo civis violatus, multi ejus [9] beneficio et misericordia liberati. Talis igitur vir et civis opinione labi [10] potest, voluntate a republica dissidere nullo pacto potest.

Pacem vult M. Lepidus. Præclare : si talem potest efficere, qualem nuper effecit; qua pace Cn. Pompeii filium respublica adspiciet, suoque sinu complexuque recipiet : neque solum illum, sed cum illo se ipsam sibi restitutam putabit. Hæc causa fuit, cur decerneretis statuam in Rostris cum inscriptione præclara, cur absenti triumphum. Quamquam enim magnas res

3. *Magnum Pompeium*. Sextum scilicet Magni Pompeii filium. Videtur autem ex hoc loco cognomen illud quasi gentile nomen sibi assumpsisse.

4. *Adduxit ad pacem*. Aliqui legunt *ad urbem*. Quæ quidem verba sensum fere eumdem habent, sed *ad pacem* potius servanda censemus, quum præterea hanc lectionem nostram MSS tueantur.

5. *Honores decrevi*. Suadente enim Cicerone, senatus statuam equestrem inauratam pro Rostris collocandam Lepido decreverat.

6. *Quos potui*. Alii, *quam potui*. J. V. L.

7. *Fratris*. L. Æmilii Paulli, qui novam basilicam in foro exstruxerat, veteremque a majoribus conditam instauraverat atque reparaverat.

8. *Uxor*. M. Bruti soror erat.

9. *Ejus beneficio*. Abest *ejus*. J. V. L.

10. *Opinione labi*. Potest quidem errare ac pacem nobis suadere tam-

bellicas gesserat[11], et triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum, quod nec L. Æmilio, nec Æmiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompeio, qui majora bella gesserunt : sed quod silentio[12] bellum civile confecerat, ut primum licuit[13], honores in eum maximos contulistis.

V. Existimasne igitur, M. Lepide, qualem Pompeium respublica habitura sit civem, tales futuros in republica Antonios? In altero pudor, gravitas, moderatio, integritas; in illis (et quum hos compello, prætereo animo ex grege latrocinii neminem), libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia. Deinde obsecro vos, patres conscripti, quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, vidit? Salvis enim actis Cæsaris, quæ concordiæ causa defendimus, Pompeio sua domus patebit; eamque non minoris, quam emit Antonius, redimet : redimet, inquam, Cn. Pompeii domum filius. O rem acerbam! sed hæc satis diu multumque defleta sunt. Decrevistis tantam pecuniam Pompeio, quantam ex bonis patriis in prædæ dissipatione inimicus victor[1] redegisset. Sed hanc mihi dispensationem, pro paterna necessitudine et conjunctione, deposco. Redimet hortos, ædes, urbana quædam, quæ possidet Antonius. Nam argentum, vestem, supellectilem, vinum amittet æquo animo, quæ ille helluo dissipavit. Albanum, Firmanum a Dolabella recuperabit; etiam ab Antonio Tusculanum : hique, qui nunc Mutinam oppugnant,

quam utilem; sed quamvis in hac re opinione peccaverit, non mente a republica dissidere judicabitur.

11. *Res bellicas gesserat.* Superius jam diximus, eas ad nos usque numquam pervenisse.

12. *Silentio.* Absque armis et bello publicas discordias composuerat.

13. *Ut primum licuit.* Al. exhibent *Primum ut lic.* Cod. Vatic. *quum primum l.* J. V. L.

V. 1. *Inimicus victor redegisset.* C. J. Cæsar, qui, mortuo Pompeio, bona ejus vendidit.

D. Brutum obsident, de Falerno Anseres [2] depellentur. Sunt alii plures fortasse; sed mea memoria dilabuntur. Ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt, Pompeianas possessiones, quanti emerint, filio redituros. Satis inconsiderati fuit, ne dicam audacis, rem ullam ex illis attingere. Retinere vero quis poterit, clarissimo domino restituto? An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeii servus [3], libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones occupavit? Atque illud septies millies, quod adolescenti, patres conscripti, spopondistis, ita describetur, ut videatur a vobis Cn. Pompeii filius in patrimonio suo collocatus. Hæc senatus. Reliqua populus romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur : in primis paternum auguratus locum [4], in quem ego eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis optimi maximi, cujus

2. *Anseres*. Pompeii prædium Antonius dederat pessimo vati, qui Anser dicebatur, cujusque Ovid. in Trist. II, 435, nomen recitat; tunc autem cum Antonio ceterisque Mutinam obsidebat. Servius autem in Eclog. IX, vers. 35, contendit, ad vatem illum Virgilium alludere, quum ait : « Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna Digna, sed argutos inter strepere anser olores ».

3. *Pompeii servus*. Multi, quis ille esse posset Pompeii servus quæsivere; sed nullo modo deprehendere fuit facile, quo nomine diceretur. Quidam existimant eum esse Demetrium Pompeii libertum quam potentissimum, qui vim pecuniæ pæne incredibilem collegerat. Sed dubitare licet an vera qui hanc opinionem habent, prætendant. Cicero præterea nullo alio in loco de hoc viro agit, nec satis appareret, cur ita magnifice de illo ibi mentionem habeat. Septies autem millies in ærario deposuerat Cæsar, quam pecuniam omnem exhausit Antonius, ut narratur Phil. I, 7, et II, 37. Pars autem tantummodo quædam Pompeii filio erat restituenda. Totam autem Cicero nominat, quia ab Antonio fuerat dissipata. Quidam tamen credunt senatum Pompeio spopondisse septies millies : quæ autem pecunia, quum immensa esset, non a senatu juveni dari potuisse videtur, tempore eo, quo ærarium erat necessario exhaustum.

4. *Auguratus locum*. Tunc populus romanus augures eligebat : duo ex collegio augurum cives eum proponebant populo quem hac dignitate ornari æquum censebant. Plebs autem raro contra collegii optionem decernebat. Ita Cicero augur ab Hortensio et Pompeio fuerat electus.

interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus romanus libentius sanciet, Pompeium, an Antonium? Mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluisse, ut, actis[5] Cæsaris firmis ac ratis, Cn. Pompeii filius posset et dignitatem, et fortunas patrias recuperare.

VI. Ac ne illud quidem silentio, patres conscripti, prætereundum puto, quod clarissimi viri legati, L. Paullus[1], Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in rempublicam, eamque perpetuam atque constantem, nuntiant, se Pompeii conveniendi causa devertisse Massiliam, eumque cognovisse paratissimo animo, ut cum suis copiis iret ad Mutinam[2], ni vereretur veteranorum animos offendere. Est vero ejus patris filius[3], qui sapienter faciebat non minus multa, quam fortiter. Itaque intelligitis et animum ei præsto fuisse, nec consilium defuisse. Atque etiam hoc M. Lepido providendum est, ne quid arrogantius[4], quam ejus mores ferunt, facere videatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit, illum exercitum, senatus populique romani atque universæ rei-

5. *Actis Cæsaris.* Cæsar bona Pompeii vendenda curaverat; sed omnis quæ inde coacta fuerat pecunia in templo Opis fuerat seposita. Senatus decreverat bona Pompeii esse a filio redimenda cum ea pecunia quam ei ex ærario haurire liceret. Nam septies millies quæ ad Opis fuerant assumpserat sibi Antonius.

VI. 1. *L. Paullus.* Ille et alii duo, de quibus hic mentio facta est, legati a senatu fuerant missi; quem autem ad virum ignoramus. Namque vox devertisse Massiliam, indicat eos non ad Pompeium missos fuisse, quum testatur ab itinere suo eos cessisse, ut eum inviserent.

2. *Ad Mutinam.* Obsidione scilicet liberandam. Sed verendum erat ne veterani, Pompeii filium copiis instructum quum cernerent, bellum civile rursus conflagraturum putarent, nec libenter cum eo ad liberandum D. Brutum se accingerent.

3. *Est vero ejus patris filius, qui s. faciebat,* etc. A patre animi constantiam ac fortitudinem accepit, seque vere Pompeio Magno tali agendi ratione natum demonstrat.

4. *Quid arrogantius.* Namque quum pacem nobis suadet, non illam nobis imponere debet, neque de exercitu mentionem habere, quasi copiis nos suis terrere aggrederetur.

publicæ esse, non suum. At uti potest pro suo[5]. Quid tum[6]? omniane viris bonis, quæ facere possunt, facienda sunt? etiamne, si turpia, si perniciosa erunt? si facere omnino non licebit? quid autem turpius, aut fœdius, aut quod minus deceat, quam contra senatum, contra cives, contra patriam exercitum ducere? Quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? Licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: si quidem licere dicimus, quod legibus, quod more majorum institutisque conceditur. Neque enim, quod quisque potest, id ei licet; nec, si non obstatur, propterea etiam permittitur. Tibi enim exercitum, Lepide, tamquam majoribus tuis, patria pro se dedit. Hoc tu arcebis hostem, fines imperii propagabis; senatui populoque romano parebis, si quam ad aliam rem te forte traduxerit.

VII. Hæc si cogitas, es, M. Lepide[1], pontifex maximus, M. Lepidi, pontificis maximi[2], pronepos. Sin hominibus tantum licere judicas, quantum possunt: vide, ne alienis exemplis[3], iisque recentibus, uti, quam et antiquis, et domesticis, malle videare. Quod si auctoritatem interponis sine armis, magis equidem laudo; sed vide, ne hoc ipsum non sit necesse. Quamquam enim est tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo; tamen senatus se ipse non

5. *Uti potest pro suo.* Verbis illis eos confutat, qui Lepidum verebantur, quoniam multos habebat sibique devotissimos milites, quique jactitabant, eum, nisi senatus consiliis ipsius morem gereret, copiis suis ad rempublicam opprimendam uti posse, quia non eam liberare senatores voluissent.

6. *Quid tum?* Ernest. *quid.* J.V. L.

VII. 1. *M. Lepide.* Quidam locum male scriptum esse contendunt, quia non opus est vocativo, et sic reponunt: « es M. Lepidus; » MSS autem nos paruimus, et *M. Lepide* retinuimus.

2. *Pontificis maximi.* Abavus fuerat M. Lepidi, et inter Lepidorum gentem, honoribus quibus ornatus est, et magistratibus quos gessit præcipuus. Sæpe de illo Livius et alii complures.

3. *Alienis exemplis.* C. J. Cæsaris scilicet, qui, quum res armis componere esset aggressus, tantum sibi licere

contemnit[4], nec vero fuit umquam gravior, constantior, fortior. Incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam : non potest ullius auctoritate tantus senatus populique romani ardor exstingui; odimus; irati pugnamus[5]; extorqueri de manibus arma non possunt; receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus : speramus optima[6]; pati vel difficillima malumus, quam servire. Cæsar confecit invictum exercitum; duo fortissimi consules adsunt cum copiis; L. Planci, consulis designati, varia et magna auxilia non desunt; de D. Bruti salute certatur. Unus furiosus gladiator cum teterrimorum latronum manu, contra patriam, contra deos penates, contra aras et focos, contra quatuor consules[7] gerit bellum. Huic cedamus? hujus conditiones audiamus? cum hoc pacem fieri posse credamus?

VIII. At periculum est, ne ab hoc[1] opprimamur. Non metuo, ne is, qui suis amplissimis fortunis, nisi nobis salvis, frui non potest[2], prodat salutem suam.

quantum poterat arbitratus est, et ita bellum civile conflavit.

4. *Se ipse non contemnit.* Faernus legendum putabat propter numerum, « ipse se non contemnit », quod in libro Antonii Augustini occurrit. Quamvis autem hunc ordinem verborum illorum adserant Barb. ambo, qui penitus pronomen omittunt, propter ejusdem syllabæ iterationem, nos vulgatam, quæ potior est habenda, sequuti sumus.

5. *Irati pugnamus.* Ad id audaciæ processere Antonii, omnesque partium illorum fautores, ut bellum, non uti cum hostibus, cum iis geratur, sed contra summo cum odio ac iracundia adversus eos decertetur.

6. *Speramus optima.* Si enim sceleratorum civium nefanda consilia represserimus, optima quæque nobis aderunt; victrice republica, libertas iterum suis erit fundamentis constituta.

7. *Quatuor consules.* Pansam et Hirtium scilicet, qui tunc magistratum gerebant, et Brutum ac Plancum qui in annum sequentem consules erant designati.

VIII. 1. *Ab hoc opprimamur.* A Lepido scilicet, qui copias suas cum Antonii potest copiis conjungere. Garatonius autem censebat delendum *ab hoc*. Quod Ferrarii MSS est omissum, quia sit vocem illam neque de Lepido neque de Antonio potuisse dici.

2. *Nisi nobis salvis, frui non potest, prodat salutem suam.* Incipit hic orator, quæ futura forsan sit Lepidi voluntas ostendere : simul, quasi obiter,

Bonos cives primum natura efficit, adjuvat deinde fortuna. Omnibus enim bonis expedit, salvam esse rempublicam; sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet. Quis fortunatior Lepido, ut ante dixi? Quis eodem sanior? Vidit ejus mœstitiam atque lacrymas populus romanus Lupercalibus[3]; vidit, quam abjectus, quam confectus esset, quum Cæsari diadema imponens Antonius, servum se illius, quam collegam, esse malebat. Qui si reliquis flagitiis et sceleribus se abstinere potuisset, tamen, unum ob hoc factum, dignum illum omni pœna putarem. Nam, si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat? et, si ejus pueritia pertulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni, etiamne in nostros liberos dominum et tyrannum comparabat? Itaque illo interfecto, qualem eum in nos[4] esse voluit, talis ipse in ceteros exstitit. Qua enim in barbaria quisquam tam teter, tam crudelis tyrannus, quam in hac urbe armis barbarorum stipatus Antonius? Cæsare dominante veniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto. Hoc archipirata (quid enim dicam tyranno?) hæc subsellia ab Ithyreis[5]

virum illum amittendorum bonorum metu terrere videtur. Nam dum ei amplissimas quas Romæ possidet opes, ante oculos ponit, innuit simul, ea esse amissurum si quid contra rempublicam moliatur. Atque hæc mire quidem videntur ex illis præceptis manare ac diffluere, quæ de augendi ratione, in partit. orat. tradit, quæque in iis quæ præcipua sunt, enumerat: « Proprius, inquit, locus augendi in rebus est, aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil enim est tam miserabile quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si bona ex fortuna quis cadat, et a quorum caritate divellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breviter ».

3. *Lupercalibus*. De hoc Antonii flagitio secunda tertiaque Philippica passim conqueritur.

4. *Eum in nos*. Omnia ea egit, quæ Cæsari certe suasisset contra nos esse tentanda. Longius forsan ibi Cicero progreditur, nam nullo modo verisimile est Cæsarem ea fuisse admissurum quæ Antonius in rempublicam est molitus.

5. *Ithyreis*. Barbaros illos milites ex Ithyra, urbe Tauri montis, arcessiverat Antonius. Omnia ibi complectitur orator, quæ contra rempublicam egit Antonius, quæque in orationibus, quæ antecedunt, fusius narrantur.

occupabantur. Prorupit subito Brundisium, ut inde, agmine quadrato, ad urbem accederet; lautissimum oppidum, nunc municipium [6], honestissimorum quondam colonorum, Suessam, fortissimorum militum sanguine implevit; Brundisii, in sinu, non modo avarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris, delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit. Inde se quo furore, quo ardore, ad urbem, id est, ad cædem optimi cujusque, rapiebat! Quo tempore dii immortales ipsi præsidium improvisum nec opinantibus nobis obtulerunt.

IX. Cæsaris enim [1] incredibilis ac divina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit: quem tum ille demens lædere se putabat edictis, ignorans, quæcumque falso diceret [2] in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiæ [3] suæ. Ingressus urbem est, quo comitatu, vel potius agmine! quum dextrá, sinistra, gemente populo romano, minaretur dominis, notaret domos [4], divisurum se urbem palam suis polliceretur. Rediit ad milites; ibi pestifera illa Tiburi [5] concio. Inde ad urbem cursus; senatus in Capitolium; parata de circumscribendo [6] adolescente sententia consularis: quum repente (nam Martiam legionem Albæ consedisse sciebat) affertur ei

6. *Municipium*. P. Manutius legendum putat *municipum*, quod cum ceteris hujus loci verbis melius congruere videtur.

IX. 1. *Cæsaris enim*, etc. Octaviani scilicet.

2. *Diceret*. Al. edd. exhibent *is diceret*. J. V. L.

3. *Pueritiæ suæ*. In Cæsarem maledicta congessit deprompta ex recordatione impudicitiæ ac stuprorum suorum.

4. *Notaret domos*. Ædes enim omnium quos oderat, oculis quasi designabat, eas suis brevi dono daturus. Præterea jactitaverat sese commilitonibus suis urbem brevi totam divisurum, sicuti de agris fecerat, quos sicariis tamquam donum irrogarat.

5. *Tiburi*. Quidam *Tibure*; nescio quo pacto Muretus contra *Tiburi* invehatur, quum ipse, Philipp. V, 16, antiquam hanc ablativi casus formam agnoverit.

6. *Circumscribendo*. Quia edictis suis C. Cæsaris opes rescindere tentaverat, et cupiebat eum hostem patriæ a senatu declarari.

de quarta nuntius. Quo perculsus, abjecit consilium referendi ad senatum de Cæsare. Egressus est non viis, sed tramitibus, paludatus; eoque die ipso innumerabilia senatusconsulta fecit, quæ quidem omnia citius delata[7], quam scripta sunt[8]. Ex eo non iter, sed cursus et fuga in Galliam. Cæsarem sequi arbitrabatur cum legione Martia, cum quarta, cum veteranis; quorum ille nomen præ metu[9] ferre non poterat : eique in Galliam penetranti, D. se Brutus objecit; qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit[10], Mutinamque illi exsultanti, tamquam frenos furoris injecit. Quam quum operibus munitionibusque sepsisset, nec eum florentissimæ coloniæ dignitas, neque consulis designati majestas a parricidio deterreret : tum, me (testor et vos, et populum romanum, et omnes deos, qui huic urbi præsident) invito et repugnante[11], legati missi tres consulares ad latronem M. Antonium, gladiatorum ducem. Quis tam barbarus umquam? tam immanis? tam ferus? Non audivit; non respondit; neque eos solum præsentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, sprevit[12], et pro nihilo putavit. Postea, quod scelus,

7. *Delata*. Al. *lecta*. Forte etiam legendum *lata*, ut Phil. V, 3. J. V. L.

8. *Scripta sunt*. Senatusconsulta scribi solebant in senatu, ut supra diximus, quum hæc Cicero narraret, et inde ad ærarium deferebantur. Antonius autem, quum abire properaret, ita celeriter ea ad ærarium detulit, ut citius delata quam scripta viderentur.

9. *Præ metu*. Quia fortes noverat, Cæsarique Octaviano, propter illud Cæsaris nomen deditissimos, itaque propere, antequam assequi possent, profugit.

10. *Progredi maluit*. Sic undecima Philippica : « a progressu arcuit, a reditu refrenavit : obsideri se passus, ex utraque parte constrinxit Antonium ».

11. *Repugnante*. Nota sunt quæ contra legationem ad Antonium mittendam egit Cicero; qui ea et belli studium exstingui, et bellum tantummodo differri profiteretur. Itaque hoc in loco, quem nunc tractamus, omnia ea revocat quæ superius egit; nihilque fere quod non ante dixerit, profert.

12. *Sprevit*. Namque ipsis legatis intuentibus, Mutinæ muris machinas applicari jussit, obsidionemque mo-

quod facinus parricida non edidit? Circumsedit colonos vestros, exercitum populi romani, imperatorem, consulem designatum; agros divexat civium optimorum; hostis teterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur.

X. Cum hoc, M. Lepide, pax esse quæ potest? cujus ne supplicio quidem ullo satiari videtur posse populus romanus.

Quod si quis adhuc dubitare potuit, quin nulla societas huic ordini populoque romano cum illa importunissima bellua possit esse; desinet profecto dubitare, his cognitis literis, quas mihi missas ab Hirtio consule modo accepi. Eas dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim [1], patres conscripti, ut adhuc fecistis, me attente audiatis.

Antonius Hirtio et Cæsari. Neque se imperatorem, neque Hirtium consulem, nec pro prætore Cæsarem. Satis hoc quidem scite. Deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere [2]. « Cognita morte C. Trebonii, non plus gavisus sum, quam dolui. » Videte, quid se gavisum, quid doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis. « Dedisse pœnas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri [3], et apparuisse nu-

dis omnibus acrius urgeri. Deinde ea senatui renuntiavit, quibus vere eos illudere videretur, quum ea posceret, quæ nulla ratione ei concedi possent, quin corrueret respublica, bellumque rursus civile exarderet.

X. 1. *Velim.* Hanc vocem Faernus edidit, quem sequuti sumus, quamvis unde eam sumpserit non indicet. Omnes præterea libri post eum editi sic habent. Quidam conjiciebant, post *disputo*, verbum *peto* esse reponendum, quia forsan exciderat librariorum incuria ob similitudinem soni: nemo fere in hanc ivit sententiam.

2. *Reddere.* Namque si imperatorem se dixisset, necesse fuisset aliis nominibus dignitatum quoque adscribere titulos. Quum vero Antonius quidquid fecerat senatus, non recte factum judicaret, maluit, privatus tamquam, privatos appellare; itaque a literarum principio verba tantum illa usurpavit: « Antonius A. Hirtio et Cæsari ». Qua in re viri insolentiam ac contumaciam detestatur Cicero.

3. *Clarissimi viri.* C. Cæsaris, de quo occidendo consilium inierat, sed

men deorum intra finem anni vertentis[4], aut jam soluto supplicio parricidii[5], aut impendente[6], lætandum est. » O Spartace! quem enim te potius appellem? cujus propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina : lætandum esse, ausus es scribere, Trebonium dedisse pœnas? Sceleratum Trebonium? quo scelere, nisi quod te idibus martiis a debita tibi peste seduxit[7]?

Age, hoc lætaris : videamus, quid moleste feras. « Hostem judicatum hoc tempore Dolabellam, eo, quod sicarium occiderit, et videri cariorem populo romano filium scurræ, quam C. Cæsarem, patriæ parentem, ingemiscendum est. » Quid ingemiscis hostem Dolabellam judicatum? Quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, consulibus missis, Cæsare ornato, sagis denique sumptis, hostem judicatum? Quid est autem, scelerate, quod gemas, hostem Dolabellam judicatum a senatu, quem tu ordinem omnino esse nullum putas[8]? Sed eam tibi causam belli gerendi proponis, ut senatum funditus deleas, reliqui boni

cui violentas non injecit manus, ut infra videbimus.

4. *Anni vertentis*. Hic P. Manutius proclamat annum vertentem decem apud Romanos mensium esse : sed non erat ibi huic adnotationi locus; namque annus vertens hoc in loco dicitur tamquam annus labens; quasi scriptum esset, antequam annus, quo scelus fuit patratum, absolveretur. Præterea, quo tempore scribebat Antonius, Juliana emendatio annum decem mensium sustulerat.

5. *Parricidii*. MSS exhibent, *parricidæ*. J. V. L.

6. *Impendente*. Quia si ipse de senatu victoriam referret, ceteri omnes Cæsaris interfectores pœnas essent daturi.

7. *Seduxit*. Inter se conjurati de Antonio non occidendo una cum Cæsare consenserant; Trebonius autem idibus martiis, id est, quo die Cæsar fuit occisus, Antonium seduxit, quasi aliquid quod non palam posset dicere haberet, et ita morti eripuit. De hoc autem facto, sic ad hunc ipsum Trebonium Cicero scribebat : « Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit, hæc petis; interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor ».

8. *Nullum putas?* Verbis tamen illis ostendebat Antonius, se non ita parvi facere quæ senatus decerneret, quamvis adniteretur, quidquid statuerat, abolere.

et locupletes omnes summum ordinem subsequantur. At scurræ filium appellat. Quasi vero ignotns nobis fuerit splendidus eques romanus, Trebonii pater. Is autem humilitatem despicere audet cujusquam, qui ex Fadia[9] sustulerit liberos?

XI. « Acerbissimum vero est, te, A. Hirti, ornatum [esse] beneficiis Cæsaris, et talem ab eo relictum, qualem ipse miraris. » Equidem negare non possum, a Cæsare Hirtium ornatum; sed illa ornamenta, in virtute et industria posita, lucent[1]. Tu vero, qui te ab eodem Cæsare ornatum negare non potes, quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus? In lustris, popinis, alea, vino, tempus ætatis omne consumpsisses, ut faciebas, quum in gremiis mimarum mentum mentemque[2] deponeres. « Et te, o puer! » Puerum appellat, quem non modo virum[3], sed etiam fortissimum virum sensit, et sentiet. Est istuc quidem nomen ætatis, sed ab eo minime usurpandum, qui suam amentiam puero huic præbet ad gloriam. « Qui omnia ejus nomini debes. » Debet vero, solvitque præclare. Si enim ille patriæ parens est, ut tu appellas (ego, quid sentiam, videro); cur non hic parens verior, a

9. *Ex Fadia*. Hanc libertini hominis filiam uxorem Antonius duxerat. De hac fusius variis Philippicæ tertiæ locis mentio facta est. — MSS, *ex eadem*, vel *ex ea die*. J. V. L.

XI. 1. *Lucent*. Hoc est, si Cæsar A. Hirtium dignitatibus ornavit, non honores illos virtuti tribuere non potuit. Nec ibi favor ullus aut ullum studium erga aliquem apparet, quum qui beneficiis ornatur, ita industria ac dotibus suis clarus est, ut munera non tam accipere quam mereri videatur.

2. *Mentum mentemque*. In verbis ludit orator, et præclare quidem : sic autem dispositæ voces illæ melius mihi placent, quam quod occurrit in Regiis codicibus, *mentem mentumque deponeres*. Aliquid in sententia, sicuti scripsimus, acutius inest.

3. *Non modo virum*. Modus est amplificandi : ita pro Domo sua : « Quem ejectum esse universus senatus, non modo civem, sed egregium civem semper judicavit ». Et de lege Agraria : « Totus ager campanus colitur, et possidetur a plebe, et a plebe optima et modestissima ».

quo certe vitam habemus, e tuis facinorosissimis manibus ereptam? « Id agere, ut jure damnatus sit Dolabella? » Turpem vero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam! « Et ut venefica hæc[4] liberetur obsidione? » Veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior[5] imperator fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare. Recesseris : undique omnes insequentur. Manseris : hærebis[6]. Nimirum recte veneficam appellas, a quo tibi præsentem pestem vides comparatam. « Ut quam potentissimus sit Cassius atque Brutus? » Putes Censorinum dicere[7], aut Ventidium, aut etiam ipsos Antonios. Cur autem nolint potentes esse, non modo optimos et nobilissimos viros, sed secum etiam in reipublicæ defensione conjunctos? « Nimirum eodem modo hæc adspicitis, ut priora[8]. » Quæ[9] tandem? « Castra Pompeii[10] senatum appellatis. »

XII. An vero tua castra potius senatum appellaremus? in quibus tu videlicet consularis, cujus totus

4. *Et ut venefica hæc liberetur obsidione?* Verba illa ad Decimum Brutum pertinent, non vero satis liquet, quonam modo de hoc viro ab Antonio ita dici potuerint.

5. *Si quis acutior.* Per irrisionem, namque adeo bellicæ artis ignarum Antonium demonstrat, ut ipse per se brevi sit dejiciendus. Etenim ita egit, ut in laqueos quasi inciderit, nec habeat unde auxilium accipere, aut qua se periculis eripere valeat.

6. *Hærebis.* Non poteris, te impendenti fato subtrahere : et hærebis donec in te irruant, qui Mutinam obsidione liberare sunt aggressi.

7. *Censorinum dicere.* Adeo summa cum injuria de summis illis viris agit, ut videatur, non de Bruto, sed de Ventidio, viro perditissimo, mentionem facere.

8. *Ut priora.* Quum ea non satis aperta sint, voces illas *quæ tandem* orator subjicit quasi diceret : « Quidnam in mente habes? »

9. *Quæ.* Ferrarius conjic. *qui.* Non probat Grævius. J. V. L.

10. *Castra Pompeii.* Appellatis senatum castra illa ubi coiere omnes, qui Pompeii mortem ulcisci cupiunt; simul his verbis alludit ad senatus, in bello civili, agendi rationem, quum patrum plerique in Pompeii castra profugissent.

consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus; duo prætores[1] sine causa diffisi, se[2] aliquid habituros : nos enim Cæsaris beneficia defendimus; prætorii, Philadelphus Annius, et innocens[3] Gallius; ædilitii, corycus laterum et vocis meæ Bestia[4], et fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius[5]; et homo diruptus dirutusque, Q. Cœlius, columenque amicorum Antonii, Cotyla Varius; quos Antonius deliciarum causa loris in convivio cædi jubebat a servis publicis; septemvirales, Lento, Nucula; tum deliciæ atque amores populi romani L. Antonius; tribuni primum duo designati, Tullus Hostilius, qui suo jure in[6] porta nomen inscripsit; qui quum prodere imperatorem suum[7] non posset, reliquit. Alter est designatus, Viseius nescio qui, fortis (ut aiunt) latro; quem tamen temperantem[8] fuisse ferunt Pisauri balneatorem. Sequuntur alii, tribunitii, T. Plancus[9] in primis; qui si

XII. 1. *Duo prætores*. Censorinus et Ventidius, quos paullo ante nominavit, ut qui ceteros omnes Antonii amicos dignitate anteirent.

2. *Se aliquid*. Ex beneficiis Cæsaris scilicet.

3. *Innocens Gallius*. Immo vero nocentissimus.

4. *Bestia*. Multi hoc in loco hæsere commentatores, nos scripturam meliorem sequuti sumus. Corycus saccus est arena plenus cum quo sese athletæ exercere solebant; itaque Cicero Bestiam corycum laterum suorum appellat, quia sæpissime eum defenderat. Quo melius autem varias opiniones discutias, vide Excursum I.

5. *Trebellius*. De Trebellio jam superius dictum, qui, quum oppugnasset legem, quam de ære alieno abolendo Dolabella ferebat, creditores suos ipse postea fraudavit. Itaque de eo Philippic. sext. sic ait : « O fides ! Hoc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen. Quæ potest esse major fides, quam fraudare creditores, domo profugere, propter æs alienum ire ad arma ».

6. *In porta*. Quæ Hostilia dicebatur; itaque videbatur jure quodam huic monumento suum nomen adscripsisse.

7. *Imperatorem suum*. Cæsarem adolescentem, aut D. Brutum.

8. *Temperantem*. Ludit in ambigua voce orator. Nam balneatores aquam temperant, ne nimis calida offendat : balneator autem fuerat Viseius, atqui quum hæc subjicit orator, sordes ac genus vitæ inhonestum objicit, quum primo aspectu temperantem, id est, vitæ integrum ac purum dicere velle videatur.

9. *T. Plancus*. Tribunus plebis fue-

senatum dilexisset, numquam curiam incendisset. Quo scelere damnatus, in eam urbem rediit armis, e qua excesserat legibus. Sed hoc ei commune cum plurimis dissimillimis. Illud tamen verum[10], quod in hoc Planco proverbii loco dici solet: perire eum non posse, nisi ei crura[11] fracta essent. Fracta sunt, et vivit. Hoc tamen, ut alia multa, Aquilæ[12] fertur acceptum.

XIII. Est etiam ibi Decius, ab illis, ut opinor, Muribus Deciis[1]. Itaque Cæsaris munere[2], Deciorum quidem, multo intervallo, per hunc præclarum virum memoria renovata est. Saxam vero Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex ultimis[3] gentibus, ut eum tribunum plebis videremus, quem civem numquam videramus? Est quidem alter Saserna[4]: sed omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, ut in eorum prænominibus errem. Nec vero Exitius, Philadelphi frater, quæstor, prætermittendus est, ne, si de clarissimo adolescente siluero, invidisse videar Antonio. Est etiam Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Cæ-

rat, hoc anno quo Clodius a Milone fuit occisus. Auctor autem fuit corporis Clodii in curia cremandi: notum est postea quonammodo flammæ, vento asperiore excitatæ, ipsam curiam corripuerint, ac penitus fere consumpserint. Plancum tamen de hoc crimine lege Pompeia damnatum et exsulantem Cæsar restituit.

10. *Verum*. Ernest. conjicit *proprium*. J. V. L.

11. *Nisi ei crura*. Hoc de iis dicebatur, qui crucis supplicio plectebantur; namque quum diutius viverent, brachia cruraque frangebantur, uti tandem vita excederent.

12. *Aquilæ*. Qui eum crure fracto Polentia expulit.

XIII. 1. *Muribus Deciis*. Mus Deciæ gentis cognomen fuit: eum autem de quo hic agitur Cæsar exsulem revocaverat.

2. *Itaque Cæsaris munere*, etc. Cod. Steph. *Itaque Cæs. munera rosit. D.* J.V. L.

3. *Ex ultimis gentibus*. Ex ultima Celtiberia. Sic de illo undecima Philippica verba facit: « Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis ».

4. *Est quidem alter Saserna*. Duo fratres hoc nomine forsan dicebantur, ut saltem ex hoc Ciceronis loco licet conjicere.

saris mortem; mutavit calceos[5]; pater conscriptus repente factus est. Non novi Sext. Albedium : sed tamen neminem tam maledicum offendi[6], qui illum negaret dignum Antonii senatu. Arbitror me aliquos præteriisse : de iis tamen, qui occurrebant, tacere non potui. Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit; in quo decem fuimus consulares : qui si omnes viverent, bellum omnino hoc non fuisset; auctoritati cessisset audacia. Sed quantum præsidii fuerit in ceteris[7], hinc intelligi potest, quod ego unus relictus e multis, contudi et fregi, adjuvantibus vobis, exsultantis prædonis audaciam.

XIV. Quod si fortuna nobis modo non eripuisset Ser. Sulpicium[1], ejusque collegam ante, M. Marcellum : quos cives? quos viros? si duos consules[2], amicissimos patriæ, simul ex Italia ejectos; si L. Afranium, summum ducem; si P. Lentulum, civem quum in ceteris rebus, tum in salute mea singularem; si Bibulum, cujus est in rempublicam merito semper laudata constantia; si L. Domitium, præstantissimum civem; si

5. *Mutavit calceos.* Senatorum enim calcei non erant, sicuti qui a plebe gerebantur. Cavi erant, nigrasque corrigias ex nigra aluta habebant, quæ inter se implexæ usque ad suras adscendebant; dum contra plebis calceamenta pedem tantummodo tegebant.

6. *Tam maledicum offendi.* Quem laudare videtur gravissime vituperat. Namque eum virum esse Albedium testatur, quem nemo umquam negare ausus sit dignum Antoniorum senatu esse. Qui autem fuerit ille senatus ex iis, quæ hoc in capite proferuntur, colligere licet.

7. *Sed quantum præsidii fuerit in ceteris.* Consularibus scilicet, qui mecum in Pompeiano senatu erant adscripti; quorum de numero, ut infra videbimus, secum ipse pugnat orator.

XIV. 1. *Ser. Sulpicium.* Eum, quum in castris Pompeii non fuerit, mirum videtur hoc in loco nominari. Sed eum Cicero dicit, quia semper vehementissime obstiterat Antonio. Pro eo nonam Philippicam scripsit Cicero. Omnium autem, qui hoc in capite consulares nominantur, numerum si recenses, deprehendes fuisse non decem solummodo, sed et undecim, excepto etiam hoc Serv. Sulpicio.

2. *Si duos consules, amicissimos patriæ,* etc. C. Marcellum et L. Lentulum, qui Pompeium sequuti fuerant, Urbem primum, deinde Italiam relinquentem.

Appium Claudium, pari nobilitate et voluntate præditum; si P. Scipionem[3], clarissimum virum, majorumque suorum simillimum, respublica tenere potuisset: certe, his consularibus, non esset Pompeianus despiciendus senatus. Utrum igitur æquius, utrum melius reipublicæ fuit, Cn. Pompeium, an sectorem Cn. Pompeii[4] vivere Antonium? Qui vero prætorii? quorum princeps M. Cato, idemque omnium gentium virtute princeps. Quid reliquos clarissimos viros commemorem? Nostis omnes. Magis vereor, ne longum me in enumerando, quam ne ingratum in prætereundo putetis. Qui ædilitii? qui tribunitii? qui quæstorii? Quid multa? talis senatorum et dignitas, et multitudo fuit, ut magna excusatione[5] opus iis sit, qui illa in castra non venerunt.

XV. Nunc reliqua attendite. « Victum Ciceronem ducem habuistis. » Eo libentius ducem audio, quod certe ille dicit invitus : nam de victo nihil laboro. Fatum enim meum est, sine republica nec vinci posse, nec vincere. « Macedoniam munitis exercitibus. » Et quidem fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat, extorsimus. « Africam commisistis Varo bis capto[1]. » Hic cum C. fratre putat se litigare[2]. « In Syriam Cassium

3. *P. Scipionem*. Quorum virorum nomini nihil adscripsimus, quia notiores sunt historia, quam ut necesse sit, ab omnibus cognita iterare.

4. *Sectorem Cn. Pompeii*. Quum bona Pompeii, jubente Cæsare, venderentur, ea emit Antonius, et brevi omnino flagitiis ac luxuria sua exhausit.

5. *Excusatione*. Verbis illis indicat, quantum distent ab Antonii turpissimo senatu, Pompeii castra, quæ ita honesta erant et gloriosa, ut excusatione iis opus esset, qui in ea non venerant, dum qui se ad Antonium contulerant, nullo modo amissam ac coinquinatam hujus viri commercio ac societate dignitatem recuperare possent.

XV. 1. *Varo bis capto*. Sext. Quintilio Varo quem primum Cæsar Corfinii devicit: quumque Varo non Africa decessisset, eum iterum dux ille, eadem fortuna usus, in eo bello, quod Pompeii socer Scipio sustulerat, profligavit.

2. *Se litigare*. Ita nobiscum agit, et insolentissimis verbis utitur, ut videa-

misistis.» Non igitur sentis, huic causæ orbem terræ patere[3]; te, extra munitiones tuas, vestigium ubi imprimas, non habere? « Cascam[4] tribunatum gerere passi estis.» Quid ergo? ut Marullum[5], ut Cæsetium, a republica removeremus[6] eum, per quem, ut neque idem hoc[7] posthac, neque multa hujusmodi accidere possent, consequuti sumus? « Vectigalia Juliana Lupercis[8] ademistis.» Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est, obrutus vino, unguentis oblitus, nudus, gementem populum romanum ad servitutem cohortari? « Veteranorum colonias, deductas lege et senatusconsulto, sustulistis.» Nos sustulimus, an contra lege comitiis centuriatis lata[9] sanximus? Vide ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi[10], perdideris, in eumque locum deduxeris, ex quo ipsi jam sentiunt se numquam exituros[11]. « Massiliensibus jure belli

tur non cum senatoribus, viris præstantissimis, sed cum fratre Caio, perditissimo homine, rem disceptare.

3. *Patere.* Al. *parere.* J. V. L.

4. *Cascam tribunatum*, etc. Servilium scilicet Cascam, unum e Cæsaris percussoribus.

5. *Marullum, ut Cæsetium.* Quidam MSS, *M. Arullum.* Erat quoque *Cæs. etiam*, unde olim male fecerant, *Cæsarem etiam.* J. V. L.

6. *Removeremus.* Marullus Cæsetiusque tribuni plebis erant; quum autem e populi fæce nescio quis, Cæsaris statuæ, lauream coronam candida fascia alligatam imposuisset, illi comprehensum in vincula conjecerunt, candidamque fasciam ipsi divulsere. Eos autem ob id factum Urbe Cæsar ejecit.

7. *Idem hoc.* Ne hoc accidere posset rursus, quod tribunis Marullo et Cæsetio evenerat.—*Consequuti sumus.* Morte Cæsaris, quem cum ceteris percussoribus Casca occidit.

8. *Lupercis.* Non satis constat utrum vectigalia illa Lupercis omnibus, an quibusdam tantummodo fuerint a Cæsare decreta; nec multum ad rem refert quidnam sit introspicere.

9. *Lege comitiis centuriatis lata.* A Pansa consule, ut omnia Cæsaris acta, nec coloniæ tantum ab eo deductæ, rata essent.

10. *Qui erant perditi.* Quia te ducem sunt sequuti.

11. *Numquam exituros.* Quidam censent his verbis Mutinam designari, ex cujus obsidione numquam sunt discessuri, quia ab omni jam parte premuntur. Mihi autem videtur orator, non urbem hanc intelligere, sed errorem significare, in quem adducti veterani omnino sese pessumdedere.

adempta[12] reddituros vos, pollicemini. » Nihil disputo de jure belli. Magis facilis disputatio [13] est, quam necessaria. Illud tamen advertite, patres conscripti, quam sit huic reipublicæ natus hostis Antonius, qui tantopere eam civitatem oderit, quam scit huic reipublicæ semper fuisse amicissimam.

XVI. « Neminem[1] Pompeianum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates? » Quisquam jam legis Hirtiæ mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipsum, quam eos, de quibus lata est, pœnitere. Omnino, mea quidem sententia, legem illam appellare fas non est; et, ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem[2] putare. « Apuleiana pecunia[3] Brutum subornastis. » Quid, si omnibus suis copiis excellentem virum respublica armasset? quem tandem bonum pœniteret? Nec enim sine pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset. « Securi percussos[4] Pætum[5] et Menedemum, civitate donatos, et hospites Cæsaris, laudastis. » Non laudavimus[6], quod ne audivimus quidem. Valde enim nobis in tanta per-

12. *Adempta*. Quum eos bello Cæsar devicit.

13. *Facilis disputatio*. Verba illa significant bellum injustum fuisse ; nam facile esset exposcere, quanam de causa, si bellum injustum fuit, adempta victis non restituerentur? Hanc autem sustulit disputationem orator, quia nullo modo ad res quæ tractabat erat utilis.

XVI. 1. *Neminem Pompeianum*, etc. Ursinus supplet e cod. suo, *An nescitis*, etc. J. V. L.

2. *Hirtii legem*. Sed potius Cæsaris lex illa dicenda est; nam ille A. Hirtium consulem ad illam ferendam coegit; neque quasi crimen huic est viro objicienda.

3. *Apuleiana pecunia*. Apuleius ille omni ope sua bellum contra Antonios suscipiendum probaverat, et adjuverat etiam : literisque ad senatum testatus fuerat M. Brutus eum auctorem fuisse exercitus comparandi.

4. *Securi percussos*. Quodnam ob crimen morte plecterentur ignoramus. Quidam censent eos jussu M. Bruti, qui tum in Græcia erat, percussos : et conjecturam illam ex hoc ducunt, quod paullo inferius Græculi nominantur. Sed nullum aliud opinionis hujus validius exstat argumentum.

5. *Pætum*. Al. edd. exhibent *Petrum*. J. V. L.

6. *Laudavimus*. Al. conj. *laudamus*. J. V. L.

turbatione reipublicæ de duobus nequissimis Græculis cogitandum fuit. « Theopompum, nudum, expulsum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexistis. » Magnum crimen senatus. De Theopompo, summo homine, neglexímus : qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat? « Ser. Galbam [7] eodem pugione [8] succinctum in castris videtis. » Nihil tibi de Galba respondeo, fortissimo et constantissimo cive : coram aderit; præsens tibi et ipse, et ille, quem insimulas, pugio respondebit. « Milites aut meos, aut veteranos contraxistis [9], tamquam ad exitium eorum, qui Cæsarem occiderant; et eosdem nec opinantes ad quæstoris [10] sui, aut imperatoris, aut commilitonum suorum pericula impulistis. » Scilicet verba dedimus, decepimus : ignorabat legio Martia, quarta; nec sciebant [11] veterani [12], quid ageretur. Non illi senatus auctoritatem, non libertatem populi romani sequebantur; Cæsaris mortem ulcisci volebant, quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur; te videlicet salvum, beatum, florentem esse cupiebant. O miser [13] quum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis!

7. *Ser. Galbam* Unus fuit ex iis qui Cæsarem percusserant; Suetonius ait eum de gente Sulpicia oriundum fuisse, ac proavum esse imperatoris Galbæ. Haud scio autem an illa veritati consentanea omnino sint.

8. *Eodem pugione.* Quocum Cæsarem mactavit.

9. *Contraxistis.* A. Hirtium et Cæsarem alloquitur : sed Cæsarem præcipue : ille enim nomine ipsius excitatos veteranorum plurimos sibi devinxerat, Antonioque quodammodo eripuerat; et non omnino certum est eum milites pecunia non corrupisse, ut partes senatus complecterentur.

10. *Quæstoris.* Fuerat Cæsaris quæstor Antonius. — *Imperatoris.* Dux enim eorum civili bello fuit, et in Pharsalica pugna sinistrum cornu habuit.

11. *Nec sciebant.* Al. *ignorabant.* J. V. L.

12. *Nec sciebant veterani.* Nesciebant scil. armari se contra tuos sceleratissimos conatus reipublicæ causa. Hæc autem omnia cum ironia potius quam cum interrogatione sunt dicenda.

13. *O miser.* Similiter in secunda est Philippica scriptum : « O miserum, sive illa tibi nota non sunt, nihil enim boni nosti, sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare ». Et in

XVII. Sed maximum crimen audite. « Denique quid non aut probavistis, aut fecistis? Quid faciat, si reviviscat? » Quis? credo enim, afferet aliquod scelerati hominis exemplum! « Cn. Pompeius ipse? » O nos turpes, si quidem Cn. Pompeium imitaturi sumus! « Aut filius ejus, si domi possit [1]? » Poterit, mihi crede. Nam paucis diebus et in domum, et in hortos paternos immigrabit. « Postremo negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento juvero. » Alii istuc negant; ego vero, ne si ista quidem feceris, umquam tecum pacem huic civitati futuram puto. « Quid? hoc placetne veteranis istis? quibus adhuc omnia integra [2] sunt. » Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuque offenderint. « Quoniam vos assentationibus et venenatis muneribus venistis [3]. » Depravati ac corrupti sunt [4], quibus persuasum est, fœdissimum hostem justissimo bello persequi? « At militibus inclusis opem fertis. Nihil moror eos salvos esse, et ire

eadem infra: « O miserum te si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi ».

XVII. 1. *Si domi possit*. Si urbem regredi possit, et patria bona recuperare. Hac autem eadem in Philippica vidimus, quibus conditionibus Romam repetiturus esset Pompeii filius: quod certe gravissime ferre Antonius debebat, quum vir ille in patria esset bona restitutus, quem patrimonio ipse spoliare fuerat aggressus.

2. *Omnia integra sunt*. Hæc ait: « Vultis me D. Brutum frumento adjuvare, sed scitisne an illa sint veteranis placitura, qui quamlibet partem amplecti possunt? Nusquam enim in aciem venimus, atque integrum quodammodo, id est, non inchoatum bellum est, ita ut illis aut meas aut vestras partes, si libuerit, sequi liceat ». Quæ autem omnia confutat Cicero; ostendit enim non omnia militibus esse sicuti jactat Antonius integra, quum eum summo studio ac consensu deseruerint. Hac enim agendi ratione comprobavere, se Antonium patriæ hostem agnoscere, et ab eo descivere. Et adeo gnaviter ab eo discessere, fugientemque sunt insequuti, ut nullo modo possint cum eo rursus in gratiam redire. Quum autem non omnes commentatores inter se de hoc loco, et aliquot quæ sequuntur verbis consentiant, vide Excursum II.

3. *Venistis*. Vendidistis vos senatui, qui fidem vestram, assentando vobis ac largiendo, mercatus est.

4. *Ac corrupti sunt*. Al. *an corr. s.* J. V. L.

quo jubetis, si tamen patiuntur perire eum, qui meruit. » Quam benigne! denique usi[5] liberalitate Antonii milites imperatorem reliquerunt, et se ad hostem metu perterriti contulerunt; per quos si non[6] stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, quam Antonius etiam collegæ parentasset[7]. « Concordiæ factam esse mentionem scribitis in senatu, et legatos esse consulares quinque. Difficile est credere, eos, qui me præcipitem egerint, æquissimas conditiones[8] ferentem, et tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare, aliquid moderate, aut humane esse facturos. Vix etiam verisimile est, qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere posse, idem sentientibus. » Parumne videtur omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? nonne cernitis, ex uno fonte[9] omnia scelera manare? Ipse denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam judicaverint ob rectissimum facinus, ita enim videtur Antonio, sibi parcere, idem sentienti.

XVIII. Quid huic facias, qui hæc literis memoriæque mandarit, ita sibi convenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, et, si posset, etiam Brutum, Cassium,

5. *Denique usi liberalitate Antonii*, etc. Ironice hæc, quæ properat verbis paullo infra additis confutare; namque fidissimi D. Brutum defenderunt milites.

6. *Non stetisset.* Ern. delevit *non*. J. V. L.

7. *Quam Antonius etiam collegæ parentasset.* Non Trebonium prius Dolabella occidisset, quam Brutum Antonius. Ille enim imperatori suo nece Trebonii litavit, et alter collegæ sui, id est, C. Cæsaris manes morte Brutorum placaturus est. Ostendit his verbis nullo modo pacem cum tali viro haberi posse, nec bellum exstingui, quin ille simul e medio tollatur, quum pæne victus alios sibi dedi ac tradi postulet.

8. *Æquissimas conditiones.* Quæ octava continentur Philippica, ibi quidem quam æquæ et moderatæ essent videre licuit.

9. *Uno fonte.* Jam illud protulit; nam quum Trebonii mortem defleret, ostendit, non ab uno Dolabella, sed et ab Antonio quoque facinus illud fuisse patratum.

discruciatos necaret, eademque inhiberet[1] supplicia nobis? Conservandus civis cum tam pio justoque fœdere. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas, æquas quidem et verecundas; ut haberet Galliam ultimam, aptissimam ad bellum renovandum instruendumque provinciam; ut Alaudæ in tertia decuria judicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis reipublicæ sordibus[2]; ut acta sua rata essent, cujus nullum remanet consulatus vestigium. Cavebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquissimus agri privati et publici decempedator, Nucula, et Lentone[3] collega.

« Quamobrem vos potius animadvertite, utrum sit elegantius, et partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Cæsaris, et utrum sit æquius, concurrere nos, quo facilius reviviscat Pompeianorum causa, toties jugulata, an consentire, ne ludibrio simus inimicis. » Si esset jugulata, numquam exsurgeret : quod tibi tuisque contingat! « Utrum, inquit, elegantius[4]. »

XVIII. 1. *Inhiberet.* Quidam reposuerunt *adhiberet*, quasi vox illa esset elegantior, meliusque cum loco congrueret. Mendose quidem. Est tamen aliquid, quod ad loci integritatem forsan desideratur: namque paullo obscura est sententia. Inter Antonium, inquit Cicero, et Dolabellam convenerat, ut Trebonium et in iisdem regionibus commorantes Brutum et Cassium Dolabella necaret, Antonius autem reliquos factionis suæ adversarios. Hoc procul dubio dicere Cicero in mente habuit. Vide Excurs. III ad calcem hujusce orationis.

2. *Reipublicæ sordibus.* Quidam, quos inter gallicus interpres, sic intelligunt locum illum : « cum summo reipublicæ dedecore; » quam quidem sententiam P. Manutius primus fuerat amplexus. Nos vero non adeo latino sermoni consentaneum esse arbitramur, *cum sordibus* usurpare, pro *cum dedecore;* forsanque sic explananda sententia est: Perfugium scil. omnibus sceleribus patere per Alaudas, qui sunt quasi turpissimæ sordes civitatis.

3. *Nucula, et Lentone.* Qui septemviri cum Antonio agros diviserant. Decempedator autem is est, qui agros metatur.

4. *Elegantius.* Vocem illam Antonius adhibuerat, pro *decentius honestiusve.* Quam quidem jure irridet Cicero, quia primum nimis mollis est, et deinde obscura videtur. Antonium tamen Victorius defendit, verbumque *elegantius* optime ibi appositum judicat : sed profecto numquam medio in senatu Cicero Antonium ob novum

Atqui hoc bello de elegantia quæritur. « Et partibus utilius. » Partes, furiose [5], dicuntur in foro, in curia. Bellum contra patriam nefarium suscepisti; oppugnas Mutinam; circumsedes consulem designatum; bellum contra te duo consules gerunt, cumque his pro prætore Cæsar; cuncta contra te Italia armata est : istas tu partes potius, quam a populo romano defectionem vocas? « Potius Trebonii mortem, an [6] Cæsaris persequamur? » Trebonii satis persequuti sumus, hoste judicato Dolabella; Cæsaris mors facillime defenditur oblivione [7] et silentio. Sed videte, quid moliatur. Quum mortem Cæsaris ulciscendam putat, mortem proponit non iis solum, qui illam rem gesserunt, sed iis etiam, si qui non moleste tulerunt.

XIX. « Quibus [1], utri nostrum ceciderint, lucro futurum est. Quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone [2], dimicantes : qui usque eo felix est, ut iisdem ornamentis deceperit vos, quibus deceptum Cæsarem gloriatus est. » Pergit in me maledicta, quasi vero ei pulcherrime priora processerint : quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. Ego lanista? et quidem

loquendi genus irrisisset, nisi ridicula fuisset sic expressa sententia.

5. *Furiose*, etc. Hæc vox de Antonio dicitur, quem Cicero ibi appellat. Ostendit hoc loco orator, non partes esse tunc in republica, uti aiebat Antonius, sed bellum vere nefarium, quod in foro curiaque inceptum, totam Italiam corripuerat.

6. *An Cæsaris*. Al. *quam*. J. V. L.

7. *Oblivione*. Satis est ad ulciscendum Cæsarem eos non laudari, qui tale facinus patravere : nihilque amplius ad manes ejus placandos quærendum est, si nos de ejus percussoribus conticescamus.

XIX. 1. *Quibus*. Hoc est, senatus, uter nostrum hoc in bello ceciderit, mortem ejus lucro apponet.

2. *Lanista Cicerone*. Lanistam appellat, quasi armis cives instrueret, ut inter se colluctarentur, sicuti magister ad pugnam gladiatores accingit. Acies autem unius corporis dicit, ut significet omnes eadem velle et eadem sentire, unumque corpus esse, sed Ciceronis argumentis decipi et in duas partes discedere.

non insipiens. Deteriores enim jugulari cupio, meliores vincere. Utri ceciderint, scribit lucro nobis futurum. O præclarum lucrum[3]! quo, te victore (quod dii omen avertant!), beata mors eorum futura sit, qui e vita excesserint sine tormentis. A me deceptos ait eisdem ornamentis Hirtium et Cæsarem. Quod, quæso, adhuc a me est tributum Hirtio ornamentum? Nam Cæsari plura et majora debentur. Deceptum autem patrem a me Cæsarem dicere audes? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus[4] : cujus, homo ingratissime, flaminium[5] cur reliquisti?

Sed jam videte magni et clari viri admirabilem gravitatem atque constantiam. « Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre; nec deserere partes, quas Pompeius odivit, nec veteranos sedibus suis[6] moveri pati, nec singulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem, quam dedi Dolabellæ. » Omitto alia : fidem Dolabellæ, sanctissimi viri, deserere homo pius non potest. Quam fidem? an optimi cujusque cædis, urbis et Italiæ partitionis; suis dandarum, diripiendarumque provinciarum? Nam quid erat aliud, quod inter Antonium et Dolabellam, impurissimos parricidas, fœdere ac fide sanciretur? « Nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis. » Tibi cum Le-

3. *Præclarum lucrum!* Lucrum nullum potest esse nobis si vicerit Antonius; namque ita in nos irruet, ut felices illi sint habendi, qui in prælio morte occubuerint, quia sic se cruciatibus et probris eripuerint.

4. *Lupercalibus*. Quo die diadema capiti ejus imposuisti, et aggressus es, quoad liceret, regem constituere : sed hoc ipsum illum perdidit, namque patuere tum consilia hominis ambitiosi, et conjuravere inter se multi rempublicam regio exsolvere dominatu.

5. *Cujus, homo ingratissime, flaminium cur reliquisti?* Philippica secunda legimus, M. Antonium fuisse flaminem Cæsaris, quem senatus ei tamquam deo decreverat.

6. *Sedibus suis*. Agris quos eis assignarat Cæsar : quum autem de veteranis agit Antonius, eorumque animos sibi conciliare adnititur, de iis cogitat qui cum ipso Brutum obsidebant; nam certe pro illis verba non fecisset, qui cum Cæsare ad Mutinam liberandam concurrebant.

pido societas, aut cum ullo, non dicam bono civi[7], sicut ille est, sed homine sano? Id agis, ut Lepidum aut impium, aut insanum existimari velis. Nihil agis (quamquam affirmare de altero difficile est), de Lepido præsertim, quem ego metuam numquam[8]; bene sperabo, dum licebit. Revocare te[9] a furore Lepidus voluit, non adjutor esse dementiæ. Tu porro ne pios quidem, sed piissimos quæris; et, quod verbum omnino nullum in lingua latina est, id, propter tuam divinam pietatem[10], novum inducis. « Nec Plancum prodere, participem consiliorum. » Plancum[11] participem? cujus memorabilis ac divina virtus lucem affert reipublicæ (nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, magno equitatu peditatuque Gallorum[12]); quique, nisi ante ejus adventum reipublicæ pœnas dederis, hujus belli[13] feret principatum. Quamquam enim prima præsidia utiliora reipublicæ sunt, tamen extrema sunt gratiora.

XX. Sed jam se colligit, et ad extremum incipit philosophari[1]. « Si me rectis sensibus euntem dii immortales, ut spero, adjuverint, vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. Namque, si victi Pompeiani tam

7. *Civi.* Al. *cive.* J. V. L.

8. *Metuam numquam.* Quia is est, qui nobiscum semper optime de republica sentiet; aut si partes nostras non amplexus fuerit, quiescet; et inde apparet, nullum ab eo metui posse periculum. Quidam subjiciunt, quia Lepido non satis virium est ut nos terrere possit. Mendose omnino.

9. *Revocare te.* Quum de pace componenda egit.

10. *Divinam pietatem.* Quasi novum verbum tibi liceat ab ea virtute deducere, qua super omnes excellis.

11. *Plancum.* L. Plancum consulem designatum, qui Galliam ulteriorem regebat. Non modo autem Antonii partibus non favebat, sed et adversus eum magnam vim peditum et equitum coegerat.

12. *Peditatuque Gallorum.* Al. *peditatu Gallorum.* J. V. L.

13. *Hujus belli.* Al. *ille hujus belli.* J. V. L.

XX. 1. *Philosophari.* Antonium irridet, qui de vitæ exitu tamquam philosophus verba facit, et quid mortem solari possit, narrat.

insolentes sunt; victores quales futuri sint, vos [2] potius experiemini. » Præcipias licet gaudia [3] : non enim tibi cum Pompeianis, sed cum universa republica bellum est. Omnes te dii, homines, summi, medii, infimi; cives, peregrini; viri, mulieres; liberi, servi oderunt. Sensimus hoc nuper falso nuntio : vero propediem sentiemus. Quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo et majore consolatione moriere. « Denique summa judicii mei spectat huc, ut meorum [4] injurias ferre possim, si aut oblivisci velint ipsi fecisse, aut ulcisci parati sint una nobiscum Cæsaris mortem. » Hac Antonii sententia cognita, dubitaturosne A. Hirtium, C. Pansam [5], consules, putatis, quin ad Antonium transeant? Brutum obsideant? Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa et Hirtio loquor [6]? Cæsar, singulari pietate adolescens, poterit [7] se tenere, quin D. Bruti sanguine pœnas patrias persequatur? Itaque fecerunt, uti, his literis lectis, ad munitiones propius accederent [8]. Quo major adolescens Cæsar, ma-

2. *Vos potius.* Vos Cæsariani, A. Hirtium et Cæsarem alloquitur.

3. *Præcipias licet gaudia.* Antonii verba ad aliam sententiam Cicero convertit : ille enim scripserat : « Præcipio gaudia suppliciorum vestrorum, quia a Pompeianis victoribus eritis oppressi ». Quod ut omen malum averteret, Cicero aliter Antonium quodammodo sensisse finxit. Namque gaudia eum ibi percipere testatur, quod cum tota republica bellum gerat; tamquam significaret eum æquiore moriturum animo, quum totius populi ac senatus consensu e medio tolleretur.

4. *Meorum.* Amicorum scilicet : hoc ait Antonius, se libenter injurias esse obliturum, si, qui illas ipsi intulere, hæc omnia quoque e memoria abolent, et cum eo ad obsidendum Brutum consentiant. Quod quidem nullo modo fieri poterat, quia, qui injurias illi intulerant, nequaquam Cæsaris interfectores persequi potuissent, quum violentas ipsi viro manus injecissent.

5. *C. Pansam.* Inde apparet C. Pansam Roma jam cessisse ad bellum contra Antonium suscipiendum.

6. *Loquor?* Al. *loquar.* J. V. L.

7. *Poterit se.* Al. *poteritne.* J. V. L.

8. *Propius accederent.* Jocatur ibi in hac voce Cicero; namque propius munitiones Mutinæ accessere non uti copias cum Antonio conjungerent, sed ut eum obsidione urbem liberare cogerent. Quod quidem feliciter eis post pugnas aliquot cessit, sicuti in sequenti Philippica videbimus.

joreque deorum immortalium beneficio reipublicæ natus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate, abductus umquam est. Intelligit, maximam pietatem conservatione patriæ contineri. Quod si partium [9] certamen esset, quarum omnino nomen exstinctum est, Antoniusne potius et Ventidius partes Cæsaris defenderent, quam primum Cæsar, adolescens summa pietate et memoria parentis sui? deinde Pansa et Hirtius, qui quasi cornua duo tenuerunt Cæsaris [10], tum, quum illæ vere partes vocabantur? Hæ vero quæ sunt partes, quum alteris senatus auctoritas, populi romani libertas, reipublicæ salus proposita sit; alteris cædes bonorum, urbis, Italiæque partitio?

XXI. Veniamus aliquando ad clausulam. « Legatos venire non credo. » Bene me novit [1]. « Bellum quo veniat [2] » : proposito præsertim exemplo Dolabellæ [3]. Sanctiore [4] erunt, credo, jure legati, quam duo consules, contra quos arma fert; quam Cæsar, cujus patris flamen est; quam consul designatus, quem

9. *Partium*. Ostendit Antonio nullas esse Pompeii Cæsarisque in republica partes, quarum jam memoria sit abolita, quum ii Cæsaris percussores defendant, qui Cæsari amicissimi fuerant, dum vitam agebat.

10. *Tenuerunt Cæsaris*. Id est, semper lateri illius ita hæsere, ut ipsius quodammodo, tamquam cornua esse viderentur.

XXI. 1. *Bene me novit*. Ipsum enim cum P. Sulpicio legatum senatus legerat, ut pacis conditiones una ad Antonium deferrent. Vidimus superiori in Philippica, quonammodo Cicero munus illud declinaverit, et senatum a prima revocaverit sententia.

2. *Bellum quo veniat*. Non senatores ipsum adituros putabat Antonius, hoc in loco ubi pugnabatur. In quo nullo quidem modo erravit.

3. *Dolabellæ*. Quum paullo superius Antonius jactitaverit se Dolabellæ socium esse, et consiliorum ejus participem, majorem vim, quæ de eo refert, possident. Trebonium enim contra jus gentium ac leges omnes Dolabella mactaverat; itaque metuendum erat ne Antonius, qui collegæ sui factum hoc laudibus celebrabat, talis in senatores legatosque foret.

4. *Sanctiore erunt, credo*, etc. Quidam legunt *Sanctiores erunt, credo*. Male: hoc enim est: num jus legatorum sanctius erit quam consulum duorum? num minus violabit legatos quam consules? Quæ quidem cum sententia *sanctiore* melius congruunt.

oppugnat; quam Mutina, quam obsidet; quam patria, cui ignem ferrumque minitatur[5]. « Quum venerint, quæ postulent, cognoscam. » Quin tu abis in malam pestem, malumque cruciatum? Ad te quisquam veniat, nisi Ventidii similis? Oriens incendium qui restinguerent, summos viros misimus; repudiasti: nunc in tantam flammam, tamque inveteratam mittamus, quum locum tibi reliquum non modo ad pacem, sed ne ad deditionem[6] quidem feceris?

Hanc ego epistolam, patres conscripti, non quo illum dignum putarem, recitavi, sed ut confessionibus ipsius[7] omnia patefacta ejus parricidia videretis. Cum hoc pacem M. Lepidus, vir ornatissimus omnibus virtutis et fortunæ bonis, si hæc videret denique, aut vellet, aut fieri posse arbitraretur? « Prius undis flamma[8], » ut ait poeta, nescio quis, prius denique omnia, quam aut cum Antoniis respublica, aut cum republica Antonii redeant in gratiam. Monstra quædam sunt ista, et portenta et prodigia reipublicæ. Moveri sedibus suis huic urbi melius est, atque alias, si fieri possit, in terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat[9], quam illos, Cæsaris

5. *Cui ignem ferrumque minitatur.* Al. edd. exhibent *cui igne ferroque min.* J. V. L.

6. *Non modo ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris?* Jam superius eadem in Philippica demonstravit, quonammodo Antonius, dum Brutum obsidere in animo haberet, se ipsum obsideret nec haberet unde auxilia quærere, neque qua fugere posset.

7. *Confessionibus ipsius omnia patefacta ejus parr. videretis.* In principio enim epistolarum se jactitat cum Dolabella consentire, et omnium ejus facinorum esse participem. Atqui quum Trebonii necis conscium se professus est, quæ in hunc decrevimus, in Antonium quoque decreta fuisse debent judicari.

8. *Prius undis flamma.* Vetus proverbium. Subaudiendum est, *misceatur.* Vide Excurs. IV ad calcem hujusce orationis.

9. *Nec nomen audiat, quam illos,* etc. Sumpsit hoc quoque a vetere poeta orator: ut in epistola ad Curium: « Hinc evolare cupio, et aliquo pervenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam ».

virtute ejectos[10], Bruti retentos[11], intra hæc mœnia videre. Optatissimum est vincere; secundum est, nullum casum pro dignitate et libertate patriæ non ferendum putare. Quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipere vitæ cupiditate.

Quæ quum ita sint, de mandatis literisque M. Lepidi, viri clarissimi, Servilio assentior: et hoc amplius censeo, Magnum Pompeium, Cnæi filium, pro patris majorumque suorum animo studioque in rempublicam, suaque pristina virtute, industria, voluntate, fecisse, quod suam, eorumque, quos secum haberet, operam senatui populoque romano pollicitus esset, eamque rem senatui populoque romano gratam acceptamque esse, eique honori dignitatique eam rem fore. Hoc vel conjungi cum hoc[12] senatusconsulto licet, vel sejungi potest, separatimque perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompeius collaudatus esse videatur.

10. *Virtute ejectos.* Quia metu Cæsaris Octaviani, ad quem duæ cohortes confugerant, Martia scilicet et quarta, morti quam citissime Antonius sese subripuerat.

11. *Retentos.* Quia Mutinæ obsidione implicatus Antonius, non jam discedere poterat. Supra: «Eique in Galliam penetranti Decimus se Brutus objecit: qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamque illi exsultanti tamquam frenos furoris injecit».

12. *Cum hoc senatusconsulto.* Quod de literis Lepidi fuit decretum.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIII, cap. 12, p. 554:

Philadelphus Annius, et innocens Gallius; ædilitii, corycus laterum et vocis meæ Bestia.

Philadelphus Annius. Hæc nomina separanda esse contendit Manutius, ut duorum hominum sint, non unius: eique paruit Lallemandus, favetque Rom. ac Ven. Sed levissimis de causis vir summus in hanc opinionem adductus est. Quod enim Annio cognomen *Cimber* fuerit, non *Philadelphus*, tum valeret, si Cicero Annium suo cognomine appellare hic debuisset, aut nullo. Atqui vult hominem insigni nefarii sceleris nota describere. Quod enim cognomentum fraternus quidam insignis amor imposuisset ad laudem, id Cicero Annio Cimbro tribuit, qui fratrem occiderat, ut acerbissima contumelia derideat. Sic plane cum Ægyptio illo rege actum fuit, de quo Justinus, XXIX, 1, 5: « Ægyptum, patre, ac matre interfectis, occupaverat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit ». Quin etiam in altero Ptolemæo, qui Philadelphus est appellatus, similem plerique agnoscunt ἀντίφρασιν. Sed alii omnino verius ab Arsinoes sororis amore tractum cognomen putant: quod ipsius Arsinoes nummi confirmant, Eckhelio judice, Doctr. num. vet. vol. IV, pag. 12, 13. Sed non video, cur in epigraphe, Ἀρσινόης φιλαδέλφου, ipsa intelligi nequeat φιλάδελφος· siquidem a viro cl. vol. III, pag. 257, nummus affertur Commagenicus, in quo exstat casu recto, Βασίλισσα Ἰοτάπη φιλάδελφος. Est hæc rhetorum præceptis consignata, et tradita *permutatio*, quæ, ut ad Herenn. IV, 34, definitur, « est oratio aliud verbis, aliud sententia demonstrans ». Ejus pars, qua hic usus est Tullius, *contrarium* ibi appellatur, atque ita declaratur exemplis: « Ex contra-

rio: si quem impium, qui patrem verberaverit, *Æneam* vocemus; intemperantem, et adulterum, Hippolytum nominemus». Annii maleficium et notum erat, et ab ipso jam Tullio in senatu commemoratum, XI, 6. At enim inf. cap. 13, quidam «Exitius, Philadelphi frater, quæstor» nominatur: erat ergo Philadelphus non Anniæ gentis, inquit Manutius, sed Exitiæ. Quasi vero fratres non ii quoque dicerentur, qui alio patre geniti eamdem matrem habuerant, et quorum alter ex alterius patris sorore natus erat; aut adoptionibus nomina non mutarentur; aut *Exitius* denique cognomen esse non posset. Est id a neutro *exitium:* cujus generis nomina jam observarunt Freinshem. in Ind. Flor. v. *Obsidius;* Gronov. de Pec. Vet. IV, 6, pag. 299, et alii. Ut a neutro *alimentum* Cincius Alimentus, sic dici potuit Annius Exitius: nam ea quoque terminatione cognomina reperiuntur, et forte tractum fuit a contumelia, ut alia nonnulla, cognomen. Sed nescio, an sit incorruptum. Garat.

Innocens Caius. Omnes libri scripti, «innocens Gallius». M. quidem Gallium sectam Antonii sequutum, lib. III docet Appianus. Suetonius quoque scribit, «Tiberium a M. Gallio senatore adoptatum, adita hæreditate, nomine tamen abstinuisse, quod Gallius adversarum Augusto partium fuerat». Ferr. — «Innocens Gallius». In vetere libro additum est prænomen M. quod exstat apud Appianum etiam in lib. III, et Suetonium in Tiberio. F. Ursin. — Etiam in utroque Barb. in Rom. et Ven. est *Gallius.* Recte hunc M. et fratrem ejus Q. Gallium, qui hoc anno prætor urbanus erat, quos conjuncte nominat Appian. pag. 948, edit. Toll. filios ejus Q. Gallii fuisse, quem Cicero ante consulatum suum defenderat, censuit Torrentius ad Sueton. Aug. xxvii. Confirmat id ipse Tullius, a quo hic *M. Gallius* Q. F. dicitur ad Attic. XI, 20, qua ex epistola etiam Cæsarianus fuisse cognoscitur, ne dubites, præturam ei Cæsarem detulisse. *Innocens* per ironiam dicitur, ut Annius φιλάδελφος, quam notavit quidem Manutius, sed non perspexit Burmannus ad Sueton. Tib. vi. Garat.

* *Coricus laterum et vocis meæ Bestia*. Extra Lang. qui *Coricus*, *Eoricus* habet, ceteri l. s. ab impressis non discrepant: qui *testis* reposuerunt, id, credo, pro suo jure fecerunt, non de auctoritate librorum. FERRAR. — « Ædilitii Coricus ». Non displicet lectio vulgata *C. Oricus:* totumque locum, quamvis continentem historiam mihi obscuram, ita interpungo : « C. Oricus, laterum et vocis meæ; Bestia, et fidei patronus » : ut C. Oricum forte ab eo defensum appellet patronum laterum et vocis suæ, id est, ipsius Ciceronis, Bestiam vero etiam fidei suæ patronum. Antonius Augustinus existimat quidem nobiscum, hos duos fuisse a Cicerone defensos, sed alterum damnatum, alterum absolutum. FAERN.—Locus est aperte corruptus, neque sine meliorum codicum ope sanari potest. Magis tamen eum corrupit Faernus, et qui cum illo verba *fidei patronus* a Trebellio removerunt, et Bestiæ assignarunt : quos annotatio Manutii refutat. In Rom. deest vox *creditorum*, quam cum antecedente delerem, tamquam ab homine profectas, qui ironiam detegere voluerit, nisi statim Cœlius sine ironia notaretur. In Barb. sec. est « fide patronus » : de quo genitivo egimus ad cap. 12 pro Sext. Vox *testis*, quam jure damnat Ferrar. est a Naugerio, quem Gryphianæ sequutæ habent, « laterum, et vocis meæ testis Bestia », Barbadorio notante, a suis quoque MSS eam vocem abesse, quam nullus hactenus firmavit codex, et ne Camerar. quidem recepit. GAR.— Ern. et Sch. locum corruptum esse putant. Sch. putat in iis latere *Vopiscus;* vid. supra XI, 5 : vel legendum esse, « Corycus laterum et vocis », id est, in quo defendendo latera exercui. Corycus saccus erat arena repletus, quo volvendo gladiatores exercebantur. Ien. « Edilitius C laterum et vocis meæ * Bestia ».

Et homo diruptus, *dirutusque Q. Cœlius*. Agnominatione ludit in verbis magna cum suavitate, quæ, quum voce non multum dissideant, significatione sunt dissimillima; *diruptus* enim herniosum, quem ἐντεροκήλην, et ἐπιπλοκήλην Græci vo-

cant, *dirutus* ignominia notatum, et decoctorem significat. Dirutum vero ære militem antiqui dixere, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum, quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Cicero in Verr. VII: « aleatoris Placentini castra memorabuntur, in quibus quum frequens fuisset, tamen ære dirutus est ». Hinc illud ab Ausonio eleganter translatum: « procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis, inquit: sin aliter, ære dirutum facies, ut, cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, unde venerant ». Curio.

Quos Antonius deliciarum causa loris in convivio cædi jubebat a suis publice. Eodem modo libri scripti ut impressi. Ego sic, « Quem Antonius deliciarum causa loris in convivio cædi jubebat a servis publicis »: ut Cotylam tantummodo notet, atque idem hic objiciat, quod in Philipp. VIII: « Quum ad nos Cotylam mitteret ornamentum atque arcem suorum, hominem ædilitium: si vero tum fuit ædilitius, quum eum jussu Antonii in convivio servi publici loris ceciderunt ». Ferrar. — « A servis publicis ». Sic edidit Faernus, sic Ferrarius: quam scripturam puto esse rectam, quamvis olim aliter senserim. Nam idem hic dicitur, quod Philipp. VIII: « Quum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum, hominem ædilitium, si vero tum fuit ædilitius, quum eum jussu Antonii servi publici loris ceciderunt ». Non placet autem mihi nunc Turnebi opinio, qui legendum putat, « a suis publicis »: per publicos vult intelligi carnifices et lictores: Græci δημίους appellant. Sed Latini non solent ita loqui, aut si alii, certe non Cicero. Lamb. — « A servis publicis ». Est ab emendatione Ferrarii, licet occupet omnium neotericorum libros: olim editi et scripti, « a suis publice ». Grut. — Duæ sunt conjecturæ Ferrarii a nullo MS hactenus confirmatæ, quas tamen utrasque certissimas arbitror. Alteram omnes receperunt post Grut. antea vero non ii modo, qui solent, sed etiam Seb. Gryph. MDL, ut a Ferretti codice confirmatam

facile censeas. At nemo alteram recepit ante Lallem. *quem* dico pro *quos*, quum æque probanda esset. Neque enim est verisimile, alios præter Cotylam vapulasse, dignitatemque suam Antonio servilem in modum illudendam præbuisse. Garaton.

Tribunitii primum duo designati. Tribuni sine controversia emendandum. Quod autem sequitur, *T. Hostilius: Tullius Hostilius*, o. l. v. nonnulli de recentioribus, *Tullus*, quod placet. Jam pro *inscripsit*, *ascripsit* Lang. Pro *potuisset*, *posset*, o. l. v. Ferrar.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIII, cap. 17, p. 561 :

Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuque offenderint, etc.

Tanto studio consensuque defenderint. Omnes libri veteres, « offenderint », optime. Ferrar. — « Quem t. st. consensuque offenderint ». Prius in vulgata erat *defenderint*, postea Ferrarius ex suis veteribus libris emendavit *offenderint :* utrum melius? nam utrumvis video legi posse : sed si *offenderint* legas, vox *imperatorem* refert Antonium, si *defenderint*, D. Brutum : hoc posterius probat Antonius Augustinus : ego etiam hoc modo numerum video esse meliorem. Fabrn. — *Offenderint* est in nostris etiam codicibus : recte : vide Manutium. Græv. — « Nihil vidi tam integrum ». Ex ambiguo : nam *integrum esse* ad multa trahi potest. Hic Cicero in Antonium convertit. Nihil eis tam integrum, inquit, id est, tam liberum, quam te oppugnare, quem tanto studio, et consensu deserentes offenderunt. Curio. — Nihil firmius hac est Græviana lectione. Habent enim *offenderint* cum Ferrar. et Græv. codicibus, etiam Barberini ambo, codex Barbadorii, et editiones veteres Rom. ac Ven. denique Car. Stephani silentium accedit. Contra infirmum est *defenderint*, quippe quod ab Aldo seniore proditum adsciverunt Nauger. Cam. Gryph. Muret. Lamb. tantummodo. Tamen, si libere, quod sentio, dicendum est, nihil aliud, nisi infirmitas ista, lectioni Aldinæ potest officere. Neque enim ceteris rebus præstantior Ant. Augustino, Mureto, et Lambino, summis viris, immerito visa est. Video equidem, de solis Cæsaris veteranis hic agi, quos a suis modo cap. 16 distinxit Antonius, hoc est, ab

legione Martia, et quarta, quæ illum reliquerant, et Hirtio transditæ a Cæsare dicuntur apud Appian. pag. 922. Præterea ii soli veterani in reip. partibus numerantur a Tullio, III, 15; V, 17 et 19; X, 10; XI, 14 et 15. Hi ergo Antonium non deseruerant, ut Curio et Manut. et alii putant, sed Cæsari nomen dantes *offenderant*. Quod mihi tamen frigidiuscule dictum videtur, quum adversus Antonium conscripti fuerint. Ac vide, an illum etiam *oppugnarint*, quamvis manu nondum conserta: nam impetum illius, victoriamque adeo averterant, fregerant, sustulerant. Phil. X, 10: « veteranique primi, Cæsaris auctoritatem sequuti, conatum Antonii repulerunt ». Hos et Cæsarem sæpe hac de re laudat. Quod si legas *defenderint*, ironia bella erit, nihil veteranis esse tam integrum, quam ut oppugnare D. Brutum incipiant, quem hactenus defenderunt. Ita supra, VIII, 2: « D. Brutus oppugnatur »: solemne verbum in obsidionibus. Sunt autem hic frequentes ironicæ responsiones. Manut. opponit, veteranos nondum pervenisse Mutinam, nondum armis Brutum defendisse. Atqui armati erant ad eum liberandum profecti, jamque prope Mutinam, et Antonii castra occasionem pugnandi, quam paullo post nacti sunt, hoc tempore opperiebantur. Supra, XI, 15, hi dicuntur Bruti liberandi esse cupidi, his Bruti salus cara esse affirmatur: XII autem, 3: « pudet optimi exercitus, qui conjunctus est ex duobus, qui jam lustratus, qui profectus ad Mutinam est (Hirtii nimirum et Cæsaris), quorum epistolas, spem victoriæ declarantes, in manu teneo », inquit ibid. cap. 4. Exacta hieme, D. Brutus fame laborabat, ut l. c. Appianus tradit: hinc Antonius paullo ante, « nisi aut emisero Brutum, aut frumento juvero ». Ut id rescivere Cæsar et Hirtius ad Mutinam statim accesserunt, a qua non multum aberant: sed Pansæ adventum exspectantes, excursionibus tantum levibusque præliis rem gerebant. Vid. Appian. p. 923, et Dion, XLVI, 36 et 37. Ad hoc tempus pertinet Antonii epistola, quam Cicero, Pansa profecto,

nec longe ab Hirtii castris distante, recitabat. Conf. X ad Div. 30, et Dion. loc. cit. Infra cap. 18: « bellum contra te duo consules gerunt » : quod autem legitur c. 20: « itaque fecerunt, ut, his literis lectis, ad munitiones propius accederent », de Hirtio et Cæsare intelligendum est. Hæc sufficere arbitror, ut dici D. Brutus possit a veteranis esse defensus. Eorum tamen prudentiam laudo, qui libris plerisque ac melioribus adhæserunt: optimumque aliquem codicem desidero, qui Aldum tueatur. Garat.

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIII, cap. 18, p. 563:

Eademque inhiberet supplicia nobis?

Eademque inhiberet supplicia. Qui in lib. suis reposuerunt *adhiberet* pro *inhiberet*, nimis arroganter mea quidem sententia fecerunt: nam primum omnes libri contra faciunt: deinde *inhibere* verbum est et usitatum, et optimum: et idem fere valet quod *adhibere*. Plaut. in Bacchid. « Hoccine hic pacto potest inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet ». Liv. lib. III: « Animis ad imperium inhibendum imminutis »; et lib. IV: « Pronuntiaveruntque ex collegii sententia, C. Valerio cos. se damnum, aliamque coercitionem adversus intercessionem collegæ delectus causa detrectantibus militiam inhibenti auxilio futuros esse »: ut igitur « imperium, damnum, coercitionem inhibere », sic *supplicium* recte dicitur. Ferrar. — « Eademque adhiberet supplicia nobis ». *Inhiberet* est in antiquo pro *adhiberet*. F. Ursin. — « Eademque inhiberet supplicia nobis? » Est ab edd. antiquis et MSS nostris omnibus, item Ferrarii, cujus Emendationes consulantur: vulgata, *adhiberet*. Grut. — Et pergit firmare pater ad locum Livii ex libro III, c. 59. Gron. — Naugerius malis ominibus protulit *adhiberet*, quem sequuti de more sunt Camer. et Gryphii. Reduxerant P. Manut. Car. Steph. Muretus et Lamb. lectionem veterum editorum, quam cod. Barbadorii, ambo Barberini, aliorumque omnes confirmant: sed repetitores Lambiniani Naugerio adhærere maluerunt. Facile cuivis fuit ex superiori locutione, XI, 3, imperite hanc emendare. Est tamen aliquid, quod ad integritatem loci desideres. Inter Antonium, inquit, et Dolabellam convenerat, ut Trebonium,

et in iisdem regionibus commorantes Brutum, et Cassium Dolabella necaret, Antonius autem in Italia reliquos adversarios. Hoc sine ulla dubitatione Tullius dicere voluit. At verba, ut leguntur, Antonium tam male prætereunt, ut excludere videantur. Vidit hoc J. F. Gronovius ad Livium, III, 59, ubi eos refutabat, qui oratoribus hanc locutionem sine causa denegabant, in quorum numero est Pareus Lex. Crit. pag. 610. Itaque emendabat, «hic eadem inhiberet supplicia nobis». Nam quod apud eum cuditur *exhiberet*, non dubito, quin eo nolente contigerit. Ac sane in ambobus Barb. sine enclitica legitur, «eadem inhiberet». Sed legendum censeo, «eadem ipse inhiberet supplicia», quum Naug. Camer. et Gryph. videam in falsa lectione hoc tamen boni præstare, ut vocem *ipse* interponant, silente Barbadorio, quæ certe aptior est, nec sine MSS videtur illata. Statim cod. Lamb. «o conservandus civis». Garat. — Ern. et Sch. «eademque inhiberet suppl.»

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIII, cap. 21, p. 569:

Prius undis flamma, etc.

Prius undas flammamque. Sic omnes libri veteres, « Prius undas flammam ut ait ». E recentioribus nonnulli, « Prius undis flamma », quod forsan rectum est. Ferr. — « Prius undis flamma ». Hoo ipso proverbio usus est postea Augustus, quum significare vellet, se numquam filiam in urbem revocaturum: quod his verbis narrat Dio lib. LV, cap. 13: Τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ, ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, θᾶσσον ἔφη πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνην καταχθήσεσθαι. « Quum populus magnis ab eo precibus contenderet, ut filiam reduceret, citius, inquit, aquæ ignis miscebitur, quam illa in patriam restituetur ». Muret. — « Prius undis flamma ». Varie hic locus legitur; sed tamen eadem semper est sententia. Est enim locus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, cujusmodi sunt in poetis multa : ut illud Ovidii in Tristibus, « Terra dabit stellas, cælum findetur aratro, Unda dabit flammas, et dabit ignis aquas » : item Seneca in Thyeste, « ante cum flammis aquæ, Cum morte vita, cum mari ventus fidem, Fœdusque jungent ». Curio. — Barb. ambo, « Prius undas flammam », ut Ferrariani : editi ante P. Manut. « Prius undas, flammamque », et postea sic repet. Lambin. Grut. et Verb. Sed in Gryphiana MDL, « Prius cum undis flamma », quod emendationem sapit. P. Manut. et reliqui cum Grævio ediderunt. Similis loquendi forma in Valerii Catonis Diris, vs. 4 : « Ante lupos rapient hœdi, vituli ante leones, Delphini fugient pisces, aquilæ ante columbas, Et conversa retro rerum discordia gliscet, Multa prius, fuerit quam

non mea libera avena ». Non erat, cur extremo versu Gronov. emendaret, « Muta prius fiet, quam non mea libera avena », neque cur ei assentiretur V. Cl. Burmannus Sec. tom. II Anthol. Lat. pag. 651. Is etenim versus ita se habet, ut Tullianum hoc, « Prius denique omnia, quam, etc. » et propter ellipsin aliquibus in libris turbatus fuit. Heinsium in eo laudo, quod *Cuncta* mallet pro *Multa*: sic enim Cicero, et melius, *omnia*: sed a MSS nolo nimis abire. GARAT.

M. TULLII CICERONIS

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA QUARTADECIMA

ARGUMENTUM.

Consules ambo A. Hirtius et Pansa, Octavianusque Cæsar pro prætore, ad Mutinam obsidione liberandam erant profecti. Duo prælia autem commissa sunt. Priori, Pansa exsultante nimis militum studio abreptus pugnam temere conseruit, quosdam ex suis amisit, et ipse vulneratus graviter recessit, Bononiamque translatus animam paullo post efflavit. Hirtius vero Antonium victorem derepente aggressus, copias ejus fudit ac profligavit, duasque aquilas, et sexaginta vexilla, rapuit. Octavius autem castrorum ad præsidium relictus, irrumpentem L. Antonium cohibuit, impetusque ejus fregit.

Quum feliciter prælium cessisse nuntiatum fuisset, Cicero hanc orationem quartamdecimam habuit. Non obliviscendum est Brutum semper obsidione premi; namque Antonius urbi acrius instabat. Aliquot tantum diebus elapsis, Hirtius et Cæsar Octavianus Antonium rursus ad pugnam vocavere, victumque Mutina cedere coegerunt. Qua pugna Hirtius occubuit, Octavianusque maxima virtute inclaruit, et adjuvante D. Bruto, Antonium ad Alpes usque detrusit.

Oratio illa non exordium habet; Tullius ex abrupto ei respondet, qui ante eum sententiam dixerat. Servilius ille erat: consularis ille vir, quum supplicationes decernendas ob hanc victoriam censeret, saga deponenda arbitrabatur; victoriaque Hirtii bellum absolutum profitebatur: quam quidem sententiam Cicero impugnat; bellumque semper stare ait, donec Brutus liberetur. Quod ad supplicationes spectat, Servilio assentit, majoraque præmia etiam decernenda censet.

Tum miratur quod Antonius nondum sit patriæ hostis denuntiatus: proinde qui supplicationes decrevere, hi imprudentes Antonium hostem declarant; nam numquam, nisi post hostem devictum, supplicationes sunt habitæ; nullæque in civilibus bellis, propter victorias relatas, exstitere. Deinde tres duces imperatorum nomine decorari æquum arbitratur; et militibus ea concedi, quæ senatus iis a belli principio promiserat. Tunc funebri laudatione eos concelebrat, qui in ipsa victoria occubuere; et orat, uti publico monumento ad æternitatem co-

rum memoria consecretur. Videtur hoc in loco orator sibi quasi exemplar proposuisse quæ Demosthenes, et apud Thucydidem, Pericles, de militibus prælio defunctis apud populum retulerant. Idem enim viget patriæ studium, eadem eloquentiæ copia, idem ferme sententiarum tenor.

Ad senatores deinde conversus decretum proponit, quod omnino sancitum fuit; eo præmia militibus promissa, conjugibus, parentibusque ac liberis eorum concedebantur; et hac pulcherrima sententia, quæ optimum civem, ac suis invigilantem, demonstrat, orationem hanc mirificam præclare absolvit.

ALIUD ARGUMENTUM.

Allatis de prælio ad Mutinam commisso, Antonioque victo, literis consulum et Cæsaris, M. Cornutus, prætor urbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, more majorum sustinebat, quum senatum vocasset, easque literas recitasset, sententias rogavit. Quid alii censuerint, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: unus tamen ex iis, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemque fortasse, decernendam consulibus et Cæsari supplicationem, censuit. Sententia vero Ciceronis hæc fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cujus causa saga sumpta essent, liberato : Antonium, quique una essent, hostes judicandos : supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam : milites eos, qui pro republica pugnantes interierunt, monumento quam amplissimo cohonestandos, quæque iis præmia senatus promiserat, ea parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eorum persolvenda. P. Manut.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PHILIPPICA QUARTADECIMA.

ORATIO SEXTA ET QUINQUAGESIMA.

I. Si, ut ex literis, quæ recitatæ sunt, patres conscripti, sceleratissimorum hostium exercitum cæsum fusumque[1] cognovi, sic id, quod et omnes maxime optamus, et ex ea victoria, quæ parta est, consequutum arbitramur, D. Brutum egressum[2] jam Mutina esse cognovissem : propter cujus periculum ad saga issemus[3], propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante vero, quam sit ea res, quam avidissime civitas exspectat, allata, lætitiæ usus satis est[4] maximæ præ-

I. 1. *Cæsum fusumque.* Pansa militum studio abreptus, ex improviso Antonii copias impugnaverat, qui impedire conabatur ne cum Hirtio una copiàs conjungere posset : sed non satis caute dum irrumperet, duobus vulneribus acceptis, Bononiæ occubuit. Hirtius autem victoria exsultantem Antonium ad pugnam vocavit fuditque, et duas aquilas ei rapuit. Cæsar vero Octavianus, qui ad castra servanda fuerat relictus, cum L. Antonio manus conseruit, summaque fortitudine debellavit. Ita ex omni parte fractæ fusæque fuerant Antonii copiæ.

2. *D. Brutum egressum.* Nondum enim a Mutina discesserat Antonius; namque post infeliciter gestam pugnam, ad obsidionem omnino conversus, urbi acrius instabat.

3. *Ad saga issemus.* Vidimus octava Philippica, quum Antonius legatos inauditos remisisset, senatuique responsa minime æqua et honesta renuntiasset, decretum fuisse a senatu saga sumenda, quamvis patriæ hostis Antonius nondum esset denuntiatus.

4. *Usus satis est.* Satis erit si lætemur ob felicissimam pugnam, nec necesse erit, vestitum deponere milita-

clarissimæque pugnæ : reditum ad vestitum confectæ victoriæ reservate. Confectio autem hujus belli est D. Bruti salus. Quæ autem est ista sententia, ut in hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos vero quum semel ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. Nam hoc quidem quum turpe est, tum ne diis quidem immortalibus gratum, ab eorum[5] aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere. Atque animadverto, patres conscripti, quosdam huic favere sententiæ, quorum ea mens, idque consilium est, ut, quum videant, gloriosissimum illum D. Bruto futurum diem, quo die propter ejus salutem redierimus ad vestitum, hunc ei fructum eripere cupiant[6], ne memoriæ posteritatique prodatur, propter unius civis periculum populum romanum ad saga isse, propter ejusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc[7], nullam tam pravæ sententiæ causam reperietis. Vos vero, patres conscripti, conservate auctoritatem vestram[8], manete in sententia, tenete vestra memoria, quod sæpe ostendistis, hujus totius belli in unius viri fortissimi et maximi vita positum esse discrimen.

II. Ad D. Brutum liberandum legati missi principes

rem, quem rursus forsan induere cogeremur.

5. *Ab eorum aris, ad quas togati adierimus*. Al. MSS dant *eorumdem;* unde Ernestio locus est conjiciendi *ab iisdem aris*, non sine quadam elegantia. J. V. L.

6. *Eripere cupiant*. Qui tacite Antonio favebant, ægre ferebant tot et tam præclara de D. Bruto decerni, quum togam, tantummodo eo salvo ac superstite, senatus sumere vellet. In hoc loco multi varias scripturas proposuere. Vide Excursum I ad calcem hujusce orationis.

7. *Tollite hanc*. Quod si tollatis hanc invidiam in Brutum, et studium erga Antonium, nulla causa erit alia, cur saga deponamus, quum bellum propter quod illa sumpsimus, nullo modo sit confectum.

8. *Auctoritatem vestram*. Hoc est, firmi ac constantes manete, in eis quæ semel decreveritis; nam quæ erit vestra auctoritas, si opiniones varias ita amplecti videamini?

civitatis, qui illi hosti ac parricidæ denuntiarent, ut a Mutina discederet : ejusdem D. Bruti conservandi gratia consul sortitu[1] ad bellum profectus A. Hirtius; cujus imbecillitatem valitudinis animi virtus et spes victoriæ confirmavit. Cæsar, quum exercitu per se comparato primis pestibus rempublicam liberasset, ne quid postea sceleris oriretur[2], profectus est ad eumdem Brutum liberandum, vicitque dolorem aliquem[3] domesticum[4] patriæ caritate[5]. Quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecuniis[6] comparandis, senatusconsultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? a quo populus romanus frequens ita salutem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati victus anteferret. Quod sperare

II. 1. *Consul sortitu.* Vulgata habet : *consules sortiti :* quam lectionem Muretus et Manutius retinent. Primus omnium Faernus libris melioribus recte paruit, quem de more sequutus est Lambinus. Ferrar. locum indicare videtur pro Dom. 19 : « quid, si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti ». Nescio vero cur Lambinus Hirtii prænomen omiserit, et quo auctore qui eum sequuti sunt, prænomini verbum *est* præposuerint, quod nullis in notis libris deprehenditur. De Hirtii autem profectione repete locum in Philippica sexta, cap. 4, sic incipientem, « quid igitur profectus est? »

2. *Oriretur.* Ne rursus in rempublicam impetum facere Antonio liceret : quum autem ad Mutinam obsidione liberandam tenderet Octavius, non tam ad Brutum hosti infestissimo eripiendum, quam ad opprimendum Antonium properabat.

3. *Aliquem.* Ern. *aliquem* languere putat, nec a Cicerone scriptum fuisse. J. V. L.

4. *Aliquem domesticum.* Quem ex nece C. J. Cæsaris percipere debuit : dolorem autem illum vicit omnino ac pedibus subjecit, quum ad eorum auxilium progrederetur, qui patrem mactaverant.

5. *Patriæ caritate.* Nempe compertum habuit nihil ad rempublicam pertinere, utrum Cæsar ipsum adoptasset, quum de bonorum civium ac fortissimorum vita ac salute ageretur.

6. *Pecuniis comparandis.* Ob Persei regis et tot regum opes quas Romæ victores in ærarium deposuerant, vectigalia abolita fuerant ann. Urbis 586. Sed discordiis civilibus, Hirtio et Pansa coss. adeo exhaustum fuit ærarium, ut necesse esset novam pecuniæ vim conflare. Itaque senatusconsulto vectigalia fuere decreta, ipsique senatores summam quamdam, prout agros possiderent, pendere sunt coacti.

nos quidem debemus, patres conscripti, aut inibi esse, aut jam esse confectum : sed spei fructum rei convenit et eventui reservari, ne aut deorum immortalium beneficium festinatione præripuisse, aut vim fortunæ stultitia contempsisse videamur.

Sed quoniam significatio vestra [7] satis declarat, quid hac de re sentiatis; ad literas veniam, quæ sunt a consulibus et a proprætore missæ [8], si pauca ante, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero.

III. Imbuti sanguine [1] gladii, patres conscripti, legionum exercituumque nostrorum, vel madefacti [2] potius, duobus consulum, tertio Cæsaris prælio. Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas : nefarium scelus, si civium. Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superavit, nomine hostis carebit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, et dubitare, utrum in cive, an in hoste figantur. Supplicationem decernitis : hostem non appellatis. Gratæ vero nostræ diis immortalibus gratulationes erunt, gratæ victimæ, quum interfecta sit civium multitudo. « De improbis, inquit, et audacibus. » Nam sic eos appellat clarissimus vir [3]. Quæ sunt urbanarum maledicta litium, non inustæ belli internecini [4] notæ.

7. *Significatio vestra.* Oculorum motu, ac totius oris habitu, declaraverant sane senatores se sententiam Ciceronis amplecti, itaque ad aliam materiam tractandam subito Cicero transit.

8. *Missæ.* Quibus felix pugnarum variarum cum Antoniis eventus nuntiabatur.

III. 1. *Sanguine.* Militum Antonii scilicet, qui in præliis recentissime consertis occubuere.

2. *Madefacti.* Primum verbum corrigit quodammodo, nam *madefacti* significare velle videtur, eos nondum hoc cruore fuso esse satiatos. His cum consulibus jam congressus fuerat Antonius. Primum quum Pansæ copias inconsulte nimis irrumpentes fudit; deinde quum ipse fuit ab A. Hirtio profligatus. Tertium autem certamen Lucium inter et Cæsarem fuit, quo victi decessere Antoniani.

3. *Clarissimus vir.* P. Sulpicius, qui supplicationem decreverat, sed qui hostis nomen Antonio adscribi nolebat.

4. *Internecini notæ.* Capitalis scilicet et exitiosi; in quo non quæritur

Testamenta, credo[5], subjiciunt, aut ejiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt[6]. His enim vitiis affectos et talibus, malos et audaces appellare consuetudo solet. Bellum inexpiabile infert quatuor consulibus[7] unus omnium latronum teterrimus; gerit idem bellum cum senatu populoque romano; omnibus, quamquam ruit ipse suis cladibus[8], pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat; Dolabellæ ferum et immane facinus, quod nulla barbaria posset agnoscere[9], id suo consilio factum esse testatur; quæque esset facturus in hac urbe, nisi eum hinc ipse Jupiter ab hoc templo atque mœnibus repulisset, declaravit in Parmensium calamitate[10], quos optimos viros honestissimosque homines, maxime cum auctoritate hujus ordinis populique romani dignitate conjunctos, crudelissimis exemplis[11] interemit propudium illud

utri vincant, sed utri sint superstites: per verbum illud intelligitur, non de imperio aut gloria, sed de vita ac salute decertari. Quidam prætulere *internecivi;* quæ vox tantum civile bellum significat: nos *internecini* prætulimus, quia cum loco hoc melius congruere videtur.

5. *Testamenta, credo.* Ironia. Scil. illi Antoniani quibus nomen hostium imponi non vultis, ea tantum agunt, quæ improbi ac audaces qui ante tribunal rei protrahuntur; scilicet testamenta falsa subjiciunt: quin immo totam rempublicam evertere et a fundamentis eruere aggrediuntur.

6. *Adolescentulos circumscribunt.* Imperitos adhuc et rerum ignaros decipiunt, fraudibus suis tamquam laqueis circumscribunt.

7. *Quatuor consulibus.* A. Hirtio et Pansæ, qui sunt in magistratu, et Bruto ac Planco consulibus, in annum proximum designatis.

8. *Cladibus.* Quamquam ipse in hæc omnia mala irruat quæ nobis minatur. Non ita autem Faernus locum intelligit, et sic scripturam mutat, «quamquam ruit ipse cum suis», et *cladibus* e medio tollit. Pauci admodum hanc opinionem sunt sequuti.

9. *Posset agnoscere.* Immane adeo facinus edidit Dolabella, ut nulla est barbara gens, quæ illud agnoscere, id est, probare possit.

10. *Parmensium calamitate.* Quum fama Antonium fuisse victum percrebuit, tunc omnes Galliæ Cisalpinæ urbes, quæ tantum coactæ sese submiserant, ad Hirtium milites, pecuniam, frumentum mittebant. Parmensium autem civitas hujus studii pœnas tulit: in eam M. Antonius fratrem Lucium misit, qui captam modis omnibus vastavit.

11. *Crudelissimis exemplis.* Crudelissimis cruciatibus, quæ malo exemplo esse possent ceteris.

et portentum, L. Antonius, insigne odium omnium hominum, vel, si etiam dii oderint quos oportet, omnium deorum. Refugit animus, patres conscripti, eaque dicere reformidat, quæ L. Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit. Quas enim turpitudines Antonii libenter subierunt, easdem per vim lætantur aliis se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt; libido flagitiosa[12], qua Antoniorum oblita est vita.

IV. Est igitur quisquam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatem Carthaginiensium victam esse fateatur? Qua enim in urbe tam immanis Hannibal capta, quam in Parma surrepta[1] Antonius? Nisi forte hujus coloniæ, et ceterarum, in quas eodem est animo, non est hostis Antonius putandus. Si vero coloniarum et municipiorum sine ulla dubitatione hostis est, quid tandem hujus censetis urbis, quam ille ad explendas egestates[2] latrocinii sui concupivit? quam jam peritus metator et callidus decempeda sua Saxa diviserat? Recordamini, per deos immortales! patres conscripti, quid hoc biduo[3] timuerimus a domesticis hostibus, rumoribus improbissimis dissipatis. Quis liberos, quis conjugem adspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem?

12. *Libido flagitiosa.* Quæ perpessi sunt Antonius et fratres juvenes adhuc per libidinem flagitiosissimam pertulerant; quæ vero in ceteros mala invehunt, non nisi per maxime lugendam vim imponunt.

IV. 1. *Surrepta.* Duabus vocibus utitur inter se dissimillimis: namque per *capta* intelligit, urbem restitisse et prælia commissa fuisse, quæ victoris iram quodammodo excusare videntur; *surrepta* autem indicat ab Antonio urbem fuisse derepente per fraudem oppressam, sævitumque in ea absque ulla recentiore tantæ crudelitatis causa.

2. *Explendas egestates.* Ut egestatem latronum, quibus cingitur, explere posset, ac pecuniam quam per summum scelus ipse dissipaverat, rursus cogere. Quidam non sic locum scribunt. Vide Excursum II ad calcem hujusce orationis.

3. *Hoc biduo.* Quum Antonii amici falsos rumores de victoriis ab eo relatis serere incœperant.

Jam aut fœdissimam mortem[4] omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. Hæc a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? gravius si quis[5] attulerit nomen, libenter assentiar: hoc vulgari contentus vix sum; leviore non utar.

Itaque quum supplicationes justissimas ex iis literis, quæ recitatæ sunt, decernere debeamus, Serviliusque decreverit; augebo omnino numerum dierum, præsertim quum non uni, sed communiter tribus ducibus[6] sint decernendæ. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute, consilio, felicitate, maximis periculis servitutis atque interitus[7] liberati sumus. Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? Quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit; aut usitatus honos pervulgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi singularesque debentur.

V. An si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbruit[1], imperatorem appel-

4. *Fœdissimam mortem.* Namque omnium fœdissima fuisset, utpote civibus qui non liberi moriuntur, sed ab eo oppressi quem perditissimum ac flagitiosissimum decrevere.

5. *Gravius si quis.* Ex inopia nominum, quibus res possit ostendi, quanta sit demonstratur. Sic in quarta oratione contra Verrem habita, scriptum est: « Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest ». Et in Agrar. II: « Verbum mihi deest, Quirites, quum ego hanc potestatem regiam appello: sed profecto major est quædam ».

6. *Tribus ducibus.* A. Hirtio, Pansæ et Octaviano Cæsari.

7. *Interitus.* Nam si diversis his præliis vicisset Antonius, Mutina capta fuisset, Decimusque Brutus oppressus. Qui autem Antonium devicere, nos certo exitio eripuere, quia Romam si regressus fuisset insolenti victoria subnixus, omnibus bonis fuisset pereundum.

V. 1. *Quæ increbruit.* Hac voce intelligitur apud majores diversam longe consuetudinem exstitisse, nec supplicationes iis decerni solitum qui duo tantum, aut tria millia hostium ma-

laret senatus? tot legionibus cæsis, tanta multitudine interfecta, hostium dico; ita, inquam, hostium, quamvis hoc isti hostes domestici[2] nolint, clarissimis ducibus supplicationum honorem tribuemus, imperatorum nomen adimemus? Quanto enim honore, lætitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipsi hujus urbis liberatores, quum hesterno die propter eorum res gestas me ovantem et prope triumphantem populus romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? Is enim demum est, mea quidem sententia, justus triumphus ac verus[3], quum bene de republica meritis testimonium a consensu civitatis datur. Nam sive in communi gaudio populi romani uni gratulabantur, magnum judicium; sive gratias agebant[4], eo majus; sive utrumque, nihil magnificentius excogitari potest.

Tu igitur ipse de te? dixerit quispiam. Et quidem invitus : sed injuriæ dolor[5] fecit me præter consue-

ctavissent. Sed postea assentandi studio, quum in pejus respublica rueret, supplicationes vulgo pro levissimi momenti victoriis agebantur.

2. *Hostes domestici.* His vocibus Antonii amicos designat, qui perpetuo in senatu iis obstabant, quæ Cicero decernenda curabat ad libertatem rursus recuperandam.

3. *Ac verus.* Ostendit multo nobiliorem esse hunc triumphum ac multo magis optabilem, qui ab omni populo unanimi consensu tribuitur, quam qui a quadam tantum senatus parte imperatori decernitur.

4. *Gratias agebant.* Olim additum fuit *uni*, quod Ferrarius delevit, restituit Gruterus, Ernest. non probante.

5. *Injuriæ dolor.* Qua injuria fuerit læsus inferius narrat. Multi quidem Ciceronem vituperavere, quod semper maximis se laudibus extolleret; et a consulatu usque ad ultimum vitæ diem, semper sibi famam suam et opes gratularetur. Sed tamen, antequam gloriæ nimis cupidum fuisse insimulemus, necesse est intueri quo tempore ita de se ageret. Semper invidia civium quorumdam pressus fuit, ad extremum vitæ tempus, qui numquam ei ignovere, quod Catilinam morte plectendum decrevisset. Cujus quidem supplicium, et apud populum, et apud patres Ciceroni exprobrabant. Tum perpetuo perditorum odio lacessitus, qui præstantissima quæque, quæ ad rempublicam protegendam ediderat, impugnabant; de conjuratione oppressa sæpissime dicere, et recantare ea quæ pro salute civitatis susceperat, et vitam omnem quodammodo suam ante oculos evolvere cogebatur. Quum se

tudinem gloriosum. Nonne satis est, ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiam in eos, qui omnes suas curas in reipublicæ salute defigunt, crimen invidiaque quæretur? Scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per idus[6] quintiles, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum[7]. In aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum; non in eum, qui, ne quid tale in republica fieri posset, effecerit. An ut ego, qui Catilinam hæc molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse exsisterem repente Catilina? Quibus auspiciis istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Unde igitur ista suspicio, vel potius unde iste sermo?

VI. Quum, ut scitis, hoc triduo, vel quatriduo, tristis a Mutina fama manaret; inflati lætitia atque insolentia impii cives, unum se in locum, ad illam curiam[1], [viribus] suis potius, quam reipublicæ infe-

laudat, quæ injuste de ipso proferebantur, hac ratione confutat. Proinde magno viro, quem civium invidia urget, quædam licent, quæ non omnes decerent. Pulchrum erat certe Ciceroni, quum ab exsilio redux urbem intraret, deos illos Capitolii appellare quos flammis eripuerat, ad populum illum agere, quem servituti subduxerat, pulchrum erat in memoriam revocare, quot et quantis periculis defunctus, quot laboribus exantlatis, rempublicam fuisset tutatus; dum contra ostenderet, quasi tot curarum præmium, nomen abolitum, monumenta eversa, domosque dirutas. Decorum erat in ipsis ædium suarum ruinis testari, quo die rempublicam liberam præstitisset. Quod autem ad eloquentiam pertinet, quamvis optime nosceret, se longe ceteros hujus ætatis oratores antecellere, de ea semper silet, ac conticescit. Vide Excursum III.

6. *Per idus quintiles*. Mendosus locus. Ferrarius conjicit, *pridie Vinalia*.

7. *Descensurum*. In forum, nam senatores collibus habitabant.

VI. 1. *Curiam*. Qui curiam Pompeianam infelicem dicebant, hac de causa nomen hoc ei indiderant, quia mactatus ibi fuerat Cæsar, quem parentem patriæ nuncupabant. At Cicero eam potius eis infelicem esse ait, qui partes illas foverent, et, ut Cæsar fecerat, rempublicam opprimere molirentur. Itaque quod legitur, *viribus*

licem, congregabant. Ibi quum consilium inirent de cæde nostra, partirenturque inter se, qui Capitolium, qui Rostra, qui urbis portas occuparent, ad me concursum futurum[2] civitatis putabant. Quod ut cum invidia mea fieret, et cum vitæ etiam periculo, famam istam fascium dissipaverunt; fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. Quod quum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum quasi in tyrannum parabatur: ex quo cædes esset vestrum omnium consequuta. Quæ res patescit, patres conscripti; sed suo tempore totius hujus sceleris fons[3] aperietur.

Itaque P. Apuleius, tribunus plebis, meorum omnium consiliorum periculorumque jam inde a consulatu meo testis, conscius, adjutor, dolorem ferre non potuit doloris mei: concionem habuit maximam, populo romano unum atque idem sentiente. In qua concione quum me, pro summa nostra conjunctione et familiaritate, liberare suspicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a me umquam de republica, nisi optime, cogitatum. Post hanc habitam concionem, duabus tribusve horis, optatissimi nuntii et literæ venerunt: ut idem dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima populi romani gratulatione auxerit.

aut *viris*, ab iis forsan fuit repositum, qui loci vim non intelligebant. Muretus locum illum, sicuti intelleximus, explanavit, quem postea multi consequuti. Vide ad calcem hujusce orationis Excurs. IV.

2. *Concursum futurum*. Quia populo gratissimus Cicero semper fuerat, quod ejus potestatem semper verbis amplificaret, et pro una libertate laborare se profiteretur.

3. *Sed suo tempore totius hujus scel. fons aperietur*. Fontem autem hujus sceleris ac causam, ea quæ sequuntur videntur indicare. De homine consulari enim agitur Ciceronis gloriæ maxime invido. Suspicio autem in nullum melius cadit, quam in Q. Fufium Calenum Antonii procuratorem. Vidimus superioribus in Philippicis, quam acriter in eum fuerit invectus Cicero; quamque graviter de eo, medio in senatu conquestus sit, quum ei exprobraret invidiam alienæ famæ semper infestam, fœdusque tacitum, quod cum Antoniis fecerat.

Hæc interposui, patres conscripti, non tam ut pro me dixerim[4] (male enim mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus), quam ut quosdam nimis jejuno animo et angusto monerem, id quod semper ipse fecissem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia, putarent. Magnus est in republica campus, ut sapienter dicere Crassus[5] solebat; multis apertus cursus ad laudem.

VII. Utinam quidem illi principes viverent, qui me post meum consulatum, quum iis ipse cederem, principem non inviti videbant! Hoc vero tempore[1] in tanta inopia constantium et fortium consularium, quo me dolore affici creditis, quum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum constanter in suscepta causa permanere, sententiamque suam non semper utilitate reipublicæ, sed quum[2] spe, tum timore moderari? Quod si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet, stultissime facit, si vitiis cum virtute contendit. Ut enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Tu, si ego de republica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum

4. *Dixerim.* Ferrarius rectius esse *dicerem* judicat. Grævius lectionem illam quam defendebat Gruterus impugnat; sicque de his omnibus Garatonius: Non caret tamen auctoritate lectio illa, *dicerem*, quæ non a Ferrarii conjectura manavit, sed a Naugerio introducta fuit, et usque ad Gruterum, summo editorum silentio, servata. Barb. tamen *dixerim*, cum plerisque codicibus. Schützius habet, *dicerem*.

5. *Crassus.* L. Crassus, summus orator, a quo sæpissime sententias mutuatur Cicero.

VII. 1. *Hoc vero tempore.* Quo nunc vivimus, quo nulla fere jam supersunt antiquæ virtutis apud senatores indicia.

2. *Quum spe.* Quosdam ibi e patribus increpat, qui semper favebant Antonio, molliaque de eo decreta ferebant, quia sperabant fore ut Bruto et ceteris devictis, sibi deditos muneribus ornaret. Alii contra quid sentirent, palam profiteri non sustinebant, quia metuebant, ne Antonius pœnas exposceret, ob severiora nimis, quibus assensissent, decreta.

concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis? Nollem [3], primum reipublicæ causa, deinde etiam dignitatis tuæ. Sed, si principatus ageretur, quem numquam expetivi, quid tandem mihi esset optatius [4]? Ego enim malis sententiis vinci non possum [5]; bonis forsitan possum, et libenter.

Hæc populum romanum videre, animadvertere, judicare, quidam moleste ferunt. Poteratne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut quisque mereretur, judicarent? Ut enim de universo senatu populus romanus verissime judicat, nullis reipublicæ temporibus hunc ordinem firmiorem atque fortiorem fuisse : sic de unoquoque nostrum, et maxime, qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes, avent audire, quid quisque senserit. Ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, existimant. Memoria tenent, me ante diem XIII [6] kalendas januarias, principem revocandæ libertatis fuisse [7]; me ex kalendis januariis ad hanc horam invigilasse reipublicæ; meam domum, measque aures dies et noctes omnium præ-

3. *Nollem*. Al. *nolim*. J. V. L.

4. *Optatius*. Hæsere aliqui in illo loco ac sententiam obscuram esse proclamavere ; nobis autem satis aperta videtur. Etenim nihil optatius sibi esse ait Cicero, quam vinci, si de principatu agitur; et hoc quidem summo viro studium suum erga rempublicam expressit, ut ea quæ sequuntur comprobant.

5. *Non possum*. Quia numquam cum viris qui male de republica sentiunt, mihi de principatu erit contentio. Non enim hoc meum est. Sin autem bonis sententiis contenderimus, libenter vincar ab æmulo; nam ei libenter concedam, a quo majorem respublica fructum sit perceptura.

6. *Ante diem XIII*. Quo die tertiam Philippicam habuit, referentibus novis tribunis plebis, de præsidio consulum designatorum.

7. *Fuisse*. Non enim tantummodo de consulum designatorum præsidio, sed de tota etiam republica sententiam dixit, resque omnes est complexus quæ tunc agitabantur. Vere itaque libertatis recuperandæ princeps fuit, qua re gloriatur quoque in epistola ad Cornificium, qua sic est scriptum : « Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis sum ingressus, et cunctantibus ceteris, ad XIII kal. jan. fundamenta reipublicæ jeci, eo ipso die providi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ ».

ceptis monitisque patuisse; meis literis, meis nuntiis, meis cohortationibus omnes, qui ubique essent, ad patriæ præsidium excitatos; meis sententiis a kalendis januariis numquam legatos ad Antonium; semper illum hostem, semper hoc bellum[8]: ut ego, qui omni tempore veræ pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferæ pacis inimicus. Idem Ventidium[9], quum alii tribunum plebis voluissent, non ego semper hostem? Has in sententias meas si consules designati[10] discessionem facere voluissent, omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus jam pridem de manibus arma cecidissent.

VIII. Sed, quod tum non licuit[1], patres conscripti, id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, verbis notari, sententiis nostris hostes judicari. Antea quum hostem, aut bellum[2] nominassem, semel et sæpius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt[3]. Quod in hac causa jam fieri non potest. Ex literis enim C. Pansæ, A. Hirtii consulum, C. Cæsaris proprætoris, de honore diis immortalibus habendo sententias diximus. Sup-

8. *Semper illum hostem, semper hoc bellum.* Semper eum hostem nominavi, repugnantibus multis, et hoc bellum, quod alii tumultum dicebant, ego semper bellum esse sum professus.

9. *Ventidium.* Idem ille Ventidius est qui postea inclaruit, victoriis de Parthorum gente relatis. Solus enim de hac gente triumphare valuit. Quum autem juvenis esset, captivus fuerat protractus ante currum triumphalem Pompeii Strabonis, per bellum Sociale.

10. *Consules designati.* Quum de sententiis hic agit orator, quas a kal. jan. protulit, mirandum prorsus videtur, eum consules designatos dicere, quum magistratum suum illi ingressi essent. Verendum est ne verbum illud *designati* additum sit ex inscitia interpretis imperiti. Quod quidem tamen habent omnes editi et MSS plerique.

VIII. 1. *Non licuit.* Hoc est, non potuit effici, quia multi sententiam meam impugnabant.

2. *Bellum nominassem.* MS Huydecop. addit *quum*. Schützius recepit. J. V. L.

3. *Sustulerunt.* Quum viderent multos contra hanc Ciceronis opinionem consurgere, discessionem in eam facere noluerunt; et ita corruebant, quæcumque ad sententiam suam confirmandam protulerat.

plicationem modo qui decrevit, idem imprudens hostes judicavit [4]. Numquam enim in civili bello supplicatio decreta est. Decretam dico? ne victoris quidem literis postulata est. Civile bellum consul Sulla gessit: legionibus in urbem adductis, quos voluit, expulit; quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum [5] insequutum est: supplicatio Cinnæ nulla victoris. Cinnæ victoriam imperator ultus est Sulla: nulla supplicatio decreta a senatu. Ad te ipsum, P. Servili, num misit ullas collega [6] literas de illa calamitosissima pugna Pharsaliæ? num te de supplicatione voluit referre? Profecto noluit: at misit postea de Alexandria, de Pharnace. Pharsalicæ vero pugnæ ne triumphum quidem egit. Eos enim cives pugna illa sustulerat, quibus non modo vivis, sed etiam victoribus, et incolumis et florens civitas esse posset. Quod idem contigerat superioribus bellis civilibus. Nam mihi consuli supplicatio [7], nullis armis sumptis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo et inaudito genere, decreta est. Quamobrem aut supplicatio ob rempublicam pulcherrime gestam postulantibus vestris imperatoribus [8] deneganda est, quod

4. *Imprudens judicavit.* Non potest enim, quod tulit de supplicationibus, decretum abrogare; et quum supplicationes faciendas statuit populus tantum, quum hostes victi sunt, hoc ipso senatusconsulto Antonius est hostis declaratus.

5. *Octavianum.* Quum Sulla ad Mithridaticum bellum esset profectus, Cinna consul, quidquid de Marianis partibus supererat in unum cogere est adnixus. Cujus quidem collega Octavius arma ad hæc tentamenta opprimenda sumpsit. Tum pugna media in urbe conserta, si Plutarcho fides adhibenda, decem millia civium ex Cinnæ copiis cecidere. Paullo post autem Marius Cinnaque Urbem victores regressi sunt, et multos trucidavere cives. Quos inter fuit Octavius, quem sella curuli sedentem obtruncavere.

6. *Collega.* Consulatum secundum Cæsar egit cum Servilio, hoc anno quo Pompeium Pharsalica acie devicit.

7. *Mihi consuli supplicatio.* Hanc supplicationem, togato Ciceroni, Catilina Urbe pulso, sociis ejus in Urbe deprehensis, decrevit M. Cato: ut ad eum scripsit Cicero ad Div. X, 4.

8. *Vestris imperatoribus.* A. Hirtio, Pansa et Cæsare Octaviano; quod an-

præter Gabinium contigit nemini[9]; aut, supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, judicetis necesse est.

IX. Quod ergo ille re[1], id ego etiam verbo, quum imperatores eos appello : hoc ipso nomine et eos, qui jam devicti sunt, et eos, qui supersunt, hostes judico, quum victores appello imperatores. Quomodo enim potius Pansam appellem? etsi habet honoris amplissimi[2] nomen. Quo Hirtium? est ille quidem consul : sed alterum nomen beneficii est populi romani; alterum virtutis atque victoriæ. Quid? Cæsarem, deorum beneficio[3] reipublicæ procreatum, dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem et fœdam crudelitatem, non solum a jugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus[4] avertit. Unius autem diei quot et quantæ virtutes, dii immortales, fuerunt? Princeps enim omnium Pansa prælii faciendi, et cum Antonio confligendi fuit : dignus imperator legione Martia[5], digna legio imperatore. Cujus si acerrimum

tem nullo modo fieri possit ostendit, quia numquam nisi cum perditissimo homine ita senatus egit.

9. *Contigit nemini.* In oratione de provinciis consularibus de hac re sic agit : « Quæ enim homini, in quo aliquis si non famæ pudor, at supplicii timor est, gravior pœna accidere potuit, quam non credi literis iis, quæ rem bene gestam in bello nuntiarent? » Hoc statuit senatus, quum frequens supplicationem Gabinio denegavit. Et ad Quintum fr. I, 5 : « Idibus maiis senatus frequens divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Adjurat Porcilius hoc nemini accidisse ».

IX. 1. *Re.* Sententiam ejus qui ante eum dixit, integram, neque ulla jam e parte claudicantem efficio; nam quum re Antonium hostem agnovit, ego eum verbo hostem judico nominandum.

2. *Honoris amplissimi.* Consulatum enim obtinuerat, quo nihil excelsius in republica magistratu est.

3. *Deorum beneficio.* Tertia Philippica : « Qua peste, privato consilio, Cæsar rempublicam liberavit; qui, nisi in hac republica natus esset, rempublicam scelere Antonii nullam haberemus ».

4. *A membris et visceribus.* Morte enim ipsa bonorum civium contentus non fuisset Antonius; sed prius unum quemque omni cruciatus genere vexavisset; mortem orator significat, quum ait *a jugulis*, tormenta autem quum subjungit « a membris et visceribus ».

5. *Legione Martia.* Quam ei, quo

impetum[6] cohibere potuisset, uno prælio confecta res esset. Sed quum libertatis avida legio effrenatius in aciem hostium irrupisset, ipseque in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus e prælio, reipublicæ vitam reservavit[7]. Ego vero hunc non solum imperatorem, sed etiam clarissimum imperatorem judico, qui quum aut morte, aut victoria se satisfacturum reipublicæ spopondisset, alterum fecit[8], alterius dii immortales omen avertant!

X. Quid dicam de Hirtio? Qui, re audita, e castris duas legiones eduxit incredibili studio atque virtute, quartam illam, quæ, relicto Antonio, se olim cum Martia legione conjunxit, et septimam, quæ constituta ex veteranis, docuit illo prælio, militibus iis, qui Cæsaris beneficia servassent[1], senatus populique romani carum nomen esse. His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipse aquilam[2] quartæ legionis quum inferret, qua nullius pulchriorem speciem imperatoris

tutius in castra venire posset, miserat A. Hirtius. Sic enim Galba ad Ciceronem scripsit.

6. *Si acerrimum impetum cohibere potuisset, uno prælio*, etc. Idem Galba scripsit hoc: « Quum equites Antonii apparuissent, contineri neque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quando eas retinere non poteramus ».

7. *Vitam reservavit.* Quæ Ciceronis verba non eventus comprobavit; namque vulneribus tactus gravissimis Pansa occubuit.

8. *Alterum fecit.* Non ipse quidem Pansa, sed A. Hirtius et Cæsar Octavianus id præstitere.

X. 1. *Servassent.* Nam qui beneficia Cæsaris luxuria exhauserant, novarum rerum cupidi, ad Antonium confugerant, bellumque nefarium moliebantur.

2. *Hirtius ipse aquilam.* Cœlius secundus Ciceronem hoc loco erravisse testatur; namque ait Octavium quoque aquilam intulisse, et media dimicatione diu cum ea inter primos stetisse. Mirum videtur doctissimo viro, quod Cicero in tantis Cæsaris laudibus hoc prætermittat. Res autem facile dijudicari potest, nec ullo modo erravit orator. Etenim quum hanc Philippicam habuit, nondum obsidione liberatus erat D. Brutus, et pugna qua Octavius aquilam humeris subiit, nondum fuerat commissa. Paucos post dies quidem fuit commissum novum prælium, quo Octavianus Cæsar, aquilifero legionis suæ graviter vulnerato, aquilam ipse intulit, ac diu, ut ait Sueton. portavit.

accepimus, cum tribus Antonii legionibus[3] equitatuque conflixit, hostesque nefarios, huic Jovi maximo, ceterisque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi romani, nostræ vitæ sanguinique imminentes, prostravit, fudit, occidit; ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum duxque fugerit. O solem ipsum beatissimum, qui, antequam se abderet, stratis cadaveribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium!

An vero quisquam dubitabit appellare Cæsarem imperatorem? Ætas ejus certe ab hac sententia neminem deterrebit, quandoquidem virtute superavit ætatem. Ac mihi semper eo majora beneficia C. Cæsaris visa sunt, quo minus erant ab ætate illa postulanda. Cui quum imperium, eodem tempore etiam spem nominis ejus[4] deferebamus; quod, quum est sequutus auctoritatem nostri decreti, rebus gestis suis comprobavit. Hic ergo adolescens maximi animi, ut verissime scribit Hirtius, castra multarum legionum[5] paucis cohortibus tutatus est, secundumque prælium fecit. Ita trium imperatorum virtute, consilio, felicitate, uno die locis pluribus respublica est conservata.

3. *Cum tribus Antonii legionibus.* Secundam et trigesimam quintam, nec quartam, ut alii contendunt. Namque Galba ipse scripsit Antonium, præter duas illas legiones, eduxisse cohortes prætorias duas, unam suam, alteram Silani evocatorum partem. Si duæ autem solæ cohortes, pars evocatorum appellarentur, ad tertiam legionem explendam cohortes octo deessent. Est igitur verisimile prætoriis cohortibus aliquot e veteranis accessisse; ita ut numerum prope justæ legionis efficerent. Evocati autem veterani dicebantur, quos Antonius ad bellum ex agris vocaverat. Inde fit ut orator tres legiones Antonio tribuat, quia unam habebat ex omnis generis militibus conflatam; qui quartam esse contendunt, errant, nam ad Octavium cum Martia illa transierat.

4. *Nominis ejus.* Hoc est, imperatorii nominis.

5. *Castra multarum legionum.* Pars autem illa Antonianarum copiarum, quam fudit ac fugavit Octavianus, infirma sane erat. Namque Antonius robur omne exercitus sui in Pansam eduxerat, quem cum Hirtio conjungi nullo modo volebat. Vid. Exc. V.

XI. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes : quas[1], ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia[2].

Est autem fidei pietatisque nostræ, declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamque grati. Quamobrem promissa nostra, atque ea, quæ legionibus, bello confecto, tributuros nos spopondimus, hodierno senatusconsulto[3] renovanda censeo. Æquum est enim militum, talium præsertim, honorem conjungi[4]. Atque utinam, patres conscripti, civibus omnibus solvere nobis præmia liceret! quamquam nos ea, quæ promisimus, studiose cumulata reddemus. Sed id quidem restat, ut spero, victoribus, quibus senatus fides præstatur[5] : quam quidem quum difficillimo reipublicæ tempore sequuti sunt, eos numquam oportebit consilii sui pœnitere. Sed facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus[6] flagitari videmur[7]. Illud admirabilius et majus, maximeque proprium senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt.

Quorum de honore utinam mihi plura in mentem

XI. 1. *Quas*. Græv. *causas*. J. V. L.

2. *Ipsa sententia*. Forsan non admodum necessariæ sunt in hoc loco voces illæ, sed non tamen abolendas censemus, uti Ferrario placebat, quum præsertim paullo post idem ferme orator sic exprimat : « Sed ut aliquando sententia complectar, ita censeo ».

3. *Hodierno senatusconsulto*. Quo supplicationes tribus imperatoribus decrevimus.

4. *Honorem conjungi*. Nam militibus magis sententia nostra placebit, si de eorum virtute eodem, ac de ducibus, senatusconsulto retulerimus. Et fama illorum cum imperatorum laude hoc modo consociabitur.

5. *Senatus fides præstatur*. Ut de solutione eorum, quæ promisimus non dubitent. Fidem autem nostram obligavimus, priore senatusconsulto, quo præmia spopondimus, et altero quo hæc promissa iterum sancimus.

6. *Tacentibus*. Adeo nobilia facinora edidere, ut, quamvis taceant, quum satis per se facta loquantur, res ab illis gestæ debita præmia nos quodammodo cogant exsolvere.

7. *Videmur*. Ernest. malit *videbimur*. J. V. L.

venirent! Duo certe non præteribo, quæ maxime occurrunt: quorum alterum[8] pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam; alterum[9] ad leniendum mœrorem et luctum proximorum.

XII. Placet igitur mihi, patres conscripti, legionis Martiæ militibus, et eis, qui una pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum[1]. Magna atque incredibilia sunt in rempublicam hujus merita legionis. Hæc se prima latrocinio abrupit Antonii; hæc tenuit Albam; hæc se ad Cæsarem contulit[2]; hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consequuta est. Quarta victrix desiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors[3], quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita!

Vos vero patriæ natos judico; quorum etiam nomen a Marte est: ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur[4]. In fuga[5] fœda mors est[6];

8. *Quorum alterum.* Monumentum amplissimum, quod militibus iis prælüs defunctis erigi æquum censet.

9. *Alterum.* Ut quæ ipsis promissa fuerunt, ea liberis conjugibus ac parentibus eorum solvantur.

XII. 1. *Quam amplissimum.* Nihil totis in Philippicis hoc capite vividius et magnificentius fuit ab oratore proclamatum. Quadam funebri laudatione brevi quidem, sed firma ac vehementi, eos prosequitur qui fortiter pugnando cecidere; Demosthenisque ac Periclis simili in re collaudationes sæpissime videtur adæquare.

2. *Ad Cæsarem contulit.* Nota sunt nobis omnino facta illa, ex primis Philippicis.

3. *O fortunata mors.* Decima in oratione sic ad hoc genus mortis pulchrum adhortabatur: «Quum vero dies ac noctes omnia nos fata circumstent, non est vestri, nominisque romani dubitare eum spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere».

4. *Genuisse videatur.* Duplex legionis illius laus est, nam digna fuit quæ Martia propter virtutem diceretur; et vere se ex hoc deo genitam demonstravit, quum urbem, cui deus ille præsidet, servavit. Demosthenes eos, qui ad Chæroneam occubuere, ex tribuum suarum conditoribus laudat, militibus autem romanis ex ipso Marte gloria major efflorescit.

5. *In fuga.* Simile illud Horatianum: «Dulce et decorum est pro patria mori. Mors et fugacem persequitur virum: Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus timidoque tergo».

6. *Fœda mors est.* Alii ignorant *est.* J.V.L.

in victoria, gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari[7] solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas[8] parricidii luent : vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem[9] et locum consequuti. Brevis a natura nobis[10] vita data est; at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. Quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?

Actum igitur præclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, quum vobis immortale monumentum suis pæne manibus senatus populusque romanus exstruxerit. Multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari et magni fuerunt; nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam majora possemus, quandoquidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis; vos redire molientem repulistis. Erit igitur exstructa moles[11] opere magnifico, incisæque literæ, divinæ virtutis testes sempiternæ : numquam de vobis, eorum, qui aut videbunt vestrum

7. *Pignerari.* Sibi quasi suos assumere ac seponere. Simili prorsus sententia Demosthenes eos laudat qui ordinem suum servantes, in acie occubuere; eosque victores, etiamsi victoriam superstites non obtinuerunt, esse confirmat.

8. *Pœnas parricidii.* Sic in Catilinaria prima Jovem appellat : « Et omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum fœdere inter se, ac nefaria societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis ».

9. *Piorum estis sedem.* Non omnes locum illum sic scripsere. Vide Excursum VI.

10. *Brevis a natura nobis.* Olim editi libri, *brevis autem nobis.* Male. J.V.L.

11. *Exstructa moles.* Multa in hoc loco desumpta videntur ac mutuata, ex ea oratione qua, Thucydidis libro secundo, Pericles eos qui in bello Peloponnesiaco occubuerant, collaudat.

monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem estis consequuti.

XIII. Sed quoniam[1], patres conscripti, gloriæ munus optimis et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio : parentibus, quod tanta reipublicæ præsidia genuerunt; liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis; conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere præstabit; fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, vel aliqua talis his publice adhiberi posset oratio, qua deponerent mœrorem atque luctum, gauderentque potius, quum multa et varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse, eosque nec inhumatos esse, nec desertos, quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur; nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos[2] publicis

XIII. 1. *Sed quoniam*. Transit ad alteram funebris laudationis partem, qua proximorum lenire dolorem aggreditur. Quum autem similia protulerit Demosthenes, ea latino sermone versa transtulimus, quo facilius dijudicari possit, uter vicerit : « Ac præsentem oratione mœrorem, difficile forsan lenire fuerit : faciendum tamen est periculum, et animus ad jucundiora traducendus. Tales enim viros qui genuerunt, quique a talibus aliis ipsi sunt orti, eos præclarum est adversas res pulchrius quam ceteri posse perferre, et in utraque fortuna vultu eodem posse conspici. Quæ quum illis maximo et honori fuerint, et ornamento, tum toti civitati et viventibus magnam attulerint celebritatem. Grave est patri matrique orbari liberis, et conjunctissimis suæ senectutis privari altoribus. Sed præclarum est honores præcipuos, et monumentum virtutis, eosdem publice adeptos conspicere, sacrisque et præmiis dignatos immortalibus. Molestum est quidem liberis amisisse parentes, sed præclarum est paternæ gloriæ consequi hereditatem : ac tristitiæ quidem hujus fortunam causam esse reperiemus, cui cedere ac parere necesse est, at honoris et decoris, eorum, qui honeste mortem appetere voluerunt, institutum ».

2. *Contectos*. Qui una pugnantes oc-

operibus atque muneribus, eaque exstructione, quæ sit, ad memoriam æternitatis, ara virtutis[3].

Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari et virtutem suorum, et pietatem, et senatus fidem, et crudelissimi memoriam belli : in quo nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi romani occidisset. Atque etiam censeo[4], patres conscripti, quæ præmia militibus promisimus nos, republica recuperata, tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, quum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.

XIV. Sed ut aliquando sententia complectar, ita censeo.

Quum C. Pansa, consul, imperator, initium cum hostibus confligendi fecerit, quo prælio legio Martia admirabili incredibilique virtute libertatem populi romani defenderit, quod idem legiones tironum[1] fecerint; ipseque C. Pansa, consul, imperator, quum inter media hostium tela versaretur, vulnera acceperit :

Quumque A. Hirtius, consul, imperator, prælio audito, re cognita[2], fortissimo præstantissimoque animo exercitum castris eduxerit, impetumque in M. Antonium, exercitumque hostium fecerit, ejusque

cubuere, eodem busto erunt consepulti et quasi protecti.

3. *Ara virtutis*. Monumentum illud quo fortissimi viri quiescent, tamquam virtutis ara erit, cui inscribetur laus, quæ nomen eorum ad æternitatem gloriæ possit consecrare.

4. *Atque etiam censeo*. Non illud quidem in minimis laudum Ciceroni fuerit, quod ita censuerit : illud enim civem suorum amantissimum comprobat, et ea cogitantem, quæ populum quam fortunatissimum præstare possent : communi consensu hanc sententiam omnis est sequutus senatus.

XIV. 1. *Legiones tironum*. Quas ex Italia numero quatuor, ut Galba scribit, Pansa adduxerat.

2. *Re cognita*. Sic regii codd. pro *et cognito*. J. V. L.

copias occisione occiderit[3], suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desideraverit:

Quumque C. Cæsar, imperator[4], consilio diligentiaque sua castra feliciter defenderit, copiasque hostium, quæ ad castra accesserant, profligarit, occiderit[5]: ob eas res senatum existimare et judicare, eorum trium imperatorum virtute, imperio, consilio, gravitate, constantia, magnitudine animi, felicitate, populum romanum fœdissima crudelissimaque servitute liberatum; quumque rempublicam, urbem, templa deorum immortalium, bona fortunasque omnium, liberosque conservarint dimicatione et periculo vitæ suæ, uti ob eas res bene, fortiter feliciterque gestas, C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter, ambove; aut, si aberunt, M. Cornutus, prætor urbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat.

Quumque virtus legionum digna clarissimis imperatoribus exstiterit, senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ea summo studio, republica recuperata, persoluturum: quumque legio Martia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita cum majore numero hostium contenderit, ut plurimos cæderent, caperent nonnullos; quumque sine ulla retractatione[6] pro patria vitam profuderint; quumque simili virtute reliquarum legionum milites pro salute et libertate populi romani mortem oppe-

3. *Occisione occiderit.* Non placet omnibus hæc scriptura, quæ tamen potior est habenda. Vide Exc. VII.

4. *Imperator.* Regg. codd. add. *pro prætore.* J. V. L.

5. *Profligarit, occiderit.* Has autem copias L. Antonius ad prælium duxerat.

6. *Quumque sine ulla retractatione pro p. vit. profuderint.* Sine ulla detrectatione; nam, quamvis plures numero essent Antonii copiæ, in eas impetum, non modo libenter, sed etiam acrius ita fecere, ut abreptus cum iis Pansa, gravissimis fuerit vulneribus afflictus.

tiverint: senatui placere, ut C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter, ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque populi romani, pro urbe, templisque deorum immortalium profudissent, monumentum quam amplissimum locandum, faciundum curent 7; quæstores urbis ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere jubeant, ut exstet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumque divinam virtutem: utque, quæ præmia senatus militibus ante constituit, ea solvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, conjugibus, fratribus; iisque tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi vixissent, qui morte vicerunt 8.

7. *Curent.* Sic Ferrarius et recte, nam sententia necessario verbum illud requirit.

8. *Qui morte vicerunt.* Nulla post hanc orationem verba, aut in senatu, aut apud populum fecit Cicero. Quamvis jam provectus ætate esset, non deferbuerat certe patriæ studium, nec dicendi vis illa ac copia cessarat; extremam contra hanc Philippicam vehementius etiam ac fortius egit; et ea fuit præstantissimi viri, quasi cycnea vox. Senatus quidquid censebat orator, ratum fecit; et paucos post dies Brutus obsidione solutus fuit, et Antonius ad Alpes usque confugere coactus. At felicissimus ille belli gravissimi exitus Tullium pessumdedit. Namque senatus quum rempublicam novis constitutam fundamentis judicaret, Octavianum Cæsarem neglexit, qui nullo modo ad arma, patriæ caritate impulsus, festinarat. Tum ambitiosus juvenis cum Antonio in gratiam rediit, et morte Ciceronis sancitum fuit sceleratissimum hoc fœdus. Sicuti antea Octavium Marius Cinnaque, quum Urbem sunt ingressi, violenta morte mactavere, ita Romæ potiti Antonius et Cæsar Ciceronis nece tot civium funeribus quodammodo prælusere. Cum illo periit exstincta in perpetuum libertas, quum nulla apud populum, nulla apud senatum de perditissimorum hominum consiliis opprimendis vox audiretur. Et illud in maximis laudum Ciceroni fuit, quod fere postremus apud Romanos civium patronus perierit, unaque consepulta jacuerit publica libertas.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 1, p. 588:

Quo die propter ejus salutem redierimus ad vestitum, hunc ei fructum, etc.

Redierimus ad vestitum hunc, etc. Palat. sec. non habet illud, *ad vestitum*, Mauritianus ejus loco substituit, *ad togam*: aliud quid videtur latuisse: an? « redierimus ad nos ». Grut. — In Græv. et Colon. etiam non reperitur « ad vestitum », quamvis in hoc adscriptum sit a secunda manu. Sed in Francii et Amsterod. habetur: nec tamen probo. Nam *vestitus* simpliciter pro *toga* nemo dixit. Probo Mauritiani scripturam. Græv. — Mihi vero Mauritiani lectio interpretem redolere videtur. Quod enim *vestitus* togam per se non significet, ea fuit interpretandi causa. Sed haud minus licuit id hic usurpare, quam supra, « reditum ad vestitum confectæ victoriæ reservate ». Aperta res erat tum ex toto loco, quo de togis resumendis agitur, tum ex locutionibus illis, « ad pristinum vestitum, ad eum, quem cupimus, optamusque, vestitum », quæ intermiscentur. Itaque molestiæ vitandæ causa bis ponitur *vestitus* tantummodo, ut referatur ad superiora, ad eum vestitum scilicet, de quo agebatur, quum nullum esset fallendi periculum. Accedit, quod « redire ad vestitum », quum de Romanis est sermo, ad eum vestitum redire significat, qui Romanorum erat proprius, atque communis, id est, ad togam. Sic « redire ad ingenium » aliquis dicitur, quum ad naturam suam redit, quam aliqua in re vicerat. Recte Grævius a Ciceronis verbis manus abstinuit, eamque lectionem retinuit, a qua soli ab ipso, et a Grutero nominati libri discedunt, quam ipse immerito repudiabat, quam denique Maurit. interpretando confirmat, pauci alii absurde prætermittunt. Garat. — MS

39.

Huyd. et Guelf. *tantum;* recepit Ern. et Sch. Nihil potest esse verius, quam *vestitum*, quod docuit Garat. Ab initio cap. sequentis placet Ern. lect. Huydec. « tenete, tenete memoria », contendit enim *vestra* hic non usitatum esse.

Hunc tantum ei fructum. Tantum a libris veteribus abest. Ferr. — His libris jam inde a P. Man. obtemperatur, iisque magnopere favet optimus Colon. quem Grævius tradit *tantum* inter lineas diversas manu adscriptum habere, quæ scilicet interpolatoris, ibi frequens, manus esse credetur. Verumtamen secunda manus in eo cod. non semper est mala, ut modo vidimus alia in additione, *ad vestitum*. Editi vèteres, et ambo Barb. tam apte inserunt vocem *tantum*, quam nunc video a Mureto quoque retineri, ut spuriam affirmare non audeam. Sexcenti sunt apud Tullium similes loci. Gar.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 4, p. 592 :

Quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit?

Ad expiandas egestates. Ad explendas quidam reposuerunt : ut illud de Prov. cons. « Ad explendas suas cupiditates ». Ferr. — *Quam ille ad expiandas egestates latrocinii sui concupivit?* Tale quid supra etiam habuimus in orationibus : at Pal. prim. *explicandas*, sec. quart. *explendas*, quomodo edidere Manutius ac Lambinus : nescio quam bene. Gruter. — Optime sane. Latine loquentes non intelligunt, quid sit « expiare egestates latrocinii » : expiare cladem, injuriam, scelus apud idoneos scriptores quid notet, nemo ignorat. Sed « expiare egestatem » pro *abolere* ne Apuleius quidem dixerit. Vere hunc locum emendarunt, qui legunt « ad explendas egestates », ut jam reposuerunt Faernus, Muretus, Manutius et Lambinus. Sed quid « egestas latrocinii? » Quamvis sic in omnibus libris scribatur, legendum tamen « latrociniis suis » : ultimam literam in *latrociniis* absorpsit eadem litera prima sequentis vocis *suis :* dein *suis* fuit accommodandum ad *latrocinii*, ne in canonem grammaticum impingatur : inde natum *sui*. Urbem concupivit ad egestates suis latrociniis explendas, urbem diripere constituens. *Egestates* dixit, ut alibi, *nobilitates* in lib. de Offic. *honestates* orat. pro Sext. « in qua omnes honestates civitatis, omnes ætates, omnes ordines consentiunt ». Græv. — *Explendas* a Naugerio est, cujus fidem duo illi Palatini hactenus soli comprobant. Eum sequuti sunt Gryph. Faern. Muret. Lamb. Græv. et recentiores, quibus adsentior. Neque J. F. Gronovius h. l. adferens Lect. Plaut. p. 275, ullam de Naugeriana lectione sibi esse dubitationem ostendit.

Tu vero consule, quæ loco simili de Prov. Cons. 1, eadem in varietate disserui. Sed statim dissentire cogor a Græv. Quid enim reponamus « latrociniis suis », quum et o. l. et consuetudo loquendi repugnet? neque enim ferri possunt *egestates*, ut cujus, aut quorum sint, non indicetur. Ego vero *latrocinium* poni censeo pro latronibus, quomodo Antonii comites, homines egentes, et perditi appellantur infra cap. 7, ad Div. X, 6, alibi, et eo præcipue loco, qui huc maxime pertinet, Phil. VIII, 3 : « Miserrimum illud est, quod ille latronibus suis pollicetur primum domos : urbem enim se divisurum confirmat ». Ita *servitium* pro servis, et alia similiter. Intelligi etiam potest egestas latrocinii comes, quod, bellum patriæ inferens, tum agebat Antonius. Supra, XII, 12 : « possumusne igitur in Antonii latrocinio æque esse tuti ? » infra cap. 12 : « hæc se prima latrocinio abrupit Antonii » : item ad Div. XII, 25 : « republica Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata ». In Catil. II, 7 : « hunc ego hominem tam acrem, etc. nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem ». Peccat certe Lallem. conjecturam Grævii recipiens, quod auctor ipse facere non est ausus, eamque cum Ferrario et Faerno communicans. Ne hoc quidem suspectum habuit Gronov. l. c. Gar. — *Expiandas* Ern. quamquam probat *explendas*, in textu retinuit, Sch. recepit bonam lectionem *explendas*. Erravit etiam Ern. in explicanda significatione genitivi « egestates latrocinii », in quibus, quamvis perpetuum latrocinium faciens, tamen permansit. Adsentior prorsus Garatonio in horum verborum sensu constituendo.

Quam jam peritus metator. Lambiniani, « jam pridem metator », contra vetustius cusos, omnesque MSS nostros. Grut. — Quatuor editiones Lambini habeo, Parisiensem 1566, Bernardi Turrisani, omnium præstantissimam sine notis in margine, sed ex qua in reliquis notas marginibus appositas formarunt : nam ex illius editionis contextu sunt excerptæ : Venetam 1579 : Argentoratensem 1581 : Geneven-

sem Jeremiæ *des Planches* 1584; sed in nulla harum legitur « jam pridem metator ». In sola Dionysii Gothofredi editione Lugdunensi 1596, sic legitur. Non igitur Lambino id adscribendum. Græv. — At ego in splendidissima illa, et majori Lambinianæ repetitione anni 1584, ex officina Jeremiæ *des Planches*, quæ *Sanctandreana* dicitur, utique inveni, « quam jampridem metator, et callidus ». Inde igitur hoc mendum hausit Gothofredus, quod non Lambini esse, sed ejus repetitorum, Gruterus ignoravit. Gar.

A domesticis hostibus, id est, qui intra mœnia hostes sunt. Dii malefaciant isti imperitorum generi, qui sub omnibus rebus glossemata subscribunt : quæ causa libros mendis refersit : sed quædam tamen ita perspicua, ut fugere neminem possint, nisi eum, qui plane cæcus ignorantia sit, aut certe omnibus in rebus conniveat. Ut illud in Catil. orat. IV, « Ut sui oblitus, alii memoretur »; et illud pro Rosc. Amerino, « Insutus in culeum : supplicium parricidarum ». Et apud Varronem lib. VI : « Non solum quod dicitur, malum consilium consultori esse pessimum : sed etiam bonum consilium, qui consulit, et qui consulitur, bonum habendum ». Quædam vero ita figuram veri fallaciter imitantur, ut difficile sit internoscere : cujusmodi illud pro Milone, « Quid, quod caput audaciæ est? » nam *audaciæ* meo quidem judicio subdititium est : oculis tamen non intentis, neque acriter intuenti verum esse videbitur. Quorsum hæc oratio? inquies : ego verba hæc, « id est, qui intra mœnia hostes sunt », etsi omnes libri contra faciunt, non dubito tamen, quin glossema sit, atque ex eo genere quidem, quod nemini nisi plane hebeti objicere possit errorem : etenim quid erat, quod se ipsum perinde M. Tullius interpretaretur, quasi quidquam novum aut insolitum extulisset? nonne « domesticas insidias, domesticum bellum, hostes etiam domesticos » pro intestinis semel, et sæpius usurpavit? quocirca ex libris hæc potes meo periculo tollere. Ferr. — Miror, P. Man. Car. Steph. et Muret. hoc glos-

sema certissimum non sustulisse. Primus, quem viderim, sustulit Lambinus, MSS ad hanc diem omnibus immerito repugnantibus. Sed adhuc superest interpunctio sananda. Neque enim a domesticis hostibus, hoc est, ab iis, qui Romæ Antonio studebant, senatus quidquam timuerat, sed ii rumores falsos de Antonii rebus prospere gestis dissipaverant. Sic ergo distingue, « quid hoc biduo timuerimus, a domesticis hostibus rumoribus improbissimis dissipatis », ut in unius Aldi nepotis editione conspexi. Postulatur hoc a sequentibus : « hæc a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus ? » quæ procul dubio ad eos pertinent, qui erant apud Antonium, quos *hostes* Cicero, « improbos et audaces » P. Servilius appellari volebat. Hæc autem duo genera hostium aperte distinguuntur cap. 5, ubi iis verbis, « tanta multitudine hostium interfecta », subditur, « ita, inquam, hostium, quamvis hoc isti hostes domestici nolint ». Atque hi quidem domestici hostes aliquid occulte moliri cœperant eo ipso biduo, ut constat ex cap. 6. Sed, quamvis civitas intelligeret, victori Antonio urbanos adjutores minime defuturos, dubitari non potest, quin Antonii victoriam unice timeret, quo ex fonte omnes erant in bonos acerbitates redundaturæ. Postea tamen, quum Antonium Lepidus recepisset, sic Cicero scripsit ad Brut. epistol. X : « Ingravescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis, quam domesticis, laboramus ; qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur ». Quod hic dicitur, « hoc biduo », sic immutatur cap. 6 : « quum, ut scitis, hoc triduo, vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret » : item epist. 3 ad Brut. « triduo vero, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam (ante XII kal. maias) timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum conjugibus et liberis effundebat ». Hoc biduum fuisse dixerim XIV et XIII kal. maias, qui duo dies illum proxime antecesserunt, quo Antonii fugati nuntius allatus est. GAR.

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 5, pag. 594 :

Et quidem invitus : sed injuriæ dolor fecit me præter consuetudinem gloriosum.

Sed injuriæ dolore aio, etc. « Sed injuriæ dolor facit », perspicue rectum. Ferrar. — Si libri veteres, quos hic non nominat, mendosi erant, ut mei, et plerique, loci emendationem Ferrarius hausit ex Naugeriana : quam Camer. P. Manut. et silens Car. Stephan. expresserunt, omnesque deinde. Grut. *fecit* primus invexit, quum antea *facit* ederetur, quod sine causa immutatum restituo. De hac re sic ipse scribebat ad Brut. ep. 3 : « Quo quidem die (XII kal. maias) magnorum meorum laborum, multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. Nam tantæ multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus : ea cum (absunt *ea cum* a cod. Barb. sed major in eo lacuna relinquitur, quam quæ ab iis vocibus repleri posset) usque in Capitolium deductus, maximo clamore atque plausu in Rostris collocatus sum. Nihil est in me inane ; neque enim debet : sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque me commovet, propterea quod popularem me esse in populi salute præclarum est ». Gar.

Etiamne eos, qui omnes. « Etiam in eos ? » omnes l. v. probe. Ferr. — *Nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri ? etiam in eos, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt.* Hic locus imperfectus et mancus est, nec, quid sibi velit, quemquam arbitror scire : in exemplaribus vero, quæ multa vidi, nihil præsidii : ego ante annos duodecim in hanc sententiam adductus sum, esse hanc periodum mutilatam, distractione

eorum verborum, quæ infra sunt, « Crimen invidia quæretur »; quæ quum male infra cohæreant, si huc transferantur post *defigunt*, addaturque post *invidia* litera *q*. cum puncto, significans *que* copulam, quæ litera non incommode geminari potest ab insequenti dictione *quæretur*, egregie restitutum esse hunc locum puto in hunc quem subjecimus modum : « Nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri, etiam in eos, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt, crimen invidiaque quæretur? » Hanc ego emendationem semper quidem probavi, sed multo etiam magis, ex quo eam Paulus Manutius impressit. Restat alius locus huic proximus, cui et ipsi remedium afferre conabor : is est, « Aliquemne imperatorem » : quæ verba sane varie leguntur in libris scriptis : alii enim post *aliquem* particulam *ne* habent, alii vocem *non* : utram vocem admittes? Ego utramque ut titubantem rejicio : alii pro *imperatorem*, *imp.* alii *in pejus*. Ego *impium* lego, atque has duas voces, *aliquem impium*, transpono post tria verba, quæ statim sequuntur : ut totus locus ita præcedentibus continuetur, « scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per idus quintiles, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum, credo hoc in aliquem impium, gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum ». Hic tamen nihil mutamus, sed tantummodo nostram conjecturam testatam esse volumus, et præterea nobis displicere tempus iduum quintilium, quum hæc mense aprili facta et dicta sint, ut Ferrarius adnotavit. Faern. — *Etiam in eos, qui omnes*, etc. In hoc loco restituendo partim codices veteres, partim Gabr. Faerni, Hieron. Ferrarii, Georg. Buchanani conjecturam sequutus sum. Atque hæc emendatio ita jam certa est, ut nullus cuiquam dubitandi locus sit relictus, præterquam quod vox *Catilinam* mihi videtur aliena, et foris illata : eam tamen tollere non sum ausus. Jam hoc totum, *pridie vinalia*, pro *prid. idus quintil.* Ferrarii est, quod quidem ita mihi vide-

tur certum et rectum, ut, cui non probetur, eum fœnum esse oporteat. Illud autem, « crimen invidiaque quæretur », post *defigunt*, hic est suo loco redditum : quod erat alieno positum : ibi, « habituri erimus, crimen invidiaque », et cetera partim Faern. partim Buchanani, partim nostra. LAMB. — *Etiam in eos qui, etc. defigunt in pejus crimen invidiaque quæretur?* Ita hunc locum fractum luxatumque redintegravi, auctoritate Pal. sec. qui tamen habebat pro illo, *in pejus*, verbum *impetus*, aberatque enclitica *que*. GRUT. — Muret. ed. « N. s. e. a. h. v. i. g. b. m. non referri, nisi etiam in eos, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt, crimen invidiaque quæratur? » Istud *in pejus*, quod in nonnullis MSS est, et ex iis hic repositum a Grutero, quomodo ad hunc locum pertineat, nullus video, et jam olim animadvertit Faernus. Expunxi itaque has voces, quas male hic inculcarunt. GRÆV. — In meis omnibus ante Lambin. editis, et in utroque Barb. locus est trajectione illa verborum, et mendis informis. Tamen iidem Barb. Rom. et Ven. item cod. Barbad. « etiam in eos ». Ferrettus ita refinxit : « etiamne in eos obloquentur, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt? scitis enim, etc. descensurum : aliquemne imperatorem habituri erimus? crimen invidia quærebatur? » Barb. ambo, *quæreretur*, ceteri constanter, *quæretur*. Joh. Marius Mattius Opin. I, 13, hac usus emendatione Faerni, *quæritur* adfirmative legebat, ut locus esset Terentiano similis Phorm. V, 2, 3 : « nonne id sat erat, Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum ». Sed nihil erat necesse a libris in ea voce discedere. GAR.

Per idus quintiles. Hæc prælia, quibus de agitur hac oratione, facta sunt ad XVII kal. maias : ut ex epistola Galbæ licet intelligere : vel XVIII, ut in lib. IV Fastorum apparet apud Ovidium. Nuntius hujus victoriæ Romam venit ad XII kal. maias, quod epistola quadam ad Brutum hic ipse declarat : « Triduo, inquit, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam timore quodam perculsa civi-

tas tota ad te se cum conjugibus et liberis effundebat : eadem recreata ad XII kal. maias te huc venire, quam se ad te ire malebat ». Hæc autem oratio postridie ejus diei habita est. Illa verba declarant, « Quum hesterno die propter eorum res gestas me ovantem, et prope triumphantem populus romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit ». Quorsum hæc? ut clarissime perspicias, hunc locum omnino esse depravatum. Ad restituendum autem, et corrigendum lib. veteres mihi nihil sane lucis ostendunt, quo meas cogitationes dirigens ad veritatem perveniam : nihil enim differunt ab impressis : hoc teneo, hunc diem inter Palilia et Vinalia medium fuisse : ex quo conjectura ducor ad suspicandum, vel *postridie Palilia*, vel, quod etiam magis placet, a scriptura enim propius abest, *pridie Vinalia* esse reponendum. Ferrar.—*Pridie Vin.* Eo minus dubitandum est, quin recte hunc locum Ferrarius emendaverit, quod vidi veterem librum Venetiis, in quo legebatur *prid. quin.* non, ut in iis, quos ipse viderat, *peridie quin.* ita ut unam modo literam detrahere oporteat. Mur. — *Me per idus quintiles, qui dies hodie est.* Ita est in vulgatis Victorii et Manutii codicibus, male. Ant. Angustinus legit, « Me pridie Quinquatrus », nihilo melius, sed contrario, quam illi, errore; pugna enim Mutinensis circiter idus apriles facta est : Quinquatrus autem post idus martias celebrabantur. Totum autem hunc locum ita legebat Pantagathus, minore, ut ipse dicebat, strepitu, et commodiore fortasse sensu : « Nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiamne iis, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt? scitis enim, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per idus apriles, qui hodie est, cum fascibus descensurum : at quem in imperatorem crimen invidia quæritur? credo hoc in gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum, non in eum, etc. » F. Ursin. — *Descendere per idus* num latine dicitur? Nonne Cicero dixisset « descendere idibus, qui

dies hodie est? » Sic mecum existimabunt, qui latinæ consuetudinis non sunt imperiti. Quæ omnia probabiliorem reddunt conjecturam Ferrarii, quam receperunt Muretus et Lambinus : id quod ego non ausus sum contra libros omnes, quamvis vitiosam esse vulgatam lectionem nemo non videat. GRÆV. — Ferrarii conjecturam, *pridie Vinalia*, receperant ante nos Muretus et Lambinus. Quare non erat cur vulgata lectio, quam vitiosam esse nemo non videt, hic retineretur. Nemo interpretum hæc melius explicavit, quam Fabricius in Ciceronis historia. OLIVET. — *Pridie Vinalia* : quæ X kal. maias celebrabantur. Ita ex conjectura emendavit Ferrar. quum in MSS mendose scribatur, « per idus quintiles ». LALL. — Ferrarii conj. mihi quoque recipienda videtur, cui præter historicam rationem, et vestigia corruptæ scripturæ codex ille Venetus a Mureto visus adeo suffragatur, ut audaciæ nota recipientes liberare facile possit. Non est autem novum, a festo aliquo anni stato, et solemni diem computari. Sic in lapide vetustissimo apud Mazoch. Amphith. Camp. p. 148, habemus, « ante diem decimum Terminalia ». Livius, XXVI, 27 : « nocte quæ pridie Quinquatrus fuit », et XXXV, 7 : « diem finiri placuit Feralia, quæ proxime fuissent ». Festus, pag. 259 ed. Amstel. *postridie Volcanalia*. GARATON.

Aliquemne imperatorem habituri erimus? crimen invidia quæritur? Sic Lang. et ceteri fere s. l. « Aliquem ne ipeius crimen invidia quæretur »; unus modo sic, « Aliquemne imper. habituri erimus invidia quæreretur »; et alter, « Aliquem ip. crimen invidia quæretur » ; ego sic, « Aliquemne imperatorem? eis crimen invidia quæretur » : ut eorum, qui fasces ad Ciceronem delaturi fuerunt, sit oratio consultantium, quonam modo facile ipsum de medio tollerent. Fasces, inter se dicebant, ad eum deferemus : deinde et vociferando, « Aliquemne imperatorem? » et fasces ostentando, et crimen in eum quæremus, et invidiam parabimus : quo in motu, et concitatione populari et operas con-

ductas in eum immittere, et nullo negotio interficere poterimus. Quos autem fugiebat, eam notam, *imp.* scilicet, imperatorem significare, ex *eis* fecerunt *ejus*, et cum illo copularunt : quod si cui magis arriserit, « Aliquemne imp. crimen invidia quæretur » : illud sequatur licebit : non pugnabo : habebit enim eamdem sententiam, et in libri veteris auctoritate delitescet. Ferr. — *Quem ? me imperatorem.* In aliis, « aliquemne imperatorem ? » Hunc locum conjectura tantum ductus mutare ausus sum : sed quæ ita certa videbatur, ut non recusem, quin, quantum de illa, tantumdem de opinione ingenii mei detrahatur. Muret. — *In aliquem credo hoc gladiatorem*, etc. Eidem libro debetur periodi quoque istius persanatio, miserrime hactenus distractæ, distortæque ab medicis creticis non medicis. Et sane, qui sine subsidio membranarum aggreditur medicinam facere auctori alicui, nihil aliud debet doctis ac bonis quam ludibrium : in hac nostra emendatione omnia liquent : solum illud *consultum* obscurius est : sed erat in omnibus Pall. et olim impressis ; mutarantque neoterici in *confictum* : ceterum « imperatorem habituri erimus ? » exstat quidem in vett. edd. sed in nullo Palatinorum : itaque vel istius emendationis causa non pœniteret me ærumnosi laboris, quem posui in comparando Cicerone cum MSS. Grut. — Muretus edidit, ex conjectura, ut ipse ait, « Cum fascibus descensurum, quem ? me imperatorem. Credo hoc in gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse confictum, non in eum ». Lambinus vero : « Cum fascibus descensurum. Credo hoc in aliquem impium gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse confictum : non in eum, qui ». Græv.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 6, p. 595:

Viribus suis potius, quam reipublicæ infelicem, congregabant, etc.

Viribus potius suis, quam reip. infelicem. Libri scripti non discrepant ab impressis. Quidam pro *viribus*, *vitiis* reposuerunt: quorum ita neutrum probo, ut illud tamen, quam hoc, multis partibus malim defendere. Etenim si quis a me horum verborum sententiam requirat, et causam, cur ita dictum sit a Cicerone, quærat: nihil ei omnino mihi videar posse respondere: at in illud alterum fortasse aliquid, si non verum, at saltem quod animos aliqua probabilitate percutiat, afferre possim. Dicam enim, id M. Tullium significare voluisse, quod in secundo lib. de Nat. Deor. declarat: « Quid vero, inquit, Cæsarem putamus, si divinasset fore, ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet: quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? » Illam igitur curiam Pompeianam interpretarer, quam, quod in ea Cæsar interfectus esset, infelicem appellatam esse contenderem: nam *viribus suis* Cæsari exponerem, cujus etiam mortui nomen valeret apud plurimos, maximasque vires illi causæ daret: sed, ut dixi, non summopere placet: nam ut, quod ego supra explicavi, id sentiat Cicero, illud tamen *viribus* sc. *suis* et nimis durum, et valde productum mihi videtur: quoniam tamen hæc scriptura vetustatis quasi radicibus innititur, ex libris evellenda non est, sed tantisper ei stan-

dum censeo, dum verum ex tenebris eruamus. Ferrar. — *Ad illam curiam suis potius, quam reip. infelicem.* Qui curiam Pompeianam, quod in ea Cæsar interfectus fuisset, infelicem ex eo nominaverant, hoc videlicet significare voluerant, eam reip. infelicem fuisse: utpote in qua patri patriæ nex allata esset: at Cicero eam eis potius infelicem esse ait, qui partes illas foverent, et, ut Cæsar fecerat, remp. opprimere molirentur. Itaque quod in aliis legebatur, *viribus suis*, aut *viris suis*, aut *vitiis suis*, addita hæc erant ab iis, qui, quam vim haberet illud *suis*, non videbant. Muret. — *Viribus potius suis, quam reip. infelicem.* Ant. Augustinus, « civibus potius suis ». F. Ursin. — A Franc. et Amsterod. *infelicem* abest. Sed Muretus edidit: « ad illam curiam suis potius, quam reip. infelicem ». Græv. — Eadem illa vox in utroque Barb. deest. Locus est obscurissimus, quem Muretus emendare, Ferrarius et Manutius diverse explicare conantur. Nemo autem ita mihi satisfacit, ut melioris lectionis desiderium auferat. Nemo interea Mureto melius, cui Lambin. est obsequutus: modo *suis* pro Antonianis accipiamus, qui senatusconsultis fuerant in ea curia confixi, quam ipsi « reip. infelicem » ob necem Cæsaris dictitabant. Senatus auctoritas bellum, et cladem Antonio inflixerat. Gar.

EXCURSUS V

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 10, pag. 603 :

Castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumque prælium fecit, etc.

Castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumque prælium fecit. De hac re silent Galba, Dion, Appianus. Perperam enim Ferratius, Epist. VI, 3, verba Galbæ, quæ de Pansæ castris ab Antonio nequidquam oppugnatis loquuntur, ad Cæsaris laudem transtulit. Alia Cæsaris erant castra : ea nimirum, quæ cum Hirtio prope Mutinam posuerat, atque unde Hirtius tum est profectus, ut collegæ, cui advenienti legionem Martiam, et cohortes prætorias miserat, opem ipse aliam ferret cum XX cohortibus : quæ denique castra, in quibus Cæsar remanserat, a castris Pansæ aberant ἑξήκοντα στάδια, sive mill. pass. circiter VIII, ut ex Appiano, pag. 926, cognoscitur. Quum autem ex Dione, XLVI, 37, constet Antonium, antequam in Pansam iret, castra Hirtii et Cæsaris oppugnare cœpisse, partemque copiarum, quæ oppugnare pergeret, discedentem reliquisse, hanc partem Antonianorum a castris suis repulisse ac fudisse Cæsarem patet. Quam quidem nec virtute, nec numero insignem crediderim : nam robur exercitus in Pansam eductum fuit : pars alia obsidione Mutinæ detinebatur. Gar.

Ita trium imperatorum populi romani. Duo hæc extrema verba a libris vett. absunt : quod placet. Ferr. — Nec ista verba sunt in Græv. codice. Græv.

Quas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia. Hæc duo verba, « ipsa sententia », abundare videntur. Fabrn. — Meus codex : « Causis ut ho-

norificentissimis verbis consequi potuero, complectar ipsa sententia ». Quid sit « supplicationes sententia complecti », id quidem me ignorare fateor. Sed « causas supplicationum sententia complecti » quid notet, norunt omnes, qui latine sciunt. Et sic omnino cum Mureto legendum, qui procul dubio id in antiquis membranis reperit, ut ego in meis, nisi quod in his scribatur « causis » perperam pro « causas ». Has causas, cur tam honorificis verbis eos prosequatur, commemorat in ultimo hujus orationis capite. GRÆV. — Nisi Muretus, et codex Grævii fuisset, locum depravatum ubique legeremus. Compendium *cās*, quo « causas » indicari solebat, istud tam propagatum *quas* peperisse videtur. GAR.

Ipse consequi potero. Iisdem libris auctoribus *ipse* delendum est. FERR.

Quamquam ea, quæ nos promisimus. Omnes libri veteres, « quamquam nos ea, quæ promisimus ». FERR. — In Barb. secundo *nos* plane omittitur. GAR.

Studiose quamquam multa. Eodem modo libri scripti. Quidam pro « quamquam multa » reposuerunt « cumulata » : quod si non verum, probabilius certe est. FERRAR. — *Studiose quamquam multa reddemus*. Ego eos sequor, qui pro « quamquam multa » reposuerunt « cumulata », quam et Ferrarius magis probabilem lectionem putat. FABRIC. — *Studiose, cumulateque reddemus*. Alii, « studiose cumulata reddemus », emendarunt, conjectura quadam ducti, quum omnes libri MSS habeant « quamquam multa » : ego, « studiosé, cumulateque reddemus ». LAMBIN. — Conjecturam suam, quamvis bonam, recepit temere Lambinus. *Cumulata* primum vidi in Naugeriana, tum in ed. Camer. et in Gryph. MDL, quum antea Gryph. id rejecisset ad marginem, deinde apud Muret. denique in ed. Grut. qui firmam ei verbo possessionem dedit. Nec dubito, quin auctores habeat codices. Sunt autem hic *cumulata*, non aucta, sed plena, quibus nihil deest, ut pro Sext. 40 : « hoc sentire prudentiæ est, facere fortitudinis : sentire vero, et facere,

perfectæ, cumulatæque virtutis». Nam in virtute nihil superest; et «cumulata virtus» non cumulum aliquem habet supra virtutem, sed omnium virtutis partium cumulum continet, ex quibus conficitur. Ita senatus ea, quæ promisit, *cumulata* dicitur persoluturus, quia omnibus partibus integra sine ulla detractione persolvet. Ea vero supra enumerantur, V, 19, VII, 3. Barber. sec. «studiose multa reddemus». Factum primo videtur «quum multa», deinde *quum* ejectum, aut in *quamquam* mutatum. Barb. primus, «studiose quamquam cum difficillimo R. P. tempore», eadem lacuna, quam in suo Græv. invenit. GAR. — Ernest. «quamquam nos ea, studiose cumulata r.» Deinde idem sine causa idonea pro «quum d. reip. temp. sequuti sunt», in textu posuit «sequuti sint». Quamquam *quum* est conjunctio causalis, hoc in loco tamen eamdem vim hic habere videtur, ut sæpe, quam sustinet, quoniam, ἐπειδή. Paullo post pro «flagitari videmur» Huyd. «flagitari videbamur». Conjecit Ern. *videbimur* aut *flagitabimus*. Neutrum opus est.

EXCURSUS VI

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 12, pag. 606:

Piorum estis sedem et locum consequuti.

Piorum estis sedem. A beatæ vitæ præmiis allicit cives ad tuendam remp. ut etiam Scipio ille major juniorem adhortans apud Cic. inquit: « sed quo sis, Africane, alacrior ad tuendam remp. sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo, ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur ». Talem etiam sedem attribuit Demosthenes Ἐπιταφ. λόγῳ Atheniensibus, qui in bello ceciderunt. Πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι, οὓς παρέδρους εἰκότως ἄν τις φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι, τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν μακάρων νήσοις. « Nonne hi beati sunt judicandi, qui eamdem cum diis immortalibus sedem, et locum adepti sunt, eamdemque cum illis priscis bonis, et præstantibus viris in fortunatis insulis conditionem? » Curio.

Brevis autem nobis vita data est. Sic IV libri veteres, in queis Lang. « Brevis a natura vita vobis data est »: quod tamen rejicio: rejicio autem ob eam causam, quod insequens membrum, quod paria paribus respondere debet, mancum quodam modo atque imperfectum videbitur: nam *memoria* ad *vitam*, *sempiterna* ad *brevem*, *redditæ* ad *data: a natura* suo tamquam pari carebit: sic enim esset integrum, « At a senatu memoria bene redditæ vitæ sempiterna »: vel quid ejusmodi. Ferrar. — *Brevis autem vobis vita data est.* Nos illam aliam lectionem magis probamus, quæ in aliquot antiquis libris est, « Brevis a natura vita vobis data est »; nec nos id movet, quod tanto opere offendit Ferrarium, quod hic paria paribus non reddantur, ut, sicut in priore membro dicit, vitam brevem a natura datam, in inferiore non

dicat, datam memoriam sempiternam a senatu: nam in inferiori membro non est subaudiendum *data est*, sed tantummodo *est*, ut sit, brevis quidem a natura vita nobis est data, sed memoria bene redditæ vitæ sempiterna est. Ut vero mihi impressa displiceat, primum facit dictio *autem*, ibi posita sine gratia et sine lepore: pro qua potius debuit esse vox *quidem*: deinde comma desinens in hemistichion heroicum, « vobis vita data est ». Faern. — *Brevis a natura nobis*. Sic Pal. sec. habetque illud *nobis* etiam tert. at *a natura* quatuor Ferrariani: vulgata, « brevis autem vobis, etc. » Gruter. — *Brevis autem vobis vita data est*. Significat eos juvenes adhuc fuisse, aut omnino vitam hanc totam brevem esse, quemadmodum Horatius dixit, « Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam ». Sic Demosthen. loc. cit. Οἱ δὲ εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ, πρῶτον μὲν ἀντὶ μικροῦ χρόνου πολὺν καὶ τὸν ἅπαντα εὔκλειαν ἀγήρων καταλείπουσιν. « At illi jure in beatis habendi sunt, qui breve tempus in immortalem gloriam commutarunt ». Curio. — Barb. ambo, et mei omnes ante Grut. editi servant profecto *vobis*: immo scripti etiam, opinor, omnes, duobus illis Palatinis exceptis. Utrumque rectum arbitror, quamvis *a natura* pro *autem* quinque solis, at optimis ex MSS adsciveris: quæ quidem commutatio ex compendio *ana*, et literæ *n* inversione profluxit. Unum caveto, ne munus naturæ eo, quo milites in acie sunt interfecti, tempore definias: quod a Tulliana philosophia vehementer abhorreret. Fato quidem mors illa tribui fortasse posset, quum ad casus belli pertineat, martemque communem: sed naturæ profecto numquam. Hinc laudavit modo Cicero hanc mortem, « quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita »: debebatur enim ad incertam diem, quam patriæ caritas repræsentavit. Confer locum similem X, 10; sed præcipue insignem illum audi ex I, 4: « si quid mihi humanitus accidisset; multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum »: vim enim ac mortem minitabatur Antonius. Egregiam ibi vide adnota-

tionem Abramii. Non igitur idcirco brevem natura his militibus vitam dedit, quod immaturam mortem obiverint, sed quod breve cunctis hominibus tempus vitæ sit constitutum. Atque hoc etiam sensu rectum est *vobis*, ut vidit Curio. Brevem, inquit, acceperatis a natura vitam, quam cito reddere oportebat : at, quum vitam illam præclare pro patria reddidistis, sempiternam rei memoriam reliquistis. « Ita, ut infra concluditur, pro mortali conditione vitæ immortalitatem estis consequuti. » Porro confer egregium de vita patriæ reddenda locum Rhet. ad Herenn. IV, 44, in quo Decius ad extremum ita laudatur : « amisit animam, potitus est gloria, quæ cum summa laude prodita, vetustate quotidie magis enitescit ». Lysiæ quoque peroratio funebris orationis, quæ ordine secunda est, huc maxime pertinet. Ibi pag. 130, ed. Reisk. Græci milites in acie interfecti beatissimi prædicantur, οὐκ ἐπιτρέψαντες περὶ αὐτῶν τῇ τύχῃ, οὐδὲ ἀναμείναντες τὸν αὐτόματον θάνατον, ἀλλ' ἐκλεξάμενοι τὸν κάλλιστον. « Qui se fortunæ non permiserunt, neque mortem sese ultro inferentem exspectarunt, sed pulcherrimam delegerunt ». Qui locus observationi nostræ valde opportunus est : quamquam Cicero moderatius cap. 13, *pulcherrimum* istud *genus mortis* iis, quos ornat, *obtigisse* dicat. Sed qui strenue ad extremum usque spiritum pro patria dimicat, is mortis gloriosæ casum quodammodo deligit : immo plane, non modo si *victori libertas parata* sit, *mors exposita victo*, ut supra dicitur VIII, 10, verum etiam si patriæ libertas agatur, quæ Demosthenis ὑπόθεσις est hanc rem explicantis illustri loco περὶ στρεφάνου, pag. 296, ed. Leips. quem Gellius, XIII, 1, sequi Tullium censet in prima Philippica l. c. Ὁ μὲν, inquit, τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει· ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνήσκειν ἐθελήσει, καὶ φοβερωτέρας ἡγήσεται τὰς ὕβρεις, καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη, τοῦ θανάτου. « Qui se parentibus natum solis existimat, a natura, atque a fato mortem exspectat. Qui etiam patriæ; ne hanc servitute op-

pressam videat, emori volet : morte acerbiores ducet injurias, atque ignominias, quas in serva civitate perferre necesse est ». Pergit autem Lysias : καί τοι γὰρ ἀγήρατοι μὲν αὐτῶν αἱ μνῆμαι, ζηλωταὶ δὲ ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων αἱ τιμαί· οἳ πενθοῦνται μὲν διὰ τὴν φύσιν ὡς θνητοί, ὑμνοῦνται δὲ ὡς ἀθάνατοι διὰ τὴν ἀρετήν. « Numquam igitur eorum memoria consenescit : honores eorum omnibus invidiæ sunt : lugentur, ut natura mortales, celebrantur, ut virtute immortales ». Gar.

Quæ si non esset longior. Sic in Tusculan. Quæst. lib. I : « Nemo umquam, nisi spe magna immortalitatis, se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne vetera et externa quæram, mihi. Sed nescio quomodo inhæret mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque et exsistit maxime, et apparet facillime : quo quidem dempto, quis esset tam amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? » Beroald.

Ad summam laudem, gloriamque. Sic omnes fere libri veteres, « ad laudem, gloriamque summam ». Ferr.

Oblivione eorum qui sunt. Qui nunc sunt, o. l. v. utrumque omnino probabile, et huic scriptori usitatum : post red. ad Sen. « Cn. Pompeius vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute princeps » : et pro Lege Manil. « Non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit ». Sed ex duobus probabilibus id semper verum judicandum, quod libri vet. comprobarint. Ferr.

Nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. Liber Gad. (nam ceteri ab impressis non dissentiunt) *sepulta* : quid sibi velit, perspicuum est : et cum eo loquendi consuetudo facit : quæ solet eas res sepultas appellare, quarum dimissa commemoratio est, memoriaque deleta. Ego tamen ut hinc non sentiam, neque Ciceronem more vulgari loquutum existimem, faciunt verba consequentia, « Quum vobis immortale monumentum suis pæne manibus S. P. Q. R. exstruxe-

rit ». Arbitror enim virtutem *non insepultam* propemodum pro *immortali* dixisse propter elogia monumentorum, atque literas, quæ in sepulcris inscribi solent ad declarandas virtutes ac facta sepultorum. Ab eadem causa dixit Horatius, Africano « cui super Carthaginem virtus sepulcrum condidit » : ut enim monumenta sepulcrorum dum manent, tenetur eorum viva memoria, qui ibi siti sunt : sic dum Carthago exstabit, Scipionis virtus, ac victoria celebrabitur. Virtus igitur militum non insepulta erit : immortalitati commendabitur : quod sepulcrum monumentumque habebit : cujus inscriptio ipsam gentibus omnibus, atque omnium seculorum posteritati notam faciet. Ferr. — *Nec reticentia posterorum insepulta esse poterit.* Pal. sec. *sepulta*, quod et in uno Ferrarii, qui cur id rejiciat, petatur ex notis ipsius : nam ab eo recessi in suspicionibus meis, arbitratus *insepultum* venire ab *insepeliundo*, atque intendere; nedum præ se ferre contrarium. Grut. — Etiam Cl. Ernestus in Ind. sententiæ Gruteri subscribit. Sunt certe complura ejusmodi, ut *infractus* pro valde fracto, etc. Sed nulla reddi poterit ratio, cur ita loqui Tullius voluerit, loco, si non repugnante, certe non postulante. Aut igitur cum duobus optimis codicibus lege *sepulta :* aut, ceterorum scriptura retenta, mecum utere acuta, et egregia explicatione Ferrarii. Quam quidem mihi videtur mirifice confirmare Thucydides, in illa Periclea oratione funebri lib. II, c. 43, cujus ad exemplum rem similem a Cicerone tractatam Muretus existimavit. Κοινῇ γὰρ τὰ σώματα διδόντες, ἰδίᾳ τὸν ἀγήρων ἔπαινον ἐλάμβανον, καὶ τὸν τάφον ἐπισημότατον, οὐκ ἐν ᾧ κεῖνται μᾶλλον, ἀλλ' ἐν ᾧ ἡ δόξα αὐτῶν παρὰ τῷ ἐντυχόντι ἀεὶ καὶ λόγου καὶ ἔργου καιρῷ ἀείμνηστος καταλείπεται· ἀνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος· καὶ οὐ στηλῶν μόνον ἐν τῇ οἰκείᾳ σημαίνει ἐπιγραφὴ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ ἄγραφος μνήμη παρ' ἑκάστῳ τῆς γνώμης μᾶλλον, ἢ τοῦ ἔργου, ἐνδιαιτᾶται. « Quum enim pro rep. sanguinem profuderint, pro se quisque laudem sunt immortalem consequuti, et sepulturam honorificentissimam, non tam in qua jacent ipsi, quam in qua ipsorum gloria,

quotiescumque aut sermo inciderit, aut res tulerit, perpetuo celebranda relinquitur. Nam virorum illustrium orbis terræ sepulcrum est: neque virtutem eorum sola columnarum inscriptio testatur domi, sed etiam foris non scripta memoria magis apud animum cujusque, quam apud sepulcrum manu factum, permanet». Ad Horatii locum, quem Ferr. adfert, consulendus omnino Bentleius est (Epod. IX, 25), ex quo egregiam describo Valerii Max. I, 7, ext. 3, sententiam: «melius illi, et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens, quam in desertis arenis struxerat». Garat.

EXCURSUS VII

Ad ea Ciceronis verba, Philipp. XIV, cap. 14, p. 609 :

***Occisione occiderit*, *suo exercitu ita incolumi*, *ut ne unum quidem militem desideraverit*, etc.**

Occisione occiderit. Eodem modo o. l. s. *occidione occiderit* probat consuetudo : quæ ita loqui solet, quum internecionem significare vult. Ferrar. —Scriptores, stragem magnam, atque internecionem significare volentes, dicunt, « ad occidionem occidi ». Columella scribens de fucis ait : « nam nec ad occidionem gens interimenda est; ne apes inertia laborent ». Beroald. — Et *occidio* et *occisio* legitur apud idoneos scriptores in eadem significatione, etiamsi quidam distinguant, quod faciendum non est : quamquam malim *occidione* in Cicerone, et similibus legere. Curio. — Cod. Barbadorii, *occisione ceciderit*, atque ita ediderat in Justino Bongarsius, II, 14, 8; sed ei recte ceteri repugnarunt et MSS, et formulæ causa, de qua Pareus in Lex. crit. pag. 832, et post alios Drak. ad Liv. II, 51. *Occidione* autem hic ediderunt P. Manut. Car. Stephan. nullam ex suo cod. varietatem adnotans, Faern. et Lamb. et ante omnes Beroaldus id habet, quasi vulgatum, quum tamen mei veteres editi et MSS refragentur. Curionis judicium sequor, quum apud Livium, et alios constanter in hac formula sit *occidione :* quod hic restituendum merito censuit Arntzenius ad Auct. de V. Ill. XIV, et differre aliquo modo ab *occisione* docuit : sed MSS testimonia falso putavit a Ferrario se habere : quamquam de aliis, uno, aut altero non despero. Gar.

C. Cæsar imperator. Nonnulli s. l. « Cæsar Propr. imperator »; quod minime displicet : in SC. enim omnia honorum nomina fere adscribebantur. Ferr. — *Proprætore*, *impera-*

tor. Vocem priorem omittunt vulgati, quam servant codices. LALLEM. — Restituendam eam vocem omnino censeo, ut P. Man. Car. Steph. Mur. et Lamb. ante Lallem. fecerant, immo etiam Gryph. anno MDL, quamvis in cod. ipsius Stephani, et plerisque desit. Movet me tum generalis consuetudo a Ferrario animadversa, tum vero maxime superius illud de ipso Cæsare SC.V, 17 : « Quod C. Cæsar C. F. pontifex pro prætore ». Idem ibi repetitur, et in alio SC. c. 19. Atque adeo nescio, an etiam *pontifex* addi debeat : sed omittitur medio prioris illius SC. loco : quum quidem primo, tertioque adponatur. GRR.

Ut ob eas res. Uti, nonnulli v. l. in queis Lang. quod placet : nam redolet antiquitatem, quæ maxime in SC. retinebatur. GAR.

Aut si aberunt. Sic Pal. pr. sec. quart. Maurit. perspicue verum : alluditque editio vetus, *aberint :* vulgo, *abierint.* GRUT. — Firmat *aberunt* Græv. codex. GRÆV. — Mendum *abierint* in utroque Barb. et in edit. Hervag. video. Ceteri ante Grut. editi, quos habeo, *aberint.* GAR.

Ad omnia pulvinaria constituant. Constituat, o. l. v. FERR. — Sic etiam Rom. et Ven. GAR.

Republica recuperata. Posteriores edd. *liberata*, sed alterum restat in MSS nostris, servatque Victoriana. GRUT. — *Recuperata* optime, ac pro consuetudine Ciceronis exhibent ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. utraque Gryph. P. Manut. Car. Steph. Mur. Lamb. hujusque adeo repetitores : ut *liberata* in perpaucis edd. nec iis emendatioribus, esse videatur. Est autem in repet. Lamb. majore Sanctandr. et Dion. Gothofr. GAR.

Resoluturum. Junctim legendum est, ut sit dictio una, non duæ. Plautus in Menæch. « Perdormisco, si resolvi argentum' quidem debeo ». BEROALD. — Optima lectio est, *persoluturum*, sed nescio, an satis firma : nititur enim eorum silentio, qui post Paullum Manutium sunt in Tullio edendo versati. Primus ille hanc lectionem invexit; neque

a Ferrario habuit, nisi me fallit Oporiniana ejus castigationum editio, et Barbadorii silentium, qui omnia Ferrariana diligentissime adnotavit. Neque vero fefellisse, ipsa notarum Ferrarii editio, quam nactus postea sum, edocuit. Cod. Car. Steph. *soluturum :* sed uterque Barb. et omnes mei ante P. Man. editi, quos inter illi, quibus Ferr. et Barbad. utebantur, et silent, *resoluturum* præ se ferunt : idque non modo Beroaldus, cui fuit ignota varietas, non inepte tuetur, verum etiam Pareus in Lex. Crit. pag. 1088, huic vulgatæ præfert, quatuorque addit similes Plauti locos : nam quintum ex Curc. V, 3, 4, non numero, ubi constanter, et recte habemus *solvit.* Sed ipse Pareus in notis criticis ad Plautum ibid. V, 2, 20 : « Ego quidem pro isthac resolvi ab trapezita meo » vetustissimum Camerarii codicem, et Palatinos habere testatur *rem solvi;* et V, 3, 44, pro vulg. *resolvo* ex omnibus suis codicibus legit, « nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo » ; ut cum aliis edidit utrobique Gronovius, utroque Plauti Cod. Barb. firmante, utque placebat olim Turnebo, qui Adv. X, 18, et Catoni, et Plauto verbum *resolvere* hoc sensu ereptum ibat, ac *rem solvere* substituebat. Favent ei quidem codices in Plauti Curculione : quamquam priore loco malim *resolvi :* sed repugnant ejus emendationi, quam adhibet Asin. II, 4, 27, ubi legitur, « ecquis pro vectura olivi Resolvit? » Lib. « Resolvit », et is vellet, « rem solvit? » Lib. « Solvit ». Cui loco duo alii accedunt, Epid. I, 2, 49 : « Danistæ quas (XL minas) resolvat », et Menæch. V, 5, 30, sine varietate omnes, atque certissimi. Catoni quoque vulgatam Gesnerus adseruit, quamquam in eo quoque R. R. 148, Cod. Polit. *rem solvito* habet pro *resolvito.* At omnes Catonis codices c. 144, n. 2 : « Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, resolvito » : sic plane bis etiam cap. 149. Itaque, ubi aliud redditur, aut compensatur, locum habere intelligo verbum *resolvere.* Hic autem, quamvis promissa generatim non resolvantur, recte senatus dicitur, quæ pollicitus antea sit, *resoluturus*, quod ea fuerint

præmia laboribus, periculis, virtutique militum proposita, ut ante milites multum reip. solvere, quam hæc acciperent, oporteret. GAR.

Complurimos cæderent. « Ut plurimos cæderent ». FERR. — Emendat Aldi senioris lectionem, quæ usque ad Paullum filium invaluit. Rom. et Ven. cum Barb. ambobus, *quum plurimos.* Deerat omnino *ut*, quod a MSS firmatum puto, quamvis diserte nemo testetur. Sed patet, scriptum hic fuisse *quom :* non male igitur Gryph. anno MDL, « ut quam plurimos cæderent ». GAR.

Quumque sine ulla necessitate. « Sine ulla retractatione », omnes l. v. ut Livius lib. VI : « Juniores ad edictum sine retractatione convenerunt ». Utitur etiam Cicero in Tuscul. lib. V et lib. XIII, ep. ad Attic. FERRAR. — Egregiam Ferrarii restitutionem perperam Faerno, et codici Vaticano, in quo hæc non exstat oratio, tribuit Pareus Lex. Critic. pag. 1092, quem vide. Lamb. et Grut. scripserunt *retrectatione*, quod unice verum esset de Buherii sententia ad Tuscul. I, 31, atque ita edidit cum Lamb. et ejus cod. ipse Grævius, ad Att. XIII, 25, ubi rectius edd. Jenson. Victor. Man. Grut. et aliæ, *retractatione*, quas sequitur J. F. Gron. ad Liv. III, 49, ubi porro Drak. scripturam hanc nostram, quam in bonis codicibus Ferrarius invenit, optime tuetur, ac præfert. Adde Broukhus. et Burm. Sec. ad Propert. II, 2, 11, et Cort. ad Plin. Epist. IX, 33, 6. Sic optimi quique Virgilii codices Æneid. XII, 889 : « Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas? » Ubi ne unus quidem vocalem mediam commutat. Locus Columellæ, II, 2, 26, ad aliorum et ipsius, et vetustiorum formam est redigendus, ut factum video apud Gronov. l. c. quem Gesnerus non est sequutus. GAR.

Si his videatur. « Si eis videatur », est in MS codice : et ita legendum est ex auctoritate veteris senatusconsulti. F. URSIN. — Recte, quamvis ceteri libri repugnent. Declarant hoc SC. veteres notæ S. E. V. et loci alii plurimi. Vide

ad III, 15, et ipsum Ursinum ad V, 19, ubi notæ illæ in unam voculam *seu* coaluerant. Gab.

His qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque populi rom. pro urbe, templisque. Hæc omnia demptis conjunctionibus dicuntur in l. v. Nonnulli, in queis Sc. pro *his*, *iis* : quod placet. Ferr.

Monumentum quam amplissimum locandum faciendumque, urbem ad eam rem pecuniam dare, contribuere. Sic l. v. « Locandum, faciendumque urbem ad eam rem, etc. », in quibus Ciceronem non agnosco : nam primum, nisi me fallit memoria, hoc, « locandum, faciendum jubeo », non dicitur : sed *locare*, *facere jubeo*. Verum fac, ita non esse, ut *locandum*, *faciendum* dixerit, huic subjunxerit, « dare, atque tribuere, solvere jubeant », ut tam diversas res scilicet uno verbo comprehenderit, adduci ad credendum nullo modo possum. Deinde si quis jusjurandum in hæc verba adjiciat : si mihi videatur, « urbem solvere jubeant », a Cicerone scriptum non videri profecto jurem : ita mihi non solum ab hujus elegantia, sed etiam consuetudine latini sermonis videtur abhorrere : sic autem scriptum reliquisse M. Tullium puto, « Monumentum, quam amplissimum locum, faciendum curent : ad eam rem, etc. » Hunc autem errorem creavit, opinor, illud quod sæpe jam demonstravi, quod in l. v. hæ literæ *c* et *q* locum inter se sæpe commutent, quæ causa libros refersit erroribus : ut apud hunc ipsum in lib. I de Nat. Deorum, « Nec tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos : nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus : sed quod inter nos liqueat, ne tu quidem intelligis » : ubi *liqueat* pro *liceat* : ut in epistol. ad Attic. « Ex quo quidem ego, quod inter nos liceat dicere, millesimam partem vix intelligo » : vel, ut similius proferam, Plaut. in Pœn. « Vin' bona dicam fide, quod hic inter nos liceat ». Intentis oculis contemplare sententiam : ut nos asseveramus, ita esse perspicies : sed ut ad rem : hoc ego sentio. Si quis tamen illud magis probabit, « Locandum, faciendumque curent », cum

eo non pugnabo. Ferr. — *Locandum, faciendumque curent.* Ita est emendatum a Ferrario, quum prius legeretur, « locandum faciendumque urbem. » At Antonius Augustinus, pro *quæ urbem*, legit *Q. Urb.* id est, quæstores urbanos : quod et nos probamus : nam et supra libro IX censet Cicero, consules committere debere quæstoribus urbanis curam monumenti Ser. Sulpicio exstruendi, pecuniæque in eam rem erogandæ : et quod illic dixit, *imperent*, hic dicit *jubeant* : si quis tamen retinere vellet etiam verbum *curent*, optime mihi restitutus hic locus videretur. Faern. — *Locandum, faciendumque urbem ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere jubeant.* Ant. Augustini conjecturam, qua locus est hic restitutus, adjuvat antiquus apud me liber, ex cujus scripturæ vestigiis hujusmodi lectio perspicue elici potest : eadem Octavio quoque Pantagatho in mentem olim venisse ex ejus annotatione ad oram libri cognovi. His autem non dissimilia sunt illa ex vetere, quod est apud me, senatusconsulto in ænea tabella, « locum lautiaque Q. Urb. eis locare, mittereque juberent ». F. Ursin. — *Faciundum curent : quæstores urb. ad eam.* Est a certissima conjectura Ferrarii : prius excusi et MSS « faciendumque, urbem ad eam ». Grut. — Manutius etiam probat *curent*, sed et addendum censet *Q. Urb.* quæ et Gruterus adjecit, quamvis repugnent MSS. Græv. — Lambinum et Gruterum sequutus est Grævius, et cum eo recentiores. Sed non erat enclitica ex v. *faciendumque* tollenda, quam servant omnes plane MSS, omnesque ante Mur. et Lamb. editi, quæque adeo nisi fuisset, locum integrum omnibus in libris arbitror nos habituros. Quum enim eodem scripta modo illa esset, quo vox *quæstores*, ad hanc ab illa de more librariorum oculi deflexerunt. Neque vero dubitandum est, quin SC. formulæ encliticam postulent, quæ in superiore illo IX, 7, aliisque plurimis adest, aliaque omnia, quæ viri docti addiderunt, et sunt etiam sine codicum auctoritate certissima. Tamen auctorem fere omnium habemus optimum codicem Car.

Stephani, quem longe minor depravatio pervasit. In eo sic legitur, « faciendumque curent: urbem ad eam rem, etc. » Una ibi desideratur litera Q. sequentes URB. malam, ut in reliquis libris, explicationem nactæ sunt. Forte tamen fuit, *quæstoresque*. Atque hic locus, aliique nonnulli fecerunt, ut magnum in silentio, quo sæpe utitur C. Stephanus, pondus esse statuerem. Gar.

Pecuniam dare, contribuere. Attribuere, o. l. v. ut illud in IX, « Tantam pecuniam redemptori solvendam, attribuendamque curent » : perspicue verum : ut illud alterum aperte falsum : siquidem *pecuniam contribuere* non dicitur : hoc autem verbum proprie in iis ponitur, qui aliquem liberum populum sub alterius ditionem subjungunt. Livius, « Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium »; et alibi, « Phocenses, Locrenses contribuerunt Ætolis » : ii autem populi *contributi* dicebantur. Cæsar, « Oscenses, et Calaguritani, qui erant tum Oscensibus contributi ». Ferr. — *Dare, attribuere.* Sic quoque Pall. et Ferrariani, non *contribuere*. Grut.

Utque. Manutii conjecturam *utique* recepit Lallemandus. Sed libri repugnant. Gar.

Eaque fratribus tribuantur. Lang. et ceteri fere, « iisque fratribus tribuantur ». Nonnulli tantummodo *tribuantur*. Ego emendandum arbitror, « iisque tribuantur, etc. » *fratribus* enim puto esse glossema alicujus imperiti. Ferr. — *Iisque tribuantur. Eaque tribuantur* habet liber antiquus MS : et ita legendum videtur. F. Ursin. — *Eaque fratribus*, etc. Totum istud aut a glossa est, aut latet sub eo mos mihi incognitus; qui videlicet fratres succederent in locum, in ordinem, in stipendium germani defuncti. Pal. sec. ac Maur. legunt, « his fratribus, etc. » pr. tert. quart. præferunt tantum, « eaque tribuantur ». Grut. — Fratribus tribuendum censet, quod tribuendum erat illis, si vixissent, qui in prælio occubuerant. Credo autem promotiones militares præcipue respici, quas meruissent propter rem forti-

ter gestam. Grævius. — Immo vero his militibus vacationes fuisse promissas constat ex V, 19. Locum esse corruptum omnino patet: recteque vocem *fratribus* expunxit Ferrarius, cui locus hic esse nullus potest. Ei paruit cum ceteris ante Grut. et siluit Car. Stephanus, ut in suo cod. invenisse diserte videatur, *iisque tribuantur*. Sed glossam satis ratio coarguit, et cod. Ursini, tresque Palat. ea carentes, ipsique, in quibus ea est, Lang. Pal. sec. Maur. aliique præstantiores, dum habent *iisque*, aut *his*. Forte tamen tres istæ voces, « eaque fratribus tribuantur », adjectitiæ sunt omnes, quarum duæ priores absunt a MSS nonnullis Ferrar. a codice Barbadorii, et ab utroque Barberino. Quam ego in sententiam vehementer inclino; quum intelligam, sine his vocibus orationem non modo integram, sed etiam optimam esse; talem tamen, ut imperitis addendi occasionem facile præbere potuerit. Perspicuitas in SC. maxime requirebatur, non solum quum ea perscriberentur, verum etiam quum patres iis auctoritate, sententiaque præibant. Hinc superioribus, « quæ præmia senatus militibus ante constituit », hæc subjunguntur, « quæ militibus ipsis, etc. » quæ longe minus iis redundant, quæ ad cap. 9 supra observavimus. Gar. — In edit. Ernest. « eaque fratribus tribuantur ». Ern. probat hanc vulgatam lectionem temere. Huyd. « eaque tribuantur ». Sch. posuit: « iisque tribuantur ».

Si illi vicissent. Vixissent, Scalæ liber: aperte verum. Ferr. — Ita Nauger. jam emendaverat, omnibus sequentibus. Gar. — Pro « si illi vixissent » Ern. « si vivi vicissent », ut magis acutam redderet sententiam oppositione. Sed optima lectio est: *si illi vixissent* (quæ offendit Ernestium), quod hic denotare debet « vivere, vitam retinere »: alioquin *viverent* dicere debuisset. At plusquamperfect. id sane significat. Scrupulum natum esse existimat ex voce *illi*, alias non relicta esset lectio *vicissent*. Ien. « si illi vicissent ».

TABULA
RERUM
QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE SECUNDÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS TOMI SEXTI SECUNDÆ PARTIS.



